LIBRI EPIDEMIORVM HIPPOCRATIS PRIMVS, TERTIVS, ET SEXTVS,

*

CVM GALENI IN eos commentariis,

IO. VASSAEO MELDENSI interprete.

EDITIO PRIMA.

IN VIRTVTE FORTVNA.

LVGDVNI,
Apud Gulielmum Rouillium,
sub scuto Veneto.
1550.

REVERENDISSIMO, AC ILLVSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO ODONI A' CASTILLIONE CARDINALI,

***

Atque Tholosatum Archiepiscopo, & Episcopo, & Comiti Beluacorum, Ioãnes Vassæus Meldensis, Sa.

VETVS antiquorum virorũ qui Græcis in literis eruditi essent, consuetudo fuit, vt quæ Græcè scripta essent, ad ingenij exercitationem Latina facerent: quod sæpe summis viris & nostro Ciceroni, alijsq; permultis accidit. Cui sanè consuetudini aliquando obsequutus quòd non solùm animi vires recrearet, verùm quoque &

quòd hominibus commoditatem adferre videretur, quasdam Galeni libros iam latinos feci, erátque mihi animus vt tandem ab huiusmodi negotio desisterem: neque enim ætas id mea desiderat, neque quod satis otij sit, studio suppeditari potest, ob cõsueta mihi perficienda negotia, quibus quotidie ad ægros inuisendos sollicitandósque impedior: sed me quorundam amicorum commouit voluntas, vt libros Epidemiorũ Hippocratis cũ Galeni in eos cõmẽtarijs, quos à multis annis iam latinos factos habebam, publicarem: id quod cõpulsus, imò potius euictus, lubenter quidem ac eo tandem lubentius quòd multis placere viderem, opus sanè diligentius quàm potui elaboratũ lucubratúmque, quod tibi dicari volui, Reuerendißime Cardinalis, quòd non genere solùm & vera nobilitate, verùm quoque & virtute omni reluceas. genere quidẽ si paternũ quis respexerit, iam auorũ tuorum & abauorũ quàm illustre fuerit nomen norunt omnes. Patrẽ verò ipsi vidimus

dimus magnum sanè hominẽ, vel potiùs summum & singularem virum qui in rebus bellicis ita arderet, vt in nullo vnquam flagrantius rerum bellicarum studium visum sit: qua in re ita se gessit, vt vnus præcipuúsque inter quatuor insignes illos regni Gallici proceres præfectósque, quos Galli Marescalos vocant, constitui dignus sit habitus. quo in magistratu ita præstitit, vt perfecto exercitus Gallici duce dignus apud omnes iudicaretur. Si verò maternum genus, Matrem habes viuentem adhuc antiquo & nobili genere ortam, quæ apud Franciscum regem tanta commendatione floruit, vt inter cæteras mulieres vna deligeretur, quæ virginum omnium custodiæ præficeretur, atque ab omnibus honoris magistra appellaretur. Multa sanè de matre suísq; natalibus referre possem: sed aliò me vocant tuæ in rebus omnibus laudes. Nempe studium tuum nunquam intermissum, atque à prima adolescentia cultum & semper dein-

ceps auctum usqueadeò nos stupefecit, ut incredibilem quandam & propè singularem & diuinam in te videremus animi dotem, quo tempore quantam vim naturæ bonitas haberet, aut vera ingenij nobilitas, intelligere potuerunt qui tecum sunt versati. Neque eorum iudicium obscurum unquam fuit, neque non paruum ferre potuit iudicium Nicolaus Beraldus doctus vir & studijs optimis deditus, bene latinè loquens, gnarus multarum rerum, sed sanè non laboris multi potui & ego de eodē tuo studio aliquando iudicium ferre, dum apud canonicam domum palatij regij maneres. Sed quid moror? tantus tibi fuit animi splendor, tantum & virtutum omniū cum ætate incrementum, ut iuuenis adhuc ætate quidem, moribus tamen senex, ad summi pontificis amplißimum consilium, atque altißimum dignitatis Cardinaliciæ gradum euectus fueris, sisq́ unus non ex multis sed inter multos cùm institutus optimè, tum etiam perfectè planéq́ erudit

eruditus: quo in statu quo pacto te geras, nemo est qui ignoret. Nempe quis se regi & nato ipsius te accommodatiorem præstare potuit? Has omnes ob causas magna me spes tenet, vt si aliquando Deus vitam longiorem nobis fecerit, te videamus in summum euectum pontificem, & patrem patriæ appellari, sed de ea re plura non dicam: causas etenim diximus, ob quas opellam nostram tibi dicatam esse voluimus. Opellam itaque hanc nomine tuo publicatam quantulamcunque acceptabis, permittésque vt in gratiam tuam per studiosorum rei medicæ libera iudicia peruolitet. Vale. Ex Lutetiæ vniuersitate, die æquinoctij vernalis, anni Domini

1545.

SEQVVNTVR QVAEDAM ADNOTATV DIGNA.

*

Pagina 105. abſceſſus per emißionem dixi quos ἀποστάσεις κατ᾽ ἔκροιν dixit Hippocrat. quales ſunt dyſenteriæ & tineſmi cõfluẽtibus in vẽtrem ſuperfluis: nec ſolùm nomẽ ἔκροιν emißionẽ illã ſignificare videtur, ſed etiã emiſſaria ipſa ſiue patentes meatus per quæ emißiones & excretiones fiũt, vt Martinus Acacius in tertiũ artis paruæ Galeni adnotauit. Tales etiã abſceſſus fiũt cõfluẽtibus mordacibus humoribus ad renes & veſicã et cætera corporis emiſſaria. Abſceſſus verò κατ᾽ ἀπόθεσιν. i. per repoſitionẽ refuſionémq; fiũt refundẽtibus reponẽtibúſq; ſeſe in partes ignobiliores, veluti in articulos & coxẽdicẽ humoribus. Hæc ex Galeni cõmẽtarijs manifeſta ſunt legẽtibus. pagina 166. Et qui abſceſſus in pernicioſum vel iudicatoriũ. Valet ac ſi dicas abſceſſus in perniciẽ vel ſalutẽ: cũ nomẽ Criſis frequẽter per ſe ſumptum integrã morbi ſolutionẽ indicet, vel ſaltem inclinationem ad melius: id facilè probari poteſt ex Gal. commentario, cùm inquit: Abſceſſus qui per emißionem fiunt, ſunt meliores: per repoſitionem verò minus commodi, atque horum ipſorum qui quidẽ à loco adfecto remotißimi & in partes ægri ignobiles boni ſunt, contrarij verò his praui.

IND

INDEX TVM VOCVM, TVM RERVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR, COPIOSVS.

***

Abortio quibus modis 339
Abſceſſus vnde fiunt 121
Abſceſſus vnde fiat eſt conſiderandum 534
Abſceſſus κατ' ἀπόθεσιν & κατ' ἐκροὴν 105
Abſceſſus κατ' ἐκροὴν & κατ' ἀπόθεσιν 128. & 663. & 243.
Abſceſſus per emiſsionem 121
Abſceſſus quo habent modo 540
Abſceſſus non valde fiunt quibus rigores 482
Abſceſſuum ſecundùm rectitudinem conſideratio 530
Abſceſſus ſub vmbilico boni 489
Abſceſſus ad inferas partes meliores 532. *ad ſuperas grauiores* ibid.
Abſceſſus boni qui per emiſsionem fiunt, & qui remotiſsimi à parte adfecta 221
Abſceſſuũ pranotioni quæ conferunt 542
Abſceſſus, vide etiam apoſtaſis
Acceſsiones ſi diebus imparibus fiant, indicationes fiet diebus imparibus 604
Acceſsiones in diebus imparibus quid indicant 149

Acetum quare datur doloribus 811
Aconitum deleterium 812
ἄκρατον 291
Ακρατα quæ vocat Hippocrat. 340
Ακρητον quid 201
Acrisiæ nomen duobus modis 129
Acrisiæ 359
Acutorum morborum symptomata 215
Adolescentes calidi propter quid 75
Aegri confidentia 680
Aegris gratificandum quomodo 683. & 684
Aegro qualis esse debeat medicus 686
Aegri sermo ad dignotionem & præsensionem iuuare potest 171
Aegro quæ fieri debeant 681. & 682
Aegrotãtibus gratiæ quæ fieri debeant 678
Aestas calidior & siccior 43
Aether quid 713
Aëris offensas quomodo quis vitet 370
Aëris mutatio in longis morbis iuuat 776
Aër nubilosus qui 242
Aëre frigido cur deiectiones resiccantur 783
Ex aëre ambiente prænotiones 168
Aër per arterias ad carnes trahitur 795
Affectio eadem non eisdem eget auxilijs 808
Affectibus certis qui corripiuntur quàm qui non promptè facilius in eos incurrunt 80
Αγωγὴ 67
Αυας linguas quas vocant 772
Αυχμὸς quid 66
Alphi qui 662
Alexipharmaca quæ 812
Alliũ quibus cõfert 811
Αμβλωσιν quid Attici vocant 447
Αμβλώσκειν ibid.
Αμβλωτικὰ medicamenta ibidem

Ἀμικ]ον, i. imperfectū 201
Ἀμφημερινοὺς quas febres vocant 177
Ἄναυδος 418
Ἀνάλωσις 593
Ἀνασομῶν 556
Anaxionis Abderitani historia 426
Anginæ periculosæ 321. & 322
Anginosæ historia 310
Animæ naturalis virtutes quatuor 287
Animosi qui 155
Animā hominis perpetuò ad mortem vsque produci quid 753
Animæ hominis consideratio 754
Animi mores per opera quæ ægri faciunt indicantur 172
Annus totus in menses duodecim apud Romanos 53
Anni diuisio in septē tempora 50
Anni diuisio generalis in quatuor tempora 51
Anni tēpora si rectè progrediātur nulla pestis, & nulli morbi epidemij 59
Anni temperaturæ morborum causæ 402
Anni temporū peculiaris qui euincat humor 60
Anni temporum fines & principia 49
Anni tempora quomodo differant 58
Ἀνορέκ]ους & ἀσί]ους quos vocant Græc. 86
Antecanis 50
Antispasis 517
Ἀν]ισπᾶν 518
Ἀν]ί]υπον 508
Ἄναυδος 418
Ἄφωνος ibidem
Ἀφορμαὶ 360
Ἀφορμὴν quid vocant 625
Aphthæ in pueris 356
Ἀποκά]αρσις 701
Appollonij Abderitani ægri historia 435
Ἀπόφθορα 335
Ἀποφθορὰν quid Hippocr. vocat 447
Ἀπόσι]ος 28[illegible]

Ἀπ

Ἀποσίτους quos vocant Græci 86
Aposíti 357. & 217
Ἀποψοφεῖν quid 639
Ἀπόσκεψις 263
Ἀποστάσεις κατ' ἐξοχὴν 112
Ἀποστάσεις quos appellare consueuit 663
Ἀποχὴ quid 263
Appetentiam quæ augẽt 716. & quæ delent ibid.
Aptystæ qui 76
Aqua inculpata quæ: & multa alia de aqua 692
Aqua luculenta 697
Aqua prouocat appetentiam 716
Aquæ artificio carentes quæ 711
Aqua artificiosa quæ 710
Aqua pluuialis tempestiua 714
Aquæ αὐτοφύεις, i. sponte nascẽtes & ἄτεχναι 711
Aquæ pluuialis consideratio ibidem
Aqua tonitruosa procellosâ melior, & quare 714
Aquæ coquendæ commoditates 696
Aquæ decoquendæ consideratio 690
Aquam quomodo frigidissimam habebimus 699
Aquæ multæ quando fieri dicuntur 94
Aqua vorax 716
Aquilonis tẽperatura 61
Arcturi ortus 93
Arcturi ortu incipit autumnus 59
Argentum viuum deleterium 812
Arthritidas curant varices 816
Ars factiua omnis alia subseruiente opus habet 742
Ars medicinæ ægrorum curatrix 739
Ars medicinæ tribus constat 687
Ars medicinæ, vide medicinæ ars
Ἀσύνδετον 179
Asperata lenienda 514
Asperantur quæ ibid.
Ἀσώδης, id est, anxia maligne

lignæ febris signum 335
Asthma 311
Asthma sanat febres 816
Αστρον Græcis quid 49
Astrorum ortus & occasus in singulis regionibus ad morborum curationem cognitu necessarius, & quare ibidem
Attritio instrumentorum 591
Auium genus in squaloribus abundat 730
Auris ex dolore quod effluit odore probandū 767
Aurium sordes dulcis cerebrum colliquatum ostendit 776
Aues temperamento sicciores. ibidem
Austri temperatura 61
Austri natura & molestia 70
Austri natura 141
Auster an semper humidus 352
Autumnus inæqualis 43
Autumno quæ fiant 486
Autumnus quando incipit 93
Auxiliorum doloribus conferentium catalogus 804
B Albi quomodo fiunt 154
Balnea quæ potentia refrigerant & resiccant 794
Bilis varietates 770
Biliosior redditur qui extenuatur 652
Bilis nigræ gemina generatio 802
Biliosum quæ reddunt corpus 482
Βοῤῥοῦς quos vocant Asiani 716
Βραχύπνους quis 417
Βραχυπνόους quos vocat ibidem
Breuispirus ibid.
Bubones signa gerunt viscerum 526
K Ακῦργα 812
Κακόκραῖον 291
Καῦσις 804
Calculi vesicæ pueris, & renum senibus, & quare 619
Calculi renū vnde, & vniuers

uersalis consideratio 469
Calculus vesicæ pueris vnde 618
Calefactio per quæ fit 804 & eius effectus 805
Calida natura quando extenuatur, & quando impinguatur 720
Calida natura refrigeranda 703. & quibus modis, & quæ sit calida natura ibidem.
Caliditas quæ eget respiratione & quæ transpiratione 758
Calor temperatus sanguinem, igneus bilem 360
Calor duplex 724
Caluicies 591
Calui Larissei ægri descriptio 421
Canis siue canicula 50
Caput robustius caliditate 67
Capitum acuminatorũ consideratio 460
Capitum in formatione consideratio 459
Capitis lauatio quibus conuenit 220
Caracterũ ægris adpositorũ consideratio 321. & 264
Cardia os ventriculi 215
Καρδιαλγεῖν 211
Carbunculi generatio 382
Carbunculorum adfectus perpetuò periculosus 357
Carnes ex ventre trahunt & partibus externis 795
Carnium frigiditas sequitur sanguinis penuriam 728
Carnium incrementũ 591
Carus ex frigidioribus humoribus 267
Catarrhũ sanat febris 816
Κάθαρσις quæ 701
Κατάστασις quid 346
Καταπλάσεις 509
Καταφορώσεως nomen de quibus 595
Κατάληψις quid 594
Κατ' ἰκτῆρον 78
Κατειλεῖν 366
Καθημερινοὺς febres quas vocant 177
Κατιλλαίνειν 366
Κατειλῦσαι ibid.

Causus vnde 336
Causi dignotio 375
Causorum proprium 372
Causodes quid 798
Causi & omnes valde acuti morbi similes accessiones diebus imparibus habent 376
Κέδματα 777
Κενώσεως *nomen de quibus* 595
Cephalalgias sternutationes sanant 810
Cerebrum tum sensus tum motionis arbitrariæ author 754
Cerebri diminutio 591
Cerebri diminutio quid faciat 592
Charopus color quis 394
Chertonis ægri historia 306
Chloron quid 634
Χλωρὰ & χλοερὰ & χλωράζειν 535
Χλωροὺς *quos vocăt* 770
Χλώρασμα 535
Chorion 455
Cibus paulò deterior sed suauior, meliori est præferendus 679
Ciborum quidam celeriter vincuntur, alij non 794
Ciborum appetentia ventris opus 386
Ciborum appetentiă aquæ potu augeri 716
Ciborum parcitas quid facit 642
Cibi mundè ægris conficiantur 680
Ciborum auersatio vnde 283
Cibi fortes 778
Cibi imbecilli qui 709. & 777
Cyceon quid 809
Cicatrix quomodo fit 516
Circuitus dierum per quaternarios in vigesimŭ finitur 281
Clazomeni ægri historia 223
Cleonactidis historia 216
Κυκσμὸς 752
Coctio quid 126
Coctiões quomodo fiŭt 129
Coctionum causa 702
Coctio morborum in quibus

bus 129
Coctiones qua faciunt 127
Coctiones dormiẽtibus meliores 702
Coctiones celeritatem iudicij ostendunt & securam salutem 128. & 221
Coctio. ĩ cibo meliores 764
Coctionem & inconcoctionẽ quæ vbiq; ostẽdũt 127
Cogitationes quibus commodæ 765
Coitus parua epilepsia 261
Coeuntibus quæ contingũt & congreßis 639
Coeuntibus an venter infletur 606
Κῶλα 678
Κώλυσις *quid* 668
Colis fistulosus neruus & quomodo neruosus 451
Color ruber calidam temperaturam ostendit 394
Color corporis proportione alimenti mutatur 733
Colores subsidentiũ in vrinis quomodo differũt 470
Colliquationes quomodo à pinguibus deiectionibus differant 407
Cwma quid 274
Cwma vnde 358
Cwma vigilans & profundum 342
Cwma somniculosum 284
Cwma nõ sõniculosum 377
Cwma graue 388
Cwmatosum quando 118
Communes morbi 46
Confidentia ægri quid possit 680
Consuetudinis ratio 553
Consuetudo nõ raptim mutanda 553
Constricta dilatanda 511
Contemnendum nihil 551. & 553
Continuæ febres quæ appellentur 176
Continuæ febres, vide & febres continuæ.
Contraria contrariorũ remedia 101. & 516
Conuulsio vbi 253. & *quomodo fit* 256
Conuulsio est epilepsia totius corporis 816
Cõuulsionibus cur maximè

corrip

corripiuntur pueri 113
Κόπους quos vocat Hip. 325
Cor natiui caloris focus 722
Cor omne propè mortē frigidā habet tēperaturā 735
Cor quare paruum efficitur 626
Corpus tum intrò tum foras spirabile 796
Corporis mutatio signa oculorum sequitur 733
Corpora animalium alterantur vt aër 67
Corpus quòd facilè vel ægrè ab externis iniurijs capiatur, quæ est causa 100
Coturnicūm ex esu musculorum tensiones 792
Cranonis situs. 64
Κρατῆσθαι pro μεταβάλλεσθαι 794
Κραταιραυχένες quæ 458
Κρίσιν quid appellant 547
Critonis historia 222
Cruentum quare mingant calculosi 472
Cubare in ventrem vētris dolorem indicat 170
Cubile frigidum 721
Cucurbita cibus frigi. 790
Curationum modi 511
Cutis quibus tenditur, & quibus laxatur 646
Cutis raritas 591
Cutis constrictio carnium incrementum 592
Cutis densitudo 591
Dealcis vxoris hi. 438
Decubitus ægrorum 509
Deiectiões symptomatis ratione 388
Deiectiones exustæ 269
Deiectiões nigræ malæ 295
Deiectiones cur resiccātur aëre ambiente frigido 783
Deleteria quæ 811. & 812
Delirare cuius rei sig. 149
Densari frigiditatis 69
Deriuatio per quæ 517
Demētiæ ex calidis hu. 267
Desipiētia quibus suc. 234
Desipientiæ nomina ibid.
Destillationes in pulmones quæ malignæ 627
Διανακπάνσιν quid 553
Διανοήματα 172
Diaphragma quare ten-

ditur 305
Διατρίβειν 366
Διὰ χρίνε quid 439
Διὰ τέλε@ 440. & 222
Dieta vniuersal. quid 355
Dietæ salubris summa 721
Dies iudicatorij non integris numerantur septimanis 216. & 219. & 241 & pares & impares 193
Dies sextus nunquā fideliter iudicat 434
Diei ad anni tempus proportio 488
Dilatanda constricta 511
Δυναστεύειν 62
Δυσάνι@ 432
Dysenteriæ 121
Dysenteriæ geminæ 395
Dysenteriosa quæ 225
Dispēsatio circa ægros quæ esse debeat 581
Dißimilitudines cognoscēdæ 633
Distensiones vnde 508
Dolores laterum fiunt secundū rectitudinem 529
Dolores quæ pariunt 73
Doloribus tum paruis tum magnis quæ cōferūt 884
quòd dolor dolore non curetur, vt quidā putāt 521
Dolor dolorē exacerbat 522
Dolores à maleficis medicamentis 811
Dolor aliquādo mitigatur sed dispositio deterior redditur quando 768
Dolori capitis posteriori secta in fronte vena profuit 554
Dolorum differentiæ 192
quando fiunt 810
Dormituris profundè quid agendum 707
Dormiēti exteriora frigid. interiora calidiora 702
Dormientes pluribus egēt vestimentis ibidē
Dorsalis medulla ex cerebro principium habet 460
Dramaticum agere 251
In Dramate indutam agere personam 257
Dulcia picrocholos reddūt 771

E

Ἐκμανῆναι 234
Ἐκχυμῶσαι 519

Ecl

Eclampsiæ 465
Ἐκστῆναι 234
Ἔκτασις 651
Ἐκθηλύνουσι 483
Ἐκθύματα 382
Ἐκθύματα *puerulis* 490
Ἐκθύειν *quid ibid.* & 382
Eduliorum delectatio varia 771
Εἰρύεσθαι *quid* 599
Εὐσταθῆ *febres* 70
Εὐθύπνοους *qui* 571
Εἰλεῖσθαι 367
Elaterium quid 791
Ἐλιννύειν *quid* 473
Ellebori propinatio quando 475
Elleborum sumpturi lauādi 786
Emphanωs 701
Emplastica vis 558
Emplasticis in quibus vtimur 559
Enchymosis quid 765
Endemij morbi 45
Enæorema sublime dementiam indicat 435
Enæorema nubilosum quid 241
Ἐνθεῖναι
Ἐπάρματα 669
Ἐφόδους *naturæ quid appellant.* 745
Ἐπιδήμιον *vocabuli consideratio* 46
Epidemiorū morborū causa cœli conditio 44. & 43
Epidemij ex quo morborum genere 46
Epidemiorum morborū liber post quos legendus 42
Ἐπιδημήσειν 46
Epidemius morbus qui 359
Epilepsia puerile malum 781. & 815
Epilepsia vnde 466. & *quæ iuuent febres* 815
Epilepsia quare morbus herculeus & causa ipsius ibi.
Epilepsiam vindicat quartana 181
Ἐπινέφελον 249
Ἐπιπόνως 77. & 384
Ἐπισπασμὸς 789
Ἐπιτηδεύματα *quæ appellāt Græci* 170
Epsema, vide siræon
Æquinoctia duo 48

Aequinoctia eodem tempore in plagis omnibus 49
Erasini agri historia 221
Ἐργάσασθαι τὸ ὅμοιον *quid* 524
Ἐργάσασθαι *pro* μεταλλάττειν 519
Ἐρεύξις 561
Erysipelas vnde 355
Eruginosae vomitiones & deiectiones vnde 134
Etesiae 354
Ἔθη *mores febrium* 191
Euryanactis filiae virginis historia 307
Exalatio quando fiat repentè in exercitationibus 601
Exanthemata à phymatis quomodo differant 556
In Exanthematis an purgandum 557
Excitare vsui est medicis 516
Exceptiones omnes considerandae 555
Excretiões syncerae quae 84
Excretiones quare nihil iuuent 122
Exercitationum vtilitas et natura 798
Ἐξέρυθροι *colores* 504
Ἐξωχρον *ibidem*
Ἐξορμᾶν 382
Explanatoris propriũ 796
Extenuationes vnde 646
Extenuationis in exercitationibus signum 602
Extenuatio per quae 595
Extenuatio omnis cutem laxat, deinde intendit 649
Extenuationis signũ quod 598
Extenuata incraßãda 513
Extenuatio immodica cauenda 601
Extremitatum refrigeratio in febribus ardentibus lethalis 149
Extremitatum frigiditas in febribus acutis quid ostendit ibid. & 313. & vnde 325
Extremitatum liuor quid indicat 150
F*Acies rubens vbi cõsideranda* 539
Facies pro morbi ratione nõ collapsa signũ bonũ 566

Fames

Fames vbi laborandum nõ est 657
Fauces ob quid exasperantur 550
Febrium differentiæ 494. *& substantia* ibidem
Febrium tria prima genera 267
Febres acutæ quæ. 84.
Febres intermittentes quæ 83
Febres facile consistẽtes 70
Febrium continuarum & intermittẽtium modi, status & accessiones 190
Febres horridæ quæ & φρικώδεις 83
Febres acutæ quando fiunt & vnde 110
Febres ardentes & phrenitidas succus idẽ facit 147
Febres ardentes & exquisitæ iudicantur per sanguinis eruptiones 72
Febrium ardentiũ propriũ extremitatũ caliditas 149
Febres errantes vnde 112
Febres continuæ quæ 83
Febrium quæ tertio quoque die exacerbãt varietas 182
Febrem quæ visceris cuiuspiam inflammationẽ consequitur, febrem nõ appellant 181
Febris erratica quæ 195. & 214
Febr. quotidianæ vnde 112
Febris sanat cõuulsionẽ 816
Febres diuturnæ epilepsiam iuuant 815
Febres nocturnæ & diurnæ 188
Febrientes quæ lædant 657
Febres acutæ perfectam habent solutionem, non acutæ reuersoriæ 542
Febrientem citra inflammationem febre laborare dicunt 181
Febriens ex manifestis causis qua febre corripit 206
Febres liuidæ 505
Febris horrida vnde 183
Febres δριμέας, id est, celeres 496
Febres laboriosæ 550
Febres Pemphigodees 498
Febres λοιπώδεις 671

Febris modus quis 482
Febrientes quomodo necabat Prodicus 656
Febrium tropi & modi 191
Febres intermittentes, vide etiã intermittentes febres
Febres continuæ, vide etiã continuæ febres
Flatus copia vnde 609
Flatus in spirituum genere 175
Flatuosum duobus modis discutitur 808
Figura dolores leuat 621
Fœmina ab enixu citius augetur, & quare 589
Fœminæ concipiuntur in sinistro vteri sinu 587
Frigidum frigidas affectiones iuuat & calidas enecat 760
Frigidi facultas 614. 802
Frigidam potaturis quid faciendum 695
Frigidam bibere cõsueti potu interdum aqua iuuantur 722
Frigidæ perfusio quid agat 803
Frigida expiratio mala 734
Frontis vena secta dolori capitis posteriori profuit 554
Fuliginosum excrementum vnde 799
Fulmen aliquando supra, aliquando infra, & aliquando in medium eliditur 714

Γαλιάγκωνες qui 490
Gangrena 559
Genitalium ad thoracem societas 76. & 413
Γόγγρους quos vocant 615
Gongronæ ibidem
Graciles molli cute 647
Gratiæ ægrotantibus quæ fieri debeant 678
Grauedines vnde 605
Grauidæ quare purgãtur à quarto mense ad septimũ 230

Hæmorrhoïdes iuuare possunt & lædere 176
Hæmorrhoïdes qui habent, quibus

quibus morbis non corripiuntur 661
Hæmorrhoïs melancholiam inhibet 816
Hæmorrhoïdibus qui importunè sanantur 662
Hæmorrhoïdes iuuant melancholias & non ex causa vna fiunt 779
Hæmorrhoïdes non omnes tollendæ 663
Hæmorrhagiæ nomine sanguinis eruptio per nares et quomodo fit 72
Hepatis gibba quàm sima periculosior in abscessibus 532
Hepar non corrigit vitium ventris 727
Hepatitin morbum appellant nō febrilem morbum 181
Hermocratis ægri historia 266
Herophontis febrientis historia 207
Heropyti Abderitani ægri historia 428
Hyems frigidior & humidior 43
Hydatinum ex aqua pluuiali 712
Hypochondriorum consideratio 301
Hircire quid 639
Homines rectos affligi 74
Horrent concumbentes 64
Humorū vacuatio per quæ fit 512
Humorum natura 271
Humores quò vergant ducere 555
Humores calidiores sursum, frigidiores deorsum irruunt 74. & 75
Ὑδατωμένας *mulieres quas vocant* 475
Ὑδατόχολα διαχωρήματα 413
Hidrymenæ 536

I

Chorosus sāguis qui 572
Icterus ante septimum diem malus 273
Ignem ardentissimam febrem vocat Hippocrates 267. & 290. & 206
Ignea adfectio quibus significatur 275

Ἰλλαίνειν 366
Ileus quid 333
Ileosæ historia 332
Inappetentiam accusantes, bonam diei partem abstineant 707
Incrassare bifariam 636
Incrassata extenuanda 513
Indolẽtiã somnus facit 764
Indolẽtiam per sensus mortificationem 808
Indurationes propter quid 508
Infans quomodo expurgãdus 792
Infrigidatiõis effectus 805. & quibus adhibetur deinceps
Insomnia quæ indicãt 173
Insidiari mentem habentis animalis est 280
In inspirationibus tum per os, tum per cutim geminũ est auxilium 798
Insudare malum 149
Intermittentes febres quæ 177. & tres sunt omnes 389. quæ item 176
Interpretis officia duo 42
Intestinis mordaci humore adfectis quid agẽdũ 807
Inuẽtio duplex eorum quæ inuestigantur 197
Ὑπονοὸς 205
Per Ὑποχλώρους quos intelligimus 634
Ὑπεῖναι 392
Ὑπολάπαρος 205
Iracundi vnde 729
Iracundi pusillanimes 155
Iracũdiæ quibus vtiles 765
Iracundiam mouere frigidis naturis 762
Iracũdia cur mouẽda ibid.
Iracundiæ consideratio 761
Iracundi animosis aduersi 155
Ἰσχνόφωνοι qui 152. & 154
Indicationes quatuor modis 195
Indicationes in accessionibus fiunt 193
Indicatoria statim à morbi initio apparere malũ 149
Indicatio quãdo fit in diebus paribus, & quando in imparibus 193
Iudicium Gal. de Prorrheticis

tico 301
Labor tum articulis, tum carnibus cibus 763
Lac ad lapides generandos idoneum 621
Lac temperat erosiones 811
Lachrymæ in acutis morbis quid indicant 491
Lac capræ quando subductorium 792
Λάβρον in pluuijs quid 95
Λαπαρὸν quid 269
Λαπάσσεσθαι 670
Lapis vesicæ sola manuali opera curatur 781
Lapis vesicæ pueris 467
Lapis tophaceus vnde 471
Lauacrum quid facit 786. à siti vindicat 797
Lauacra aquarum potabilium humectant 787
Lauandi helleborum suscepturi 786
Λεῖον quid 393
Αἴλαπας, id est procellas vocant Græci 96
Lemulæ iuxta oculos 492
Lemia oculorum 99
Lens ex contrarijs substantijs 790. & cuius naturæ ibid.
Lens frigidus cibus non est ibidem
Lenienda asperata 514
Leniuntur quæ 516
Λεπτόφωνοι 154
Λεπτυσμὸς quid 645
Lepus marinus deleterium 812
Lethalia quæ dicũtur ibid.
Lethargus ex frigidis humoribus 267
Lethargus cum periculo & acutus 167
Lethargum sanat phrenitis 816
Leuatis citra rationem non est fidendum 278
Leuconotus quis 352
Leucophlegmatiæ frigidæ temperaturæ 394
Libri epidemiorum Hipp. legitimi qui 445
Librorum epidemiorum cõpositiones 530
Lienis καταῤῥοπος 575
Lienis intumescentis diffe-

rentiæ 577
Lienem induratum sanat hæmorrhoïs 577
Lienis scirrhus perniciosus & longus 167
Lienteriæ vnde 133. & 122
Lienteriam sanat ructus acidus 816
Lingua concolor dominantibus humoribus 773
Lingua humorum serũ indicat 769
Linguæ sapore humorũ dignotio 775
Linguæ sapor redundantiũ humorum ibidem
Lingua fuliginosa 435
Linguæ nigræ, albæ, virides, & rubræ vnde 771. & 772
Lingua locutionis instrumentum 154
Λυρῆσαι 234
Liquor, vide succus & humor
Litharg yrus deleteriũ 812
Λοχίων λύνχοις quid 412

M

Logiatri qui 296
Μανραύχενες 458
Mammarum signa vterũ adfectum indicant 775
Mammarum oppletarũ & non oppletarum consideratio 654
Manias quid vocant 137
Mania sine febre 280
Maniæ 270
Μανῆναι 234
Manus figura indolẽs 622
Μαρασμὸν πυρετῶν quid vocant 648.
Marasmus retorridus 284
Mas quare validior fæmina 590
Mares in dextris 731
Mares in vtero celerius mouentur fæminis 588. *postea augentur tardius* 589
Masculorum bona pars in dextris partibus concipitur 587
Maza parum nutrit 598
Meatuum apertio qualis 564
Medicinalis ars Medico dignior 740. & 743
Medicus qualis esse debeat 681

Med

Medicum quæ in ægrorum gratiã facere oporteat 679
Medicorum ingressus ad ægros gratiosi 685
Medico qui ministrãt 742
Medicinæ artem tria perficiunt 132
Medici quibus confiditur accipiendi 680
Medicus artis minister 133
Medicum æmulum naturæ simul & ministrum vult esse Hippo. 128
Medicus erga ægros quomodo se habere debeat 581
Medicis quæ turpissima 689
Medicamẽtosis esitatis virtus permanet 792
Melancholiam iuuant hæmorrhoïdes 779
Melancholici quare libidinosi 609
Melancholiæ signum 172
Μελετᾶν *quid* 131
Melidiæ ægræ historia 231
Menses pro ratione solis supputandi 53
Melancholiam sanat hæmorrhoïs 806
Menses Palæstinorum 54
Menses singulis nationibus sui 52
Μεθημερινοὺς *febres quas vocant* 177
Metonis ægri historia 219
Μύκητας *quæ vulgus appellat* 382
Μυδήσεις 514
Milium frigidus cibus 790
Morborum differentiæ 355
Morborum naturæ medicæ 737
Morbi quibus dignoscũtur 165
Morbi ætatum, vide ætatũ morbi
Morbi alÿ à victu, alÿ à spiritu 43
Morbi vnde fiunt 346. *in siccitatibus quales* 347. *et in pluuÿs* *ibidem*
Morborum causæ 251
Morbi redundant in singulis anni temporibus 60
Morbi peculiares regioni minus periculosi 170
Morbus regius, qui prauus

uus 142
Morbi quinam pro morbis fiant, scire est bonum 816
Morbi in imbribus, & in siccitatibus 61
Morbi non præsentiuntur, neq; inhibentur neq; curātur, nisi cognita in nobis aëris intemperie 42
Morbi acutissimi qui 180
Morbi qui ætatis permutatione soluuntur 781
Morborū diuturnitas vnde 129
Morborum transitus qui meliores 555
Morbus insidians quomodo 280
Morbi syntrophi in senecta desinunt 758
Morborum successiones vnde perniciosæ & indicatoriæ 174
Morborum successiones ex locis alijs in alios, & quare 664
Morbosæ affectiones 748
Motus voluntarij offensæ vnde 253
Mulieris ex abortiuo fœtu ægræ historia 335
Mulieris à partu febrientis historia 343
Mulieris Thasiæ ægræ historia 410. & 431
Mulieres præter morbos quos vt viri patiuntur vterinis etiam laborāt 136
Mulieris geminas puellas enixæ historia 437
Mulieris cui suppressa erant menstrua curatio 644
Muliebrium vacuatio indicationem facit 145
Muliebrium retentio morbosa 412
Mutationes subitæ & repentinæ tutæ nō sunt 640
Narcotico solo vtendum non est 808
Nasi formatio 463
Nasus acutus, concaui oculi 648
Natura quid 738
Natura citra disciplinam operatur 745
Natura artificiosa & animalis prospectrix 737

Naturæ inculpatæ similib⁹ iuuãtur 778. & intempera. intẽperatis cõtrarijs ib.
Naturæ subseruiendũ 707
Natura morborum medica 737. & quomodo morbi curari dicantur per totum commentarium.
Natura duplex communis & propria 166. à quibus morborum dignotiones & præsensiones fiunt.
Naturæ percalidæ quid opus sit 792
Naturam percalidam in calido anni tempore in frigore cubile incrassat 719
Nephritis ætate declinantibus 467
Nephriticis quæ vsu eueniunt 468. & ipsorum curatio 473
Νενεμὲν quid 349
Neruorum principia 451
Nerui qui ad stomachum pertinent 261
Nicodemi Abderitani historia 430
Nimium omne naturæ inimicum 641
Νήπια παιδία 335
Νήπια qui dicantur 466
Νήπιον ἔμβρυον 339
Nonanam febrem non vidit Galenus 178
Nonana febris longa 189
Nubes quando alba, & ipsius varietas 68
Nubis nomẽ in vrinis 242

OBesi omnes tensa cute 646
Oculorum defluxus quomodo reuellendi 560
Oculorum doloribus quomodo occurrendum 807
Oculorum peruersio in morbis acutis malum 341
Oculus totius corporis dispositionem indicat 731
Oculorum cæcitates senibus 137
Oculorum signa mala 510
Oculis quæ appareant consideranda 492
Octogesimus dies indicatorius 216
Oeconomia quæ circa ægros fuerit consideranda 580

Oedem

Oedematis appellatio vniuersalis 490
Oedema quid 611
Oedematis nomen 448
Oleum dolores sanat 805. *& oleorum varietas ibid.* *& oleorum calidorum catalogus* 806
Omnium confusio 591
Operari simile in morbis curandis 524
Ophthalmiæ manantes 98
Ophthalmiam sanat diarrhœa 816
Ophthalmiæ humidæ 381
Ὥρας nomen 712
Ora anni 713. *& Oræa aqua* ibidem
Ὀρθρύωσεις quos vocant 622
Ὀργᾷν quid 525
Ὀργίσασθαι 520. *&* 525
Orthopnœa 312
Oscitationum curatio longa spiratio 529
Oscitatio propter quid 749
Ouilla caro parum nutrit 598

ΠΑχυσμὸς 645
Πάγκοινοι morbi qui 45
Pallescit quibus corpus 658
Palpebrarum adnascentia 381
Palpitatio vbi 253
Παρακόψαι 234
Παραλῆγειν *quid, & quid indicat* 149
Παραληρῆσαι 234
Παράληροι *de parua dementia* 375
Παραφρονῆσαι 234
Paraplegiæ quæ dicuntur 137
Paraplegia vnde 139
Paraplegia lethalis ibidem
Παρέλαλει 220
Παρενεχθῆναι 234
Παροχέτευσις 517
Parij ægri historia 403
Parotis coqui potest morbo toto non cocto 163
Parotides sine suppuratione permanentes, non semper prauum signum 158
Parotides vnde 74
Pars adfecta cũ suo naturali statu conferenda 166

Pars adfecta quando tollenda 279
Partes imbecillæ à robustioribus superfluitatem excipiunt 103
Pathemata quæ à Græcis 82
Pectoris communitas cum testibus 664
Pemphix apud Grammaticos Græcos 499
Pemphigώdees febres 498
πεπασμὸς 759
πεπασμὸς & πέψις quomodo differunt 226
πέψις quid ibidem
Periclis Abderitani ægri historia 424
περιστέλλεσθαι 440
Periodos quas vocat Hip. 656
Peripneumoniam vocant non febrem 181
Peripneumoniæ grauißimæ quæ sine sputis sunt 240
Peripneumoniā sanat pleuritis 816
περίσκληρα 485
Perspiratio propter quid 801
Peruersio oculorum quidnam indicat 510
Pestis quid 46. & 359
Pestis inter communes morbos 45
Pestilentes morbi 47
Phagedænas quas vocant 662
φαιὸν quid 352
Pharmacorum dolores mitigantiū cōsideratio 806
φύετρ 753
Philisci ægri narratio 199
φῦμα 615
Phymatum cōsideratio 558
Phymata vnde appellata 484
φυλακία 50
Phlegmones nomen in quibus 670
φλυκταινίδια 223
Phlyctænæ Græcis 498
φλογώσεις 670
φοξοὺς quos vocant 462
Prenitides vnde 148. & 110
Phrenitides quæ grauißimæ 439

Phre

Phrenitis periculosa & acuta 167
Phrenitidas & febres ardentes idem succus facit, & quomodo 147
Phrenitis non bene transit in lethargum 816
Phrenitici cum febre 380
Phreniticis conuulsiones 133
Phrenitici quare non sitibundi 379
Phrenitici cuiusdam historia 419
φρίνη & φρὶξ 651
φρικώδεις febres quæ 83
φρικῶδες 651
φροντίδες 765
φθινώδεις quos appellant 79. & 107
φθίσις vnde 371
Phthisis differentiæ duæ maximæ 79
φθορὰν quid appellāt 447
Picrocholi qui 395
Picrocholus humor dulcibus generatur 771
Pinguitudines vrinis incumbētes filis aranearum similes malæ 395
Pingue omne cæteris liquidis superfunditur 406
πίον pro dulci 802
πίονος nomine quid intelligatur 770
πυρίαν. id est, fotum adhibere 657
πυῤῥὸν quid 470
Pythionis ægri historia 233. & 414
πιτυρώδης 612
Pituitosi humores in frigidis temperaturis 735
πλάδον quid 106
Pleiadum occasus finis autumni 65
Pleias autumni terminus 94
Pleiades quando occidunt 48
Pleiadum occasus autumnum finit 93
πλήν 661
Pleuritis cruda 428
Pleuritides sine sputis grauißimæ 240
Pleuritidi moderatæ nō est mittendus sanguis 668

Pleuri

Pleuritis sanat peripneumoniam 816
Pleuritim vocant non febrem 181
Pleuritis non bene transit in peripneumoniam 816
Pluuia mollis 65. & *cui opponitur* ibid.
Pluuiarum differentiæ 94
Pluuiæ trifariã multæ 64
Pluuiæ multæ quando fieri dicuntur 94
Podagris quæ cõueniũt 805
πόνος *quid* 762
πόνος *pro gymnasio* 791
πόνους *quos vocat* 325
Porus in rene quomodo conflatur 472
Potus neruos lædit 441
Prædictio oĩs ĩmutabilis pꝑpetuò vel raro deficiẽs 489
Prænotio ex offerente 168
Prænotio ex cibis 167
Prænoti. ex morbo fiũt 167
Prænotiones ex ætate 171
Prænot. ex cõsuetudine 169
Præsensio ex ægro veniẽtiũ duobus fit modis 167
Prodicus quomodo febrientes necabat 656
πρόδρομοι 354
προφάσεις 207. & 360. & 290. & 72
Ex proprietate substantiæ agentia quæ 812
προτάσεις 774
προσφερόμενα 385
πρόσοδος 639
προσθεμένη 210. & 215
Pruritus quid indicat 174
πτερυγώδεις *qui* 612. & 79. & 625
Puer iuuene quomodo calidior 618
Pueri quare promptè conuelluntur 136
Puerorum adfectio 466
Pueris calculus vesicæ vnde 618. & 621
Pueris lapis in vesica 781
Pueris epilepsia q̃uo ætate permutatur ibidem
Pulmo à crebra respiratione resiccatur 789
Pulsuum vsus 796
Purgandis lauacro esse vtendum 286
Pus cùm generatur, dolores

sunt 279
Putredo vnde fit 350. & in pluuijs fit ibidem
Putredi. materia et cã 360
Quadragesimus dies iudicatorius 216
Quarta. piculo vocat 400
Quartana epilepsiam sanat 815
Quartana securissima 180
Quartana triplex in Eudemo 196
Quarti diei vis in acuto morbo 200
Quintana omnium febriũ pessima 190
Raritas cutis dẽsita tẽ facit vẽtris 591
Recidiuam quæ faciũt 542
Rectitudinis abscessuũ consideratio 530
Refectiõis omnis signũ 602
Regio facit ad morborum præsensionem 169
Relaxationes vnde 508
Relinqui aliquid in morbis bifariam est 541
Renes à ventre deriuant 517. & 472
Renũ curandorum forma 473 & deinceps.
Renum adfectorum consideratio 468
Respira. vsus 796. & 800
Respiratio amplior quid indicat 702
Res signa sequuntur 772
Rheumatum coctio 98
Reuellere quæ oportet 526
Rigor quando fit 164. vit. fit 142. quomodo prænoscatur 480. vbi 253. & ipsius principiũ vnde 788. & quomodo fit 147
Rigor febres ardentes indicat 149
Rigoris quem febris non sequitur causa 214
Rigores spontanei qui ibi.
Ρίψις oculorum quid indicat 510
Ροώδεις, id est, manantes inflammationes 98
Ructus sunt in spirituum genere 176
Sales quando adhibentur 811
Sanatio quid 760

Sanit

Sanitas quid 41.& 130. causæ 251. quid & quibus corrumpitur, seruatúrque 41. ex quibus 100
Sanitatis meditatio 721
Sanguis Vere abundat 43
Sanguinis color naturalis, & decolor 291
Sanguis non semper exquisitè rubet 471
Sanguis in venarum sectionibus qualis 462
Sanguinis eruptiões iuuare possunt & lædere 176
Sang. è naribus eruptio febriũ ardẽtiũ propria 141
Sanguinis eruptiones simpliciter dictæ è naribus intelliguntur 638
Sangui. eruptiones in febribus ardentibus vnde 144
Sanguinis eruptio febribus ardentibus propria 150
Sanguinem profundũt qui hircire incipiunt 638
Sanguinis per nares profusio quibus cognoscitur 134
Sanguis bifariã dicitur 573
Sangui. detractio ad quantitatem magnam 644
Sanguinis missionem quæ prohibent 667
Sanguis somni tempore ad interna effugit 787
Sanguis in pectorũ morbis quibus mittendus 666
Sanguis merus quis 291
Sanguis ichorosus qui 572
Sanguinolenta expuẽtibus qñ nõ mittitᵘʳ sanguis 666
Sãguinis penuria sequitur carnium frigiditas 728
Σκαρδαμύσσειν quid 745
Scarificationes profundas vbi facimus 559
Secamus quæ & vrimus ibidem
Sectio quibus confert 804
Sedis musculus calida humectatur & laxatur, & refrigeratus cõstrĩgit 784
Σελήνος 246
Semitertiana vnde 211
Semitertiana 84
Semitertianæ diuersæ 177
Exquisita 116. lethalis ei q hac maximè laborat 181
Magna & parua 545

Phrenitis periculosa &
cuta
Phrenitidas & febres
dentes idem succus fa
& quomodo.
Phrenitis non bene tr
it in lethargum
Phrenitici cum febre
Phreniticis conuulsion
133
Phrenitici quare non
bundi
Phrenitici cuiusdam
storia
φρένες & φρὶξ
φρενώδεις febres qua
φρενῶδες
φροντίδες
φθινώδεις quos app
79.& 107
φθίσις vnde
Phthisis differentiæ
maximæ
φθορὰν quid appellã
Picrocholi qui
Picrocholus humor
bus generatur
Pinguitudines vrin
cumbẽtes filis aran

& calfacit 707
...mnus multus immodicè
...urgatum exiccat 788
...nni effectus varij 708
...mnus sano non consuetus
...uid indicat 170
...nus ĩ aëre frigidiore 705
...nus quare concoquit 716
...nnus quare sitis læuis sa
...atio 721
...irandi difficultatis diffe
...rentiæ 527
...iritus animalis plurimũ
...d oculos promanat 732
...iratio longa oscitationũ
...ratio 88
...ritus in nobis talis qua-
... aëris conditio 68
...iritus sublimis qui 311
...ritus rarus 439.et 202
...radici morbi 46
...rêton quam anni partẽ
...ocant 50
...torum consideratio 538
...ta rotunda mẽtis alie-
...tionem indicant 660.
... eorum causa ibidem
...ta ex pulmone per odo-
...m probanda 767
Status talis, qualis est spiritus 68
Ex statu cœlestium prænotiones 169
Στινὸν & στιυυγρὸν Ionici quid 512
Στινυγρῶσαι quid 511
Sternutationes cephalalgias sanat. 811
Sternutamenta fiũt ex morbosa affectione 748
Stillatio omnis à naribus prauum signum 375
Stomacho humore mordenti adfecto quid agendũ 807
Stuporem quæ faciunt 808
Stupefaciunt quando medici 516
Stupor ad crus è renum dolore 472
Succorum plantarum doloribus cõferentiũ varietas & nomina 805.& 806
Sudores incoctis morbis non conferre 116
Sudores symptomatis ratione 388
Suilla caro multum nutrit 598

Ἰλλαίνειν 366
Ileus quid 333
Ileosæ historia 332
Inappetentiam accusantes, bonam diei partem abstineant 707
Incrassare bifariàm 636
Incrassata extenuanda 513
Indolētiā somnus facit 764
Indolētiam per sensus mortificationem 808
Indurationes propter quid 508
Infans quomodo expurgādus 792
Infrigidatiōis effectus 805. & quibus adhibetur deinceps
Insomnia quæ indicāt 173
Insidiari mentem habentis animalis est 280
In inspirationibus tum per os, tum per cutim geminū est auxilium 798
Insudare malum 149
Intermittentes febres quæ 177. & tres sunt omnes 389. quæ item 176
Interpretis officia duo 42
Intestinis mordaci humore adfectis quid agēdū 807
Inuētio duplex eorum quæ inuestigantur 197
Ὑπονοὸς 205
Per Ὑποχλώρους quos intelligimus 634
Ὑπεῖναι 392
Ὑπολάπαρος 205
Iracundi vnde 729
Iracundi pusillanimes 155
Iracūdiæ quibus vtiles 765
Iracundiam mouere frigidis naturis 762
Iracūdia cur mouēda ibid.
Iracundiæ consideratio 761
Iracundi animosis aduersi 155
Ἰσχνόφωνοι qui 152. & 154
Indicationes quatuor modis 195
Indicationes in accessionibus fiunt 193
Indicatoria statim à morbi initio apparere malū 149
Indicatio quādo fit in diebus paribus, & quando in imparibus 193
Iudicium Gal. de Prorrhetico

tico 301

Labor tum articulis, tum carnibus cibus 763

Lac ad lapides generandos idoneum 621

Lac temperat erosiones 811

Lachrymæ in acutis morbis quid indicant 491

Lac capræ quando subductorium 792

Λάβρον in pluuijs quid 95

Λαπαρὸν quid 269

Λαπάσσεσθαι 670

Lapis vesicæ sola manuali opera curatur 781

Lapis vesicæ pueris 467

Lapis tophaceus vnde 471

Lauacrum quid facit 786. à siti vindicat 797

Lauacra aquarum potabilium humectant 787

Lauandi helleborum suscepturi 786

Λεῖον quid 393

Λαίλαπας, id est procellas vocant Græci 96

Lemulæ iuxta oculos 492

Lemia oculorum 99

Lens ex contrarijs substantijs 790. & cuius naturæ ibid.

Lens frigidus cibus non est ibidem

Lenienda asperata 514

Leniuntur quæ 516

Λεπτόφωνοι 154

Λεπτυσμὸς quid 645

Lepus marinus deleterium 812

Lethalia quæ dicūtur ibid.

Lethargus ex frigidis humoribus 267

Lethargus cum periculo & acutus 167

Lethargum sanat phrenitis 816

Leuatis citra rationem non est fidendum 278

Leuconotus quis 352

Leucophlegmatiæ frigidæ temperaturæ 394

Libri epidemiorum Hipp. legitimi qui 445

Librorum epidemiorum cōpositiones 530

Lienis κατάῤῥοπος 575

Lienis intumescentis diffe-

rentiæ 577
Lienem induratum sanat hæmorrhoïs 577
Lienis scirrhus perniciosus & longus 167
Lienteriæ vnde 133. & 122
Lienteriam sanat ructus acidus 816
Lingua concolor dominantibus humoribus 773
Lingua humorum serũ indicat 769
Linguæ sapore humorũ dignotio 775
Linguæ sapor redundantiũ humorum ibidem
Lingua fuliginosa 435
Linguæ nigræ, albæ, virides, & rubræ vnde 771. & 772
Lingua locutionis instrumentum 154
Λυρῆσαι 234
Liquor, vide succus & humor
Lithargyrus deleteriũ 812
Λοχίων λίνυσις quid 412
M
Logiatri qui 296
Λυκαύγιας 458
Mammarum signa vterũ adfectum indicant 775
Mammarum oppletarũ & non oppletarum consideratio 654
Maniæ quid vocant 137
Mania sine febre 280
Maniæ 270
Μανῆναι 234
Maniæ figura indolẽs 622
Μαρασμὸν πυρετῶν quid vocant 648
Marasmus retorridus 284
Mas quare validior fœmina 590
Mares in dextris 731
Mares in vtero celerius mouentur fœminis 588. postea augentur tardius 589
Masculorum bona pars in dextris partibus concipitur 587
Maza parum nutrit 598
Meatuum apertio qualis 564
Medicinalis ars Medico dignior 740. & 743
Medicus qualis esse debeat 681

Med

Medicum quæ in ægrorum gratiã facere oporteat 679
Medicorum ingressus ad ægros gratiosi 685
Medico qui ministrãt 742
Medicinæ artem tria perficiunt 132
Medici quibus confiditur accipiendi 680
Medicus artis minister 133
Medicum æmulum naturæ simul & ministrum vult esse Hippo. 128
Medicus erga ægros quomodo se habere debeat 581
Medicis quæ turpissima 689
Medicamẽtosis esitatis virtus permanet 792
Melancholiam iuuant hæmorrhoïdes 779
Melancholici quare libidinosi 609
Melancholiæ signum 172
Μελετᾷν quid 131
Melidiæ ægræ historia 231
Menses pro ratione solis supputandi 53
Melancholiam sanat hæmorrhoïs 806
Menses Palæstinorum 54
Menses singulis nationibus sui 52
Μεθημερινοὺς febres quas vocant 177
Metonis ægri historia 219
Μύκητας quæ vulgus appellat 382
Μυδήσις 514
Milium frigidus cibus 790
Morborum differentiæ 355
Morborum naturæ medicæ 737
Morbi quibus dignoscũtur 165
Morbi ætatum, vide ætatũ morbi
Morbi alij à victu, alij à spiritu 43
Morbi vnde fiunt 346. in siccitatibus quales 347. et in pluuijs ibidem
Morborum causæ 251
Morbi redundant in singulis anni temporibus 60
Morbi peculiares regioni minus periculosi 170
Morbus regius qui prauus

uiu 142
Morbi quinam pro morbis fiant, scire est bonum 816
Morbi in imbribus, & in siccitatibus 61
Morbi non præsentiuntur, neq; inhibentur neq; curãtur, nisi cognita in nobis aëris intemperie 42
Morbi acutißimi qui 180
Morbi qui ætatis permutatione soluuntur 781
Morborũ diuturnitas vnde 129
Morborum transitus qui meliores 555
Morbus insidians quomodo 280
Morbi syntrophi in senecta desinunt 758
Morborum succeßiones vnde perniciosæ & iudicatoriæ 174
Morborum succeßiones ex locis alijs in alios, & quare 664
Morbosæ affectiones 748
Motus voluntarij offensæ vnde 253
Mulieris ex abortiuo fœtu ægræ historia 335
Mulieris à partu febrientis historia 343
Mulieris Thasiæ ægræ historia 410. & 431
Mulieres præter morbos quos vt viri patiuntur vterinis etiam laborãt 136
Mulieris geminas puellas enixæ historia 437
Mulieris cui suppressa erant menstrua curatio 644
Muliebrium vacuatio indicationem facit 145
Muliebrium retentio morbosa 412
Mutationes subitæ & repentinæ tutæ nõ sunt 640
NArcotico solo vtendum non est 808
Nasi formatio 463
Nasus acutus, concaui oculi 648
Natura quid 738
Natura citra disciplinam operatur 745
Natura artificiosa & animalis prospectrix 737

Natur

Naturæ inculpatæ similib⁹ iuuãtur 778. & intemperata. intẽperatis cõtrarijs ib.
Naturæ subseruiendũ 707
Natura morborum medica 737. & quomodo morbi curari dicantur per totum commentarium.
Natura duplex communis & propria 166. à quibus morborum dignotiones & præsensiones fiunt.
Naturæ percalidæ quid opus sit 792
Naturam percalidam in calido anni tempore in frigore cubile incrassat 719
Nephritis ætate declinantibus 467
Nephriticis quæ vsu eueniunt 468. & ipsorum curatio 473
Νευεμὲν quid 349
Neruorum principia 451
Nerui qui ad stomachum pertinent 261
Nicodemi Abderitani historia 430
Nimium omne naturæ inimicum 641
Νήπια παιδία 335
Νήπια qui dicantur 466
Νήπιον ἔμβρυον 339
Nonanam febrem non vidit Galenus 178
Nonana febris longa 189
Nubes quando alba, & ipsius varietas 68
Nubis nomẽ in vrinis 242
OBesi omnes tensa cute 646
Oculorum defluxus quomodo reuellendi 560
Oculorum doloribus quomodo occurrendum 807
Oculorum peruersio in morbis acutis malum 341
Oculus totius corporis dispositionem indicat 731
Oculorum cæcitates senibus 137
Oculorum signa mala 510
Oculis quæ appareant considerandа 492
Octogesimus dies indicatorius 216
Oeconomia quæ circa ægros fuerit consideranda 580

Oedematis appellatio vniuersalis 490
Oedema quid 611
Oedematis nomen 448
Oleum dolores sanat 805. & oleorum varietas ibid. & oleorum calidorum catalogus 806
Omnium confusio 591
Operari simile in morbis curandis 524
Ophthalmiæ manantes 98
Ophthalmiam sanat diarrhœa 816
Ophthalmiæ humidæ 381
Ὥρας nomen 712
Ora anni 713. & Oræa aqua ibidem
Ορϑῦπνοι quos vocant 622
Ὀργᾷν quid 525
Ὀργίσασθαι 520. & 525
Orthopnœa 312
Oscitationum curatio longa spiratio 529
Oscitatio propter quid 749
Ouilla caro parum nutrit 598

Παχυσμὸς 645
Πάγκοινοι morbi qui 45
Pallescit quibus corpus 658
Palpebrarum adnascentia 381
Palpitatio vbi 253
Παρακόψαι 234
Παραλέγειν quid, & quid indicat 149
Παραληρῆσαι 234
Παράληροι de parua dementia 375
Παραφρονῆσαι 234
Paraplegiæ quæ dicuntur 137
Paraplegiæ vnde 139
Paraplegia lethalis ibidem
Παρειλάλει 220
Παρενεχθῆναι 234
Παροχέτευσις 517
Parij ægri historia 403
Parotis coqui potest morbo toto non cocto 163
Parotides sine suppuratione permanentes, non semper prauum signum 158
Parotides vnde 74
Pars adfecta cũ suo naturali statu conferenda 166

Pars

Pars adfecta quando tollenda 279
Partes imbecillæ à robustioribus superfluitatem excipiunt 103
Pathemata quæ à Græcis 82
Pectoris communitas cum testibus 664
Pemphix apud Grammaticos Græcos 499
Pemphigώdees febres 498
πεπασμὸς 759
πεπασμὸς & πέψις quomodo differunt 226
πέψις quid ibidem
Periclis Abderitani ægri historia 424
περικατάλληλο 440
Periodos quas vocat Hip. 656
Peripneumoniam vocant non febrem 181
Peripneumoniæ grauißimæ quæ sine sputis sunt 240
Peripneumoniã sanat pleuritis 816
περίσκληρα 485
Perspiratio propter quid 801
Peruersio oculorum quidnam indicat 510
Pestis quid 46. & 359
Pestis inter communes morbos 45
Pestilentes morbi 47
Phagedænas quas vocant 662
φαιὸν quid 352
Pharmacorum dolores mitigantiũ cõsideratio 806
φύτλ 753
Philisci ægri narratio 199
φῦμα 615
Phymatum cõsideratio 558
Phymata vnde appellata 484
φυλακία 50
Phlegmones nomen in quibus 670
φλυκταινίδια 223
Phlyctænæ Græcis 498
φλογώσεις 670
φοξοὺς quos vocant 462
Prenitides vnde 148. & 110
Phrenitides quæ grauißimæ 439

Phre

Phrenitis periculosa & acuta 167
Phrenitidas & febres ardentes idem succus facit, & quomodo 147
Phrenitis non bene transit in lethargum 816
Phrenitici cum febre 380
Phreniticis conuulsiones 133
Phrenitici quare non sitibundi 379
Phrenitici cuiusdam historia 419
φρίκη & φρὶξ 651
φρικώδεες *febres quæ* 83
φρικῶδες 651
φροντίδες 765
φθινώδεας *quos appellant* 79. & 107
φθίσις *vnde* 371
Phthisis differentiæ duæ maximæ 79
φθορὰν *quid appellãt* 447
Picrocholi qui 395
Picrocholus humor dulcibus generatur 771
Pinguitudines vrinis incumbẽtes filis aranearum similes malæ 395
Pingue omne cæteris liquidis superfunditur 406
πίον *pro dulci* 802
πίονος *nomine quid intelligatur* 770
πυρίαν: *id est, fotum adhibere* 657
πυῤῥὸν *quid* 470
Pythionis ægri historia 233. & 414
πιτυρώδεας 612
Pituitosi humores *in frigidis temperaturis* 735
πλάδον *quid* 106
Pleiadum occasus finis autumni 65
Pleias autumni terminus 94
Pleiades quando occidunt 48
Pleiadum occasus autumnum finit 93
πλὴν 661
Pleuritis cruda 428
Pleuritides sine sputis grauissimæ 240
Pleuritidi moderatæ nõ est mittendus sanguis 668

Pleuri

Pleuritis sanat peripneumoniam 816

Pleuritim vocant non febrem 181

Pleuritis non bene transit in peripneumoniam 816

Pluuia mollis 65. & *cui opponitur* ibid.

Pluuiarum differentiæ 94

Pluuiæ trifariã multæ 64

Pluuiæ multæ quando fieri dicuntur 94

Podagris quæ cõueniũt 805

πόνος *quid* 762

πόνος *pro gymnasio* 791

πόνους *quos vocat* 325

Porus in rene quomodo conflatur 472

Potus neruos lædit 441

Prædictio oĩs ĩmutabilis perpetuò vel raro deficiẽs 489

Prænotio ex offerente 168

Prænotio ex cibis 167

Prænoti. ex morbo fiũt 167

Prænotiones ex ætate 171

Prænot. ex cõsuetudine 169

Præsensio ex ægro veniẽtiũ duobus fit modis 167

Prodicus quomodo febrientes necabat 656

πρόδρομοι 354

προφάσεις 207. & 360. & 290. & 72

Ex proprietate substantiæ agentia quæ 812

προτάσεις 774

προσφερόμενα 385

πρόσοδος 639

προσδεμένη 210. & 215

Pruritus quid indicat 174

πτερυγώδεις *qui* 612. & 79. & 625

Puer iuuene quomodo calidior 618

Pueri quare promptè conuelluntur 136

Puerorum adfectio 466

Pueris calculus vesicæ vnde 618. & 621

Pueris lapis in vesica 781

Pueris epilepsia quo ætate permutatur ibidem

Pulmo à crebra respiratione resiccatur 789

Pulsuum vsus 796

Purgandis lauacro esse vtendum 386

Pus cùm generatur, dolores

funt 279
Putredo vnde fit 350. & *in pluuijs fit* ibidem
Putredi. materia et cã 360
Quadragesimus dies iudicatorius 216
Quarta. piculo vocat 400
Quartana epilepsiam sanat 815
Quartana securißima 180
Quartana triplex in Eudemo 196
Quarti diei vis in acuto morbo 200
Quintana omnium febriũ peßima 190
Raritas cutis dẽsita tẽ facit vẽtris 591
Recidiuam quæ faciũt 542
Rectitudinis abscessuũ consideratio 530
Refectiõis omnis signũ 602
Regio facit ad morborum præsensionem 169
Relaxationes vnde 508
Relinqui aliquid in morbis bifariam est 541
Renes à ventre deriuant 517. & 472
Renũ curandorum formã 473 & *deinceps.*
Renum adfectorum consideratio 468
Respira. vsus 796. & 800
Respiratio amplior quid indicat 702
Res signa sequuntur 772
Rheumatum coctio 98
Reuellere quæ oportet 526
Rigor quando fit 164. *vñ fit* 142. *quomodo pranoscatur* 480. *vbi* 253. & *ipsius principiũ vnde* 788. & *quomodo fit* 147
Rigor febres ardentes indicat 149
Rigoris quem febris non sequitur causa 214
Rigores spontanei qui ibi.
Pίψις *oculorum quid indicat* 510
Poώδεις, *id est, manantes inflammationes* 98
Ructus sunt in spirituum genere 176
Sales quando adhibentur 811
Sanatio quid 760

Sanitas quid 41. & 130. *causæ* 251. *quid & quibus corrumpitur, seruatúrque* 41. *ex quibus* 100
Sanitatis meditatio 721
Sanguis Vere abundat 43
Sanguinis color naturalis, & decolor 291
Sanguis non semper exquisitè rubet 471
Sanguis in venarum sectionibus qualis 462
Sanguinis eruptiões iuuare possunt & lædere 176
Sang. è naribus eruptio febriũ ardẽtiũ propria 141
Sanguinis eruptiones simpliciter dictæ è naribus intelliguntur 638
Sangui. eruptiones in febribus ardentibus vnde 144
Sanguinis eruptio febribus ardentibus propria 150
Sanguinem profundũt qui hircire incipiunt 638
Sanguinis per nares profusio quibus cognoscitur 134
Sanguis bifariã dicitur 573
Sangui. detractio ad quantitatem magnam 644
Sanguinis missionem quæ prohibent 667
Sanguis somni tempore ad interna effugit 787
Sanguis in pectorũ morbis quibus mittendus 666
Sanguis merus quis 291
Sanguis ichorosus qui 572
Sanguinolenta expuẽtibus qñ nõ mittit̃ sanguis 666
Sãguinis penuria sequitur carnium frigiditas 728
Σκαρδαμύσσειν quid 745
Scarificationes profundas vbi facimus 559
Secamus quæ & vrimus ibidem
Sectio quibus confert 804
Sedis musculus calida humectatur & laxatur, & refrigeratus cõstrĩgit 784
Σεληνὸς 246
Semitertiana vnde 211
Semitertiana 84
Semitertianæ diuersæ 177
Exquisita 116. *lethalis ei q hac maximè laborat* 181
Magna & parua 545

Septimanam febrẽ non vidit Galenus 178
Septimana febris lõga 189
Σκιῶδες *quid* 352
Σκῆψις 663
Σκορδονισμὸς 753
Siccitates imbribus salubriores 61. & 139
Signa lethalia per totam
Sileni histor. 202. & 203
Sileni ægri historia 202
Similitudines cognoscendæ 633
Similarium in animãtibus corporum genera tria 450
Similia similibus non sanantur 657
Σιμότης 464
Sympathia tribus mo. 260
Symptomatis ratione quæ fiunt 383
Σύναγμα *quid* 618
Sinceræ excretiones 84
Sinciput quare adficitur vtero adfecto 453
Συνεκχυμοῦν *quid* 519
Συνεχοῦς & Διαλείποντ☉ *nomine veteres bifariam vsi* 176
Συνόχους *quas febres appellant* *ibidem*
Singultus quare 749
Συνσφίγγειν *quid* 765
Syntrophi morbi in senecta desinunt 758
Sitis absentia vnde 283. & 268
Sitis à somno facilè placatur 721
Sitim in febrientibus quæ arcent 659
Sitis à lauacro quomodo vindicatur 797
Non sitire quando signum priuationis sensus 150
Σῖτ☉ *cibus duo indicat* 469
Siræon quibus confert 802. & 811
Sirius quid 50
Solstitia fiũt eodẽ tẽpore in plagis omnibus 49
Solutio triplex 759
Somnus refrigerat febriẽtes ex humorum putredine quomodo 707
Sõnus indolentiã facit 764
Somnus perpetuò humectat

& calfacit 707
Somnus multus immodicè purgatum exiccat 788
Somni effectus varij 708
Somnus sano non consuetus quid indicat 170
Sõnus ĩ aëre frigidiore 705
Sõnus quare concoquit 716
Somnus quare sitis leuis sanatio 721
Spirandi difficultatis differentiæ 527
Spiritus animalis plurimũ ad oculos promanat 732
Spiratio longa oscitationũ curatio 88
Spiritus in nobis talis qualis aëris conditio 68
Spiritus sublimis qui 311
Spiritus rarus 439.et 202
Sporadici morbi 46
Sporêton quam anni partẽ vocant 50
Sputorum consideratio 538
Sputa rotunda mẽtis alienationem indicant 660. & eorum causa ibidem
Sputa ex pulmone per odorem probanda 767
Status talis, qualis est spiritus 68
Ex statu cœlestium prænotiones 169
Στιὸν & στιννγρὸν Ionici quid 512
Στιννγρῶσαι quid 511
Sternutationes cephalalgias sanat. 811
Sternutamenta fiũt ex morbosa affectione 748
Stillatio omnis à naribus prauum signum 375
Stomacho humore mordenti adfecto quid agendũ 807
Stuporem quæ faciunt 808
Stupefaciunt quando medici 516
Stupor ad crus è renum dolore 472
Succorum plantarum doloribus cõferentiũ varietas & nomina 805.& 806
Sudores incoctis morbis non conferre 116
Sudores symptomatis ratione 388
Suilla caro multum nutrit 598

Suillæ assæ quare dādæ 601
Suum natura 730
Superum & inferum quomodo sumuntur 532
Suppurantia cuius naturæ esse debeant 558
Surditas deiectionibus biliosis repressis 208
TAbes quomodo fit 357. *vnde* 359
Tabidi qui 79
Taciturnitas in ægris quid indicat 172. & 439
Temperatis temperata salubria 100
Terminthi 662
Terræ profundum quare hyeme calidum 703
Tertianarū differentiæ 185
Tertiana quæ 116
Tertianæ quando fiunt 110
Tertianarū cōsideratio 547
Tertianæ exquisitæ indicatio 196. & 167
Testes quādo augētur 730
Testes in pubertate signum gerunt generandorum masculorū, vel fœminarū 731
Testiculorum tumor ob tusses, & ipsorum cum pectore communitas 664
Tetani quomodo fiunt 255
Theriaca quæ dicuntur 812
Θερμοκοιλίους *quos vocat* 725
Theorematum veritas vnde iudicatur 47
Thorax quando laborat 67
Thoracis ad genitalia societas 413
Timores symptomata deassatæ bilis 149
Tinesmus quomodo fit 398
Tinesmi qui 122
Tolli sursum caliditatis est 69
Tonitrua vnde 714
Tralationes sensim facienda 553
Tremoris consideratio 253. *causa* 234
Τριταιοφυεῖς *febres* 546. & 114. *quare ita dicuntur* 116. & *vnde* 117
Τρώματα *quæ vocat Hippocra.* 766
Τρόπους *febrium quos vocat* 191

Τρόπους

Τρόπος: in duobus significatis 171
Turgere in phymatis 558
Tussis vnde 749. & 150
Tussis sicca 536. & tusses ferinæ & quæ & cã 75
Tussiculæ ex quibus 150

Vacuatio omnis sensim fiat & quare 600
Vacuare quã expedit 600 & quando 61
Vapor calidus per cutim ex frigido spiritu expirato signum lethale 217
Varices quæ curant 816
Vasorum impuritas 591. & 592
Vellicationes quid indicant 174
Venæ sectio brachij sanguinis cohibet eruptionẽ 635
In venarum sectionibus qualis sanguis 727
Venæ post aures insignes 777
Venæ mutuam habẽt apertionem 799
Ventris citra culpã coquentis signum 726
Ventris segnities omnium confusionem facit 592
Venter à renibus deriuat 517
Ventre ob intemperiem non coquẽte quæ accidunt 725
Ventris segnities 591
Ventris densitudo 591
Ventris exiccationis causæ 785
Ventre calidis fortes, tũ potiones, tum cibi turbatorij 777
Venus quid faciat 441. eius effectus 785. ipsius consideratio 261
Venus quos iuuat & quos non 781
Venus resiccat 778
Venus pituitosis confert robusta virtute 778. & quare 778
Ver temperatissimum 43
Verba multa in ægris quid indicant 437
Vergiliarum occasus facit æquinoctium 59
Vergiliarum significatio-

nes duæ 16
Vetustum quid 477
Ex Victus ratione prænotiones 170
Ad Victum instituẽdum præsagum esse oportet 192
Vigiliæ duobus modis 717. vnde 358
Vigilia appetentiam prouocat 716
Vigiliæ semper malæ 149
Vigiliæ ex calidis humoribus 268
Vigiliæ quare digerũt 717
Vigilia borrhon, id est, vorax 716
Vigilanti exteriora calidiora, interiora frigidiora 702
Vigilãdum diutiùs dormituris profundè 707
Vinũ aqua melius in quibus 717
Vinum in vase non operculato cito acescit 698
Vinum meracius quos iuuit 809
Vinum merum quare sitim prouocat 722
Vinum ægrotantes plurimos offendit 717
Vinũ calidũ quos iuuat 811
Vinorum omniũ potus neruos ferit, & mentem 332
Virginis Larissææ historia 433
Virginis Abderitanæ historia 425
Virtus quot modis imbecilla 254
Viscera qñ frigidiora 764
Vitalis facultatis substantia 627
Ex vitæ institutis prænotiones 170
Vitreus humor infert quotidianam 480
Vlcera quibus erũpunt 791
Vomitus symptomatis ratione 388
Vomitus an vomitu curetur 523
Vomitus & colo & renc laborantibus commune symptoma 470
Vomitiones æruginosæ vnde 134. & 470
Vocis instrumenta quæ 154

Vox tenuis 154. & gracilis, & aspera vnde & quare clangosa & rauca 371
Vocis transmutatio quando fit 730
Voces vnde malè adficiuntur 356
Vrina serũ sanguinis 271
Vrinæ subiugalium quomodo fiunt 773
Vrina cibo & potui concolor 772. & quando 773
Vrinæ tenues & decolores incoctæ 212
Vrinæ tenues morbi crudi indices 282
Vrinæ tenues aquosæ 145
Vrinæ tenues & boni coloris 225
Vrinæ crassæ & turbidæ 271
Vrinarum craßities generandis lapidibus idonea 619
Vrinæ oleosæ malæ 227. & earum consideratio 405
Vrinæ malæ quæ 85
Vrinæ quando colliquatarum partium colorem indicant 773
Vrinas turbari 358
Vrinæ returbatæ 227. & 272
Vrinæ rubræ quid indicant 269. & subrubræ 270
Vrina cruenta quare redditur 472
Vrinæ nigræ 150. & paucæ quare ibidem
Vrinæ coctæ & incoctæ alternis apparentes quid indicant 218
Vrinæ excretio vesicã duas ob causas proritat 243
Vrinæ symptomatis ratione 388
Vrinæ genituram repræsentantes 571
Vrinæ in affectu respiratoriorum organorum quare inspiciendæ 333
Vrinarum retentiones vnde fiunt 481
Vstio quibus adhibetur 804
Vterum quomodo neruosum appellemus 450

Vterus duos sinus habet 587
Vulua à ventre & vrinis deriuat 517
Vuluæ muliebris considera-tio, & affectionum ipsius causæ 452
Vxoris Dromeadæ historia 226
Vxoris Oecæti ægræ historia 338
Vxoris Epicratis historia 212
Vxoris Philini histo. 209
Z
Ophõdes quid 352

FINIS.

GALENI IN PRIMVM EPIDEMIORVM HIPPOCRATIS, COMMENTARIVS PRIMVS.

***

Principium desideratur.

SOLVM *hos qui in vnoquoque cœli statu fiunt morbos præsentiet, victúmq; immoderatis ambientis nos aëris cōstitutionibus contrariū excogitās, ne fiāt prohibebit. Nā si proba primorū corporū tēperies est sanitas, quòd aëris intēperies eā quidē corrūpet, seruabit autē cōtraria viuēdi ratio, cōstat omnibus. Qua efficitur ratione, vt Quintus perperā tum hos libros*
›› *exponat, tum aphorismos, vbi ita scriptū est: Ex*
›› *anni tēporibus si hyems quidem sicca & borealis*
›› *fuerit, Ver verò pluuium & austrinū, vt æstate*
›› *fiant febres acutæ, oculorū inflāmationes & dy-*
›› *senteriæ est necesse. Nempe sola experiētia id cognitū esse ait Quintus citra causæ rationē: Primū quidē in hoc peccans quòd causas eorū quæ in his scripsit Hipp. rursum is in libro de aëre, aquis & locis scripserit. adde quòd cōmodam doctrinæ partē transgressus sit. Nā cū interpretum officia*

duo

duo sint, vt & libri mētem seruent, & lecturos libri cōmentarios cōmoda doceant, munus vtrūq; Quintus labefactauit, dum redundantes morbos cum ambientis nos aëris statu nō coniungit, cum ipse Hipp. eos coniungi velit: quippe cū neq; futuros præsentire, neq; qui formantur inhibere, neq; factos sanare valeamus, nisi affectionem quā in corporibus nostris parit aëris intēperies cognouerimus. Nā & hoc pacto cæterorū statuū omnium prætermißorū facultates ipsi reperire valebimus. Quisquis igitur ex epidemiorum lectione iuuari insigniter ad artē voluerit, vt librum de hominis natura, librū de aquis, aëre & locis, aphorismos itē illos, in quibus de anni tēporibus tractat, & statuū tum calidorū tū frigidorū, tū siccorū, tum humidorum facultates docet, voluat antea satius est. Necessaria quoq; est & ipsa prognostici lectio. Nam quæ in libris epidemiorū scripta sunt, quæ in prædictis libris docuit cōsequūtur. Primū quidē quòd calidi, frigidi, sicci & humidi symmetria quędā primorū corporū sit sanitas. Secūdū quod Ver temperatißimū sit, vbi propriam seruauerit temperaturam: atq; ob id in eo abundat sanguis, quomodo & æstas quā cōueniat calidior & siccior, & hyems humidior frigidiórq;, atq; inæqualis tēperamēto autūnus, in quo siccū & frigidum euincāt. Quòd item in horū vnoquoq; vnus quidam abundet humor, vt paulò antè dixi. Ab his tum tertiū, tū quartū in libris declarata sunt. In

libro

libro quidem de hominis natura quòd morborum epidemiorum causa aër sit. In prognostico verò quę'nam signorū per quę prænotiones fiunt cuiusq; facultas sit, tum in qualitate, tum magnitudine. Te autē qui præsentem tractationem lecturus sis promptā omniū quę percurri memoriā habere volo, vt facilius quę à nobis dicentur consequi valeas. Primum verò omnium librum de aquis, aëre & locis te legisse velim, vt non ignores in quibus ipse Hipp. scripsit: & sum approbaturus morborū genera quę ab Hippo. ita distincta percurri, qui morborū epidemiorū causam aërem pronuntiat. Is siquidē in libro de hominū natura hæc scribit: Morbi autē fiunt alij quidem à victu, alij verò à spiritu, quem intrò trahētes viuimus. Dignoscētur aūt vtriq; hoc pacto. Vbi ab vno morbo quidē multi eodē tempore capiantur, causam illi ferre acceptā oportet quod est cōmunissimū, & quo maximè omnes vtimur: est aūt quod respirando attrahimus. Cōstat siquidē victū cuiusq; nostrū causam non esse vbi morbus omnes deinceps lædat, tū iuuenes tū senes, tū mulieres tū viros æquè, tū vinibibos tū aquæ potores, tum qui mazā tū qui panē esitant, tū qui parum defatigantur tū qui multū laborant. Cùm itaq; quolibet victu vsi homines morbo eodē capiūtur, victus ratio causa non erit. At vbi morbis differentibus diuersíq; generis homines conflictantur, suus cuiq; victus sanè in causa est. In qua dictione

Hipp.

Hipp. cœli conditionẽ & non victũ causam esse ait morborũ epidèmiorũ omniũ. Potest quoque & aquæ prauæ potus interdũ morbũ omnibus cõmunẽ efficere, quod in castris euenisse narratur: quomodo & ob loci naturã, vbi omnes loco eodem castrametati permãserũt. id q̃d & interdũ euenire põt ex barathris Choronijs appellatis, ex quibus spiritus abũdè spirãt. Hæc ergo quòd aërẽ inficiãt morbos ideo procreant, atq; in præscripta oratione cõtinebũtur. Morbi verò quos tũ cibi tũ potus generãt, & rari & cognitu faciles existũt. In libro itaq; de hominis natura causam eius quod multis morbis est cõmune cõmunissimã appellauit. In libro verò de aquis, aëre & locis morbos qui ita generãtur, παγκοίνους.i. omnibus cõmunes vocauit, ita inquiẽs: De vnoquoq; aũt tẽpore procedente & anno, & qui cõmunes omnibus morbi vrbem sint correpturi vel æstate vel hyeme, prædicere poterit. & rursus nõ multò pòst: Hi quidem morbi peculiares ipsis sunt, & siquis omnibus communis morbus prabẽderit ex anni tẽporũ mutatione, hi & illius participes erunt. & pòst paulò: Viris hi morbi peculiares sunt & vernaculi: Itẽ seorsum, siquis morbus cõis ex mutatione prehenderit. Deinde paulò infra: Morbus his ipsis cõnutritus est tũ æstate tũ hyeme. Nec te latuerit dictũ hoc tum in præscriptis orationibus tum in alijs quibusdam Hipp. libris, morbos eos qui perpetuò locũ aliquẽ occupãt, quos & endemios vocãt, censeri inter eos qui multis cõmunes existũt, quomodo & pestem

ipsā. Nēpe & pestis inter cōmunes annumeratur morbos, vt & ipse de ea re in libro de victus ratione in morbis acutis antea ostendit his verbis:
›› Cū.n. nullus cōmunis pestiferi morbi modus pas-
›› sim grassatus fuerit, sed morbi differētes diuersi-
›› que generis & similes fuerint, plures ab his quā
›› ab alijs omnibus intereūt. Patet itaq; morbos qui & malignissimi sunt, & pestilētes vocātur, ex morborū epidemiorū genere esse: epidemios verò ex genere tū plebeiorū, quos πανδήμους vocant, tū oībus cōmuniū (παγκοίνους appellāt) qui morbis differētibus & nō eiusdē generis è regione opponuntur. Hos quidem ita appellauit. Pestes verò appellant homines omnes, agnoscúntq; morbos pernitiosos esse, mittúntq; sæpius ad Deos de eorum curatione consultum. Non hic autem solum verbum ἐπιδημήσειν. i. passim grassari scripsit: re-
›› rūetiā & in prognostico, ita inquiēs: Oportet au-
›› tē & morborū perpetuò ἐπιδημεόντων. i. passim
›› grassantiū motus celeriter animaduertere, & tē-
›› poris statū nō ignorare. Interdū aūt & in libris epidemiorū dicentē ipsum audire potes: ἐπεδήμησαν. i. passim grassatæ sunt & dysenteriæ in æstate multæ. Interdū autem & aliæ febrium passim grassatæ sunt formæ: Nempe & alijs morbus epidemius erat. Scriptū est aūt hoc nomē ἐπιδήμιον in quibusdā exemplaribus per quatuor syllabas, vltima cōstante ex μ. ο. & ν. in alijs per quinque, ex μ. & ι. postrema syllaba ex ο. & ν. Hæc ad ea quæ dicentur memoria tenenda sunt, nosséq; debes

morbos quosdam communiter multos prehendere, qui cõmunes dicuntur: alios vnũquenq; priuatim inuadere, & sporadicos appellari. Inter cõmunes autẽ alij endemij sunt, alij epidemi & epidemij tũ quatuor, tũ quinq; syllabis (vt dictũ est) scripti & dicti: atq; horũ qui perniciosissimi sunt, pestilentes appellantur, causam ex statu cœli habẽtes & ipsi, quomodo morborũ epidemiorũ genus vniuersum. Scripsit autẽ & nonnullos pestilentes status, vt eos de quibus in tertio agit, ꝓpterea quòd & genere pestis epidemius morbus sit. Hoc itaq; definiuisse priusquàm particularia explicentur cõmodius duxi: à quibus ad eorum explicationem iã me conuertã, si hoc vnũ adhuc præmonuero, quod & in multis à me scriptis libris prius dixi, eos qui artẽ Medicã perdiscere volunt, vt sese in particularibus quæ sensu percipiũtur exerceãt, cohortatus, vt quæ antè vniuersaliter didicerũt dignoscãt. Particularia aũt huiuscemodi principiũ vniuersalis cõstitutionis esse experimentarij asserũt: aiuntq; vera illa esse theoremata quæ constitutionẽ ab experiẽtia sunt assecuta. Nobis autẽ nõ ita. Sed theoremata multa ratione inuẽta esse videtur, quorũ tñ veritas indicatur, cũ ab experimentis tum stabilitur tũ fidẽ accipit. Hoc sanè pacto & his quæ de Solis & Lunæ magnitudine & distãtia demõstrata sunt, fidẽ nõ adhibentes, vbi à sensibilibus multis alijs quæ per Geometricas rationes reperiũtur, & ab eclipsibus singularibus

gularibus stabiliũtur, certiorem habemus fidem. Vbi itaq; quæ per Geometriã demõstrata sunt, si à singulariter cõtingentibus maiorẽ fidem accipiãt, atq; credibiliora reddita cõpertiorem habeãt veritatem: sanè multò magis quæ in Medica disciplina vniuersaliter dicta sunt, certiorem habebunt fidem si particularibus stabiliantur exẽplis, quæ in epidemiorum libris fieri ostendemus.

PRIMVS STATVS. HIPP.

IN Thaso autumno circiter æquinoctium, & sub vergilias, pluuiæ multæ, continuæ, molles, vt in australibus.

GALENVS.

Quòd loci quidẽ cognitio ad morborũ epidemiorũ doctrinã vtilis existat postea dicã. Nunc verò orationẽ ipsam prius explicabo autoris inquiẽtis: Circiter æquinoctium, & sub vergilias. Nẽpe cũ duo existant æquinoctia, duæ quoq; & vergiliarũ significationes: quódnã ex illis dicat ipse ostendit adiecto orationi autumno. Nam fit Vere alterũ principiúmq; ipsius in nostro tractu ipsum est, veluti etiã & finis omnis sub vergiliarũ ortũ. Reliquũ æquinoctiũ autumno fit, atq; πλειάδων. *i, vergiliarũ occasus. Nihil autem intererit dicere vel numero plurali* πλειάδας, *vel singulari* πλειάδα. *Occidunt autẽ pleiades ab æquinoctio autũnali diebus circiter quinquaginta, non ignorantibus nobis. tum æquinoctia tum solstitia fieri vno tẽpore in plagis omnibus quã-*

quam stellarũ tum ortus tum occasus euarient, vsqueadeo vt in singulis regionibus proprij sint. Solis siquidẽ his qui sub eodẽ habitãt polo cõmunes astrorũ sunt tũ ortus tum obitus. Vocant autẽ Græci vt plurimũ quod ex multis stellis constat, ἄστρον, vt vel Taurũ totũ, vel aliquam eius partẽ, vt suculas & vergilias. Interdũ tamen singulos ἀστέρας .i. singulas stellas astrũ .i. sidus appellãt nõ tñ quòd ex multis cõstat ἀστέρα .i. stellã appellãt, sed ἄστρον solùm ita: vnã verò qualibet non stellã solùm, vt dixi, sed etiam astrum, vt Arcturũ, caniculã, luciferũ, hesperũ. Est autem ad præsentẽ omnẽ tractationem maximè necessariũ, vt in singulis regionibus in quibus sanaturi sumus, singulorũ astrorũ tum ortus tum occasus cognoscamus, propterea quòd anni tempora circũscribant. verbi gratia: Veris in Hellesponti parallelo principium quidem est quod eo tempore est æquinoctium: Finis verò pleiadum exortus, qui & æstatis initium existit. quomodo æstatis terminus, principiúmq; autũni Arcturi ortus, qui autumnale æquinoctium diebus quasi duodecim antecedit. Vergiliarum præterea occasus principium hyemis est, & finis autumni. Mirari verò arbitror, licet, causáq; peruestigãda cúrnam prætermissus sit stellæ cuius maxima est significatio, ortus qui in æstate fit, videlicet Sirij: vocant autem ipsum quidam & canem totius astri appellatione abutentes. Canis siquidem totum astrum

est.

est. Serius verò in ipsius mãdibula existit: quem rectè quispiam προκύων, id est, ante canem appellauerit, & non canem. Stellæque huius ortus principium eius anni partis est, quam oporam vocant. Atq; qui annum in septem diuidunt tempora; æstatem ad canis vsq; exortum extendunt. Hinc verò ad Arcturum vsq; oporam. Iidem & hyemem in tres secãt partes, medium quidem huius quod circa solstitium est tempus facientes: de extremis verò prius quidem σπορητὸν, id est, sementẽ, posterius verò φυταλιὰν, id est, tẽpus inserendi: Nam ita ipsi appellant. Præterea in libro de septimanis inscripto Hippocratis reperitur annus in septem diuisus partes, insectis quidem manantibus autumno & Vere, sectis verò hyeme quidem in tres partes, æstate verò in duas. Vtilis itaq; talis diuisio vt progressus sermonis declarabit. vtilis quoq; & in quatuor anni tempora vt & hoc prius demonstrauit Hippocrates, vbi & humorum victorias & morborum species docet, & quæ ambo hæc præcedunt aëris temperamẽta: quæ quatuor habent differentias. Nempe & si quammaximè bifariã tempus pleiadũ ortus atq; Arcturi mediũ quis secuerit, certè cõmune est omni vt siccius mediocri existat: veluti & hyemi, vt tum frigidior tũ humidior sit, et si trifariã diuidatur. Magnæ igitur temperamẽti differentiæ quas & generales cõuenienter quis dixerit, annũ in quatuor diuidũt tempora siue genere siue spe-

cie inuicem differentia vocare quispiã voluerit: singulæ verò harũ differentiarũ sectiones æstatẽ quidẽ in duas, hyemem verò in tres secant partes. Horũ verò anni temporũ diuisio ex ipsorũ tempore efficitur. Tẽpus enim quod vergilias Arcturúmq; interiacet quatuor menses continet: plures verò quàm quatuor quod vergiliarum occasus & verni æquinoctij medium existit. Veris tempus ne integros quidem duos habet menses. quo factum est, vt iure insectum permãserit. Ob id verò autumni tempus quàm veris maius fuit. In menses siquidẽ duos extenditur: hoc verò magnitudine ab hyemis æstatísque tempore multum vincitur. Hæc itaq; semel quidem à me dicta ad omnẽ sequentẽ orationẽ memoria teneantur, vt facilè ad singularũ nationũ menses qui alij alijs sunt, transire valeamus. Nã si omnes eosdẽ haberent, nõ Arcturi vergiliarúmq; & canis & æquinoctiorum & solstitiorũ meminisset Hipp. sed dicere ipsi satis fuisset, apud Macedonas, verbi gratia, mense incipiente quem Dion appellãt, talem quendã statũ fuisse in ambientis nos aëris temperamento. Nunc verò quoniam Dion solis quidẽ Macedonibus manifestũ sit, Atheniẽsibus verò aliísq; hominibus nõ manifestũ, volueritq; Hipp. nationibus prodesse omnibus, satius ipsi fuit nullo memorato mense solum scribere æquinoctium. Nempe æquinoctium vniuersitatis quædã res est: Menses verò singulis nationibus

sui

sui & peculiares. Qui ergo astronomiæ est imperitus, sciat Hippo. non parere, qui ad eam ob dictorum vsum cohortatur. Quoniã verò tum liberale, tum benignũ esse videtur eiusmodi imperitis opem ferre, tentabo ego quatenus licebit auxilium subscribere, cui si mentem attendant, omniũ horum quæ dicit Hippo. commoditatẽ accipiant. Anno igitur toto in quatuor tẽpora secundum æquinoctia & solstitia diuiso, vbi semel quis astronomicũ virum interrogauerit in quibúsnam mẽsibus quatuor hæ partes fiant, deinde eas perceperit, poterit & cũ de alijs singulorũ astrorum significationibus audierit, voti esse compos, vt si exempli gratia, antea didicerit autumnale fieri æquinoctiũ in principio mensis Dij, sciet hyemale solstitiũ fieri quasi post menses tres in principio mensis καθ' ἑκάστον πέρατ☉: Nẽpe hoc nomine apud Macedonas significatur. Vernũ autẽ æquinoctiũ principio Artemisij: veluti æstiuũ solstitiũ initio Loi. Nempe in principijs dictorũ mensiũ tũ æquinoctia, tum solstitia apud Macedonas fiunt: qui ita numerant, & appellant menses. Qui igitur hæc didicerit, priúsq; Arcturũ quidẽ ante autũnale æquinoctiũ quasi duodecim diebus exoriri didicerit, vergilias verò occidere post dies circiter quinquaginta, sciet quoto mẽsis cuiusq; die sidus vtrunq; exoriatur: obseruabítq;, si Hipp. sequi velit, qualísnã fuerit temperamẽti aëris mutatio. Menses verò nõ sunt pro Luna

ratione supputãdi veluti nũc in pluribus Græciæ ciuitatibus fit: sed pro ratione Solis, apudq; omnes antiquiores vrbes & plurimas natiões numerãtur. Atq; apud Romanos annus totus in mẽses duodecim diuiditur. Habétq; horum vnus viginti & octo dies, quẽ à solstitio brumali numerant secundũ. Primus verò à solstitio quẽ & totius anni primũ faciunt, vnũ & triginta adsumpsit, quomodo à solstitio tertius, nẽpe & ipse triginta & vnũ diẽ continet. Quartus triginta est dierũ. Quintus vnũ à triginta accepit. Sextus triginta habet. Qui à sexto sunt menses duo, triginta & vno cõstant. Qui hos sequitur triginta est dierũ. Huic succedens vnius & triginta, qui decimus totius anni numero existit. Vndecimus triginta habet. Duodecimus vnũ & triginta. Quòd si singulorũ mensiũ dies cõnumeraueris, omnes sunt trecenti sexaginta & quinq;. Atq; cũ ita annos quatuor numeraueris, anno quarto mensem tertiũ duorũ & triginta dierũ faciũt, vt anni singuli tercẽtũ sexaginta quinq; dies habeant, & quartam diei vnius partẽ. Ex Palæstinorũ verò supputatione duodecim mẽses efficiũt dies tercentũ quinquaginta & quatuor. Nam quoniã à Lunæ cũ Sole coniunctione tempus ad omnẽ aliã coniunctionẽ præter nouem & viginti dies, aliam adhuc dimidiã adsumit partem: ob id duos mẽses qui quinquaginta & nouẽ cõtinẽt dies, in duas secant inæquales partes,

alterã

alterā ex ipsis mensibus triginta dierū, & alteram viginti & nouē efficientes. Coguntur ergo qui ita mēses cōtexunt, aliquē statuere intercalarem, vt primum quod reliquum est ex superioribus annis aceruetur, & tempus vnius mensis fiat. Quo autem modo menses intercalares inserendi sint, ab astronomis tum alijs tum Hyparcho scriptū est. Quare, vt dixi, apud illos qui mēses ita numerant definiri dies nō possunt, in quibus tū æquinoctia, tum solstitia, tum siderū illustrium exortus fiant. Apud eos verò qui pro Solis ratione numerāt, definiri possunt, vt dixi apud tū Romanos, tum Macedonas, tum Asianos nostrates, & apud alias multas nationes. Cū hæc itaq; sequentiū orationū omniū cōmunia à me dicta sunt, ad propositam me referā orationem, in qua ab aëris statu qui in Thaso fuit, incipiens inquit: Autūno circiter æquinoctium & sub vergilias, pluuiæ multæ. Nempe cū autūnus circa æquinoctiū esset, duósq; menses habeat, non confestim ab initio dictus status simul cœpit: sed circa æquinoctiū cœpit, perseerauitq; ad vergiliarū vsq; occasum dies circiter quinquaginta. In Thaso autumno Quinti sententia, neque ad morborū præsensionē aliquid cōmonstrat regio, neq; prorsus fieri potest vt futuri prænoscantur morbi: At solū morbi quidam naturali in anni temporibus corrupto temperamento. Interdū verò & ipsorum formas nō ex methodo logica, sed sola

experientia notas esse ait. Atq; etiam temperierum implicationes permistionésq; quas syndromas id est cōcursus appellant experimētarij Medici qui aphorismos explicant, experimento inuētas esse dicebant, quæ quorundam morborū causæ essent, vt verbi gratia: Cū hyems sicca & aquilonia fuerit: Ver autem pluuium & austrinum, æstate erunt febres acutæ, oculorū inflāmationes, & difficultates intestinorū. Et rursus: si hyems quidem pluuiosa atq; austrina fuerit, ver autē squalidum & brumale, mulieres quibus partus Vere instat, ex omni occasione abortiunt. & cætera quæ deinceps recensuit, vbi quatuor tātùm differētias temporū scripsit, quanquàm permultæ sint. Quod versare animo Quintū oportebat, deinde tum considerare, tum peruestigare, primū quidem anni temporū in id quod præter naturā est digressiones: deinde pluribus inuentis numerū omniū peruestigare, mox considerare quā ob causam quatuor tantum Hipp. memorauerit, à quibus omnibus inuentis methodū aliquam peruestigare liceret, quā vsi cæterorū omniū statuum facultates cognosceremus. Hic siquidem solus ad tum eos qui fiunt, tum grassaturos morbos præsentiendos idoneus erit, imò & quoad fieri poterit ad eos impediēdos, qui cōmemorata via progredietur: aut si hoc assequi propter causæ magnitudinem nō poßit, saltem his capiatur cōmoderatißimis. Nā quòd melius morborū curationem

nem inueñturus sit, qui in his quæ dixi omnibus mentem exercitauerit, quàm qui nihil antea sint perscrutati, neminẽ ex plebe ignorare existimo, nedũ probè institutos. Nã quòd Hip. ipse plures nouerit status quàm quatuor qui in aphorismis descripti sunt, ex his ipsis libris quos explicare proposuimus satis liquebit. Nẽpe in primo horũ primũ scripsit statũ de quo in calce inquit: Facto autẽ toto ductu ad austrina & cũ squaloribus. Secũdũ aũt in quo rursus ait: Facto autẽ anno toto frigido & humido & boreali. Tertiũ aũt tũ inæqualẽ tũ variũ, qui paulò ante Arcturũ cœpit frigidũ & humidũ. Deinceps aũt factũ ab autũnali æquinoctio ad pleiadũ vsq; occasũ, prorsus austrinũ, vnà cũ immodicis humiditatibus. Deinde cõtinuata serie frigidũ & siccũ cũ ventis aquilonijs maximis per totã ferè hyemem. Deinde frigidũ & siccũ ad canis vsq; ortũ. Hinc affatim magni æstus ad Arcturum vsq;, in quo pluuiæ austrinæ ad æquinoctiũ vsq;. Status hic quãquã inæqualis fuisset, vincebãt tñ frigidũ & siccum. Scripsit præterea & in tertio horũ librorũ statũ, quẽ rursus in sũmã vnã reducẽs dixit: Annus austrinus, pluuius, absq; vẽtis assiduè. Aliũ verò statũ in secũdo circa initia scribẽs inquit: Carbũculi in Cranone æstiui, pluebat per æstũ largo imbre, fiebãt aũt magis spirãte austro. Atq; vt hic status calidissimus est & mediocriter humidus in vno scilicet anni tẽpore in quo fuit, æstate:

ita & qui in tertio describitur libro per totum annum. Sunt verò & alij status descripti in epidemiorum libris, quos in aphorismis subticuit. Quatuor verò, quos, quia cæteris frequentius fierent veluti exemplum esse intellexit, vnà cum rationis quam in libro de aquis, aëre & locis tractat, declaratione in aphorismis scribere voluit. Quòd si & rationis declarationẽ in totũ prætermisisset, eam certè ex his quæ ab ipso in aphorismis scripta sunt inuenire potuissemus, quæ viro Logico ad dictorũ inuentionẽ sufficiunt. Scire etenim hoc oportet demonstratum quidem à nobis iam sæpius abundè in multis, dicendum verò & nũc quoad eius meminisse necesse sit, fieri nõ posse vt particulares in artibus omnibus simpliciũ medicamentorũ cõplexiones experimento cognoscantur ob multitudinem: sed in his omnibus vna est inuentionis via per propria elementa. veluti & in Grammatica fit. Quæ'nam igitur propria statuum elementa sint, ab ipsa rei substantia in animum inducti cõtemplemur, vt ex cõmentarijs de demonstratione instructi sumus. Ab initio itaq; sermone collecto iam tibi percurram omnia cõtinẽter, nullis prætermissis. Anni tẽpora humiditate, caliditate frigiditate, & siccitate differũt. Nempe hyems humiditate & frigiditate cætera antecedit, vt æstas caliditate & siccitate. Ver autẽ exactè in medio ambarũ existit. In neutra siquidem oppositione alterum alteri præstat, neque

sicco

ſicco humidum neq; calido frigidum, ſed quædam partium vtriuſq; oppoſitionis æquabilitas atq; omnium horarum totius prope diei & noctis ſimilitudo, nulla inſigni facta in ipſis vel permutatione vel exuperantia, qualia autumno vidētur: frigore quidem manè in eo vigēte, circa verò meridiem calore vehemēti, ſed rurſus ad occaſum in frigus tranſeunte. Dominatur tamen in eo ſiccū humido, & frigidum calido. Talis quidē eſt anni tēporū temperatura, vt magna ex parte mutatio fiat. paulatim quidē vt toto tēpore à nemine percipiatur: quòd ſi iuxtà magis percipiatur, nō tamen vniuerſim id fit neq; immoderatè in naturalibus humidorū mutationibus. Exoriente itaq; Arcturo, magna ex parte pluit cum ventis frigidis: & iam hinc autūnus incipit, & finitur æſtas. Deinde ſequenti tēpore ſenſim quidē & citra ſenſū cū ad frigidius fit mutatio vergiliarū occaſus cōſpicuū facit æquinoctiū. atq; hic prorſus ſimiliter ad æquinoctiū vernū puenit, ſimiliſque interdū ad exortū vergiliarū vſq; fit adiectio. Sæpius verò et cōſpicua quædā circiter tēpus æquinoctij, moderata tamen. Quinetiam ab exortu vergiliarū ad canis exortū vſq; tum calidū, tū ſiccū augentur & ſenſim & mediocriter. qui cum aduenit, auſtrina quidē pauca tempeſtas erit, mox pluuiæ æquè ac anniuerſarij venti quos, Eteſias vocāt, ad Arcturi vſq; ortum. Nos verò & experimentū & ratio docuerunt, vbi hoc pacto anni

temp

tẽpora progrediantur atq; inuicẽ cõuertãtur, neque pestẽ vllã fieri neq; morbos epidemios vllos: sed solos eos quos ipse sporadas appellat, victus rationem consequẽtes. Quoniã verò in singulis anni tẽporibus peculiaris quidẽ euincat humor vt ipse docuit, hyeme quidem pituita, vere sanguis, æstate bilis, autũno verò bilis acida: ob id his qui praua vtũtur ratione non ijdem in omnibus anni temporibus redundant morbi: sed vt ipse docuit, Vere quidem melancholiæ, maniæ, epilepsiæ, sanguinis æruptiones, atq; alij quos serie cõtinuata recenset morbi: æstate aũt alij atq; alij autũno. Hyeme item alij, qui fiunt quidem ex delictis in victus ratione, sed formis permutantur & ob anni tempus, & ob ætatem & ob naturã. Nempe quoniã & in naturis & in ætatibus corporum temperaturæ aliæ fiunt, atq; humorum differunt victoriæ, ob id & in his nunc permutabitur morborum forma. Itaq; de ætatum differentijs ita scripsit: In ætatibus autẽ contingunt, paruis quidem & nuper genitis pueris oris vlcera quæ aphthæ dicũtur, vomitus, & reliqua quæ ab his secũdum ætatem omnem scripta sunt. De naturis aũt ita: Ex naturis aliæ quidem ad æstatem, aliæ verò ad hyemẽ bene vel malè natæ sunt: fit itaq; vt ægri corpus æqualẽ cũ aëre faciẽtis causæ rõnem habeat. Vbi aũt ambo cõcurrerint, ascititiũ efficitur tẽperamẽtũ, à quo paßim grassantiũ morborũ exoritur generatio. Si itaq; nouerimus quidnã ĩ corpus homi

hominum facere poßit aëris caliditas, quid frigus, quid siccitas, quid humiditas, nouerimus quoq; & qualisnam sit quæ patitur natura, futuros morbos, tum inuenire, tum præsentire non amplius difficile fuerit. Atq; adhuc ante hæc cognoscemus quod bene dictum sit: In compositis cōstantibúsq; temporibus si tempestiuè tempestiua progrediantur, morbi constātes & boni iudicij fiūt, in incompositis inconstantibúsq; inconstantes & difficilis iudicij. Quę'nam igitur fuerint dictarum qualitatum virtutes, humiditatis, siccitatis, caliditatis & frigiditatis, audi ipsum Hippocratem dicentem in aphorismis: Ex anni autem temporibus siccitates in totū imbribus sunt salubriores, minúsq; mortiferæ. Morbi autem in imbribus magna ex parte fiunt, febres longæ, vētris fluxiones, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ & anginæ: In siccitatibus autem tabes, oculorum inflammationes, arthritides & stranguriæ. hæc itaq; ab ipso de statibus in longius tēpus extensis dicta sunt. Vt autem & in his de differentijs in humiditate & siccitate docuit, ita & de his quæ in caliditate & frigiditate sunt, vbi scripsit de statibus, tū aquilonijs, tum austrinis. Nempe in plaga nostra aquilo frigidus est, auster calidus, nisi fortè (quod rarum existit) principio Veris frigidus sit, vel in alia quadam regione aliquantisper talis spirauerit, neque tunc aquilone frigidior. Audi itaque deinceps quónam pacto de his in aphorismis

rismis scripserit, ita exorsus: Austri auditum " grauantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dis- " soluentes, & cum huiusmodi tempestas praeualue- " rit, talia in aegrotationibus patiuntur: si verò " aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui durae, difficul- " tates vrinae horridae, dolores laterum & pectoris, " & quando haec tempestas praeualuerit, talia in " morbis expectare oportet. Haec itaque de vehe- " mentibus, tum austrinis, tum aquilonijs statibus longo perdurantibus tempore ab eo dicta sunt. Nam per verbum δυναστεύειν, id est, praeualere, id ostendit, non de flatu qui in Vere, aut breui tempore spirat, neque de eo qui pluribus quidem spirat diebus, sed imbecillius hoc inquiens nomen, de quotidianis autem, tum austrinis, tum aquilonijs flatibus audi rursus quae ait: Quotidiani " verò status, aquilonij quidem corpora cogunt, ro- " bustiora potentioráq; & coloratiora & melius " audientia faciunt, vètres exiccàt, oculos mordèt, " & si dolor thoracem obsederit, eum augent: Au- " strini verò corpora dissoluunt, humectant, grauàt tum caput, tum auditum, vertigines procreant, mouendíque difficultatem, tum in oculis, tum in corpore faciunt, & ventres humectant. Dixit & ipse in aphorismis alia quaedam de anni temporum natura, atque vniuersa inter se conuersione, quorum vnumquodq; suo memorabimus tempore. Hoc in loco satis fuerit, si nobis constiterit primas elementares statuum virtutes ab ipso dici

Hippoc

Hippocrate, in quibus oportet de omnibus quibusuis statibus nos via & ordine progressos inuenire quinam futuri sint morbi, quomodo prohibendi, vel iam conflati curandi. Hic etenim maximus est præsentis tractationis fructus. In elementis verò horum est etiam regio, quæ & ad morborum præsensionem ipsa quoque nonnihil ostendit: quomodo & vniuscuiusque natura, ætásque, & vitæ institutum & victus ratio. Demonstratum autem manifestè ab eo est in libro de aquis, aëre & locis, quales cuique regioni abundent morbi. Poteris itaque vbi ambientis nos aëris status immoderatè, tum frigidus, tum humidus redditus suapte natura morbos ab ipso demonstratos procreaturus sit, similem ex regione adsumere indicationem, ab ætate item, & natura, & vitæ institutis, & victus ratione. Humidi siquidem & frigidi, tum natura, tum externis circunstantijs facilius à morbis qui ex humido & frigido statu futuri sunt, corripientur: contrarij verò difficilius. Si itaque regio humida & frigida fuerit, talémque statum habuerit, morborum huic statui familiarium facilis erit generatio, conferente etiam ad hoc regione: vt sanè si omnis immoderatius calidus aliquando fiat & humidus status, qualē in secundo epidemiorum morborū descripsit in principio, inquiēs:

» *Pluebat per æstus largo imbri aßiduè. Regio autem ad dictorum putridorum morborū generation*

rationem confert maximè quidẽ, si in vtroq; intemperata fuerit, calidior scilicet & humidior. Confert quoque si in altero horum fuerit intẽperata, vt Cranon in concauo & meridionali loco sita, quæ ob id putridis morbis potißimum vt carbunculis exercetur, atq; præter cætera incommoda à vẽtis etiam aquilonijs est auersa, spiratiunculis & nenemijs appellatis, id est, ventorum tranquillitatibus occupata. Cranon itaque eiusmodi est. Thasus verò contrario est sita modo. Ad ventos siquidem aquilonios frigidósq; conuersa est, Thraciæ ex aduerso. Cùm itaq; status totus ad austrina factus esset & cum squaloribus, locus pro sua ratione nõ facilè statui huic patebat. Nã si meridionalis simul & concauus fuisset, dictus status summè pestilens ipsi fuisset.

Pluuiæ multæ, continuæ, molles.

Trifariam pluuiæ multæ fiunt. Interdum quidem ob pluuiam ipsam vniuersim raptímq; delabentem: Interdum propter temporis diuturnitatem, quanquàm aquarum stillæ solæ quotidie fiant: Atque interdum concurrentibus simul ambobus. Habes autem ipsorum omnium scripta exempla in epidemiorum libris. Primi quidem modi statum quo ita exorditur: in Thaso ante Arcturum pluuiæ multæ: ostendit siquidem has fuisse magnas, aquæ confertim delabentis copia, alterius modi exemplum est, quod nunc est dictam: Pluuiæ multæ, continuæ, molles.

Nempe

Nempe copia ipsarum aceruata erat, quòd continua longo tempore fuisset pluuia,& non prorsus vno tempore copiosa, tertij modi exemplum est quod in principio secundi epidemiorum est scriptum hoc modo: Pluebat per æstus largo imbri aßiduè. Largum siquidem ad prædictum modũ commune est, aßiduè verò ad secundum. De statibus itaq; illis rursus vtroq; suo loco dicemus. Is verò de quo agere proposuimus, qui inter autumnale æquinoctium & hyemis principiũ factus est, pluuiam habuit totò suo tempore mollem, vt ipse dixit, quod opponitur confertim, largè & vehementer.

Hyems austrina.

Quod autumni finem nouerit & ipse pleiadum occasum quem compendiaria voce appellat & pleiada, manifestè indicauit inquiens, hyems austrina. Nam vbi prædixisset circiter æquinoctium, addidit & sub pleiadas, scripsitq; deinde hyems austrina, tanquam nullum intercedat tempus quod peculiarem expostulet declarationem, sed pleiadum occasui copulata sit hyems.

Parui flatus aquilonij.

Paruos inquit flatus hyeme fuisse, quòd si iuxta suam naturam ad finem vsque hyems perducta fuisset, prorsus magni fuissent. Atque hoc ipsis bifariam adfuit, quomodò & nunc parui fuisse visi sunt, & secundùm suam propriam magnitudinem, & secundùm temporis prolixitatẽ.

Flauerunt siquidem paucis diebus aquilonij & non vehementes, cùm aquilonium magnum habere hyems consueuerit, & longo tempore.

4 Squalores.

Sicciorem iusto statum αὐχμὸν, id est, squalorem non admodum vsitatè appellauit: ita enim non simpliciter sicciorem, sed summè siccum appellare consueuimus. Vt autem hyems vsqueadeo sicca fiat, vt terram veluti in æstate squalidam reddat, tum præter opinionem, tum præter fidem existit. Neque enim in vere talis sit status cui nunc similē factā esse ait omni ex parte hyemē.

5 Hyems tota quale Ver fuit.

Sicciorem quidem quàm sua postularet natura fuisse hyemem ait, non tamen æstatis instar siccam. Squalorem itaque quem paulò antè non admodū propriè vsurpari diximus, accipere par est nunc ab eo dictum esse non absolutè, sed ad aliquid; vt formicam magnam vel montem paruum. Nempe quòd hyems esset in præsenti non absolutè squalida, quomodo nec formica simpliciter magna est: sed vt magna formica, quæ sanè & monte paruo minor est. Atque hyems squalida æstate humidior existit, quomodo & hyemē comparans dixit: Hyems tota quale ver fuit.

6 Ver austrinum, frigidum, paruæ pluuiæ.

Ver austrinum dixisse videtur, non quòd nullo pacto in eo perflauerint aquilonij, sed quòd paucißimi principio, atque adeò pauci, vt totum

temporis

temporis illius statum austrinum diceret.

Aestas magna sua parte nubilosa, pluuiæ nullæ, etesiæ pauci, paruiq́; sparsim spirauerunt. 7

Si quis omnia quæ de æstate dicta sunt composuerit, dicat & hanc tum austrinam, tum simul squalidam fuisse.

Facto autem toto statu ad austrina & cum squaloribus. 8

Non quòd nullæ aquarum in toto anno distributiones fuissent, cum squaloribus dixit: sed quòd prorsus paucissimæ. Præter enim tẽpus primum ab autumnali equinoctio adusque pleiadas reliquum omne tempus satis vincentem habuit imbrium carentiam, ἀγωγὴν autem appellauit ambientis nos aëris statum. Si itaque verum est, quòd animalium corpora vt ambiens nos aër alterentur, per imbres quidem fient humidiora, per squalores verò sicciora: atque cùm euincent quidem caliditates, robustum erit caput, per frigora verò lenissimum erit: Cæterùm thorax & pulmo laborabunt. Quæ ergo dicto statui quem contemplari proposuimus, mediam habenti naturam serenæ & exactè puræ & pluuiosæ, adsimilantur corpora, mediam obtinebunt temperamenti conditionem, quam nubilosam vt appellem mihi permitte. Nam si talis sit aër, suppositumq́; sit & corpora simul, tum alterari tum

ipsi adsimilari, claritatis gratia, vt status in ipsis genitus veluti nubilosus quidã appelletur, nihil absurdũ fuerit. Quomodo itaq; cùm hyems suum seruauerit temperamentum, necesse est vt humor, tum humidus, tum frigidus generetur, pituita scilicet: æstate verò contrà calidus & siccus, vt pallida bilis: sic vbi aër nubilosus est, quidam exuberat humor, in pituitosis quidem naturis pituita (vt quispiam dixerit) tum nebulosa, tum nubilosa. Semper enim aliquid à nostro effluit corpore quod vaporosum existit, in siccis quidem statibus plurimum, in humidis verò paucissimum. Hoc itaque cùm in corpore aceruatur, similem tum nebulæ, tum caligini innatum nostrum spiritum facit. In ambiente enim animalia aëre spiritui similis est vapor, vt quis dicere audeat tali in statu talem in nobis esse spiritum. Atqui vbi eodem tempore nebula, vel caligo duo hæc habuerit pathemata, vt scilicet tum attollatur, tum distendatur, alba procreatur nubes. Nunquam enim absque humiditate aëre exactè aquilonio existẽte procreatur nubes: propter enim raritatem vel densitatẽ splendida aut nigra completur. Quæ igitur rarescit nubes, lucẽ Solis in se suscipit, atque ob id splendida videtur, eam scilicet illuminãte Solis splendore, quale in perspicuis corporibus cernas: cõstricta verò & condensata nube, Solis lux per eam non transit, atq; hoc iure nigra talis videtur, non secus quem

aër

aër ipse noctis, vbi Solis splendor ipsum reliquerit. Videtur quoque manifestè nebula sæpius quidem ad terram delabi, quæ ros vocatur: Interdum verò tolli in altum, & manifestè fieri nubes, vel candida, vel nigra, candida quidem cùm (vt dixi) in se totam Solarem receperit splendorem: nigra verò vbi nullo pacto receperit. Intermedios autem colores pro quantitate admixti splendoris nubes accipiunt: sed forsan tibi videbitur hic sermo esse secum controuersus, qui scilicet dicat in altum tolli humiditatem & cõdensari: Nempe sursum tolli caliditatis opus est, densari verò frigiditatis. Nequit autem idem calidũ esse simul & frigidum. At si intellexeris eam quæ sursum fertur exhalationem calidam esse, atque ob id sublime vehi, aërem verò qui eam excipit frigidum, non amplius dubitabis quomodo tum sursum feratur, tum simul condensetur. Nam vt sursum feratur, ex se habebit: vt verò tum cogatur tum constringatur, ob accipiẽtem aërem, qui quò frigidior fuerit, eò magis nebulã quæ sursum tollitur, tum densabit, tum coget. Cùm itaque aër neque euidenter calefaciat, neque talem refrigerationem habeat, necesse est vt in eo talis permaneat sursum lata nebula qualis ab initio erat, fiatq; alba quidem exactè ex ea nubes, vbi à Solis splendore moueatur: media verò inter albam & nigram, vbi non perfectè eam Sol illuminauerit. Noli itaque demirari cur animantiũ cor-

pora similem huic statui habeant in se dispositionem, quin potius fidem adhibe Hippocrati dicenti: Austri auditum grauantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Explicat siquidem hoc sermone ea corporis pathemata quæ in austrinis statibus patitur: quare vt auditum grauantes, pigri & dissoluentes, de his quæ ab austro in corporibus nostris fiunt, dicantur manifestè ita existimare oportet, & caliginosum dictum esse, quod aceruatam in nobis ob ipsum indicat caliginem, non aëris.

9 Ante ver quidem ex anteriore statu subcontrario & aquilonio paucis factæ sunt febres ardentes, atque his facillimè consistentes, paucisq; sanguis erupit, neque ex his peribant.

Quòd pauci quidem temporis fuerit status aquilonius ante ver, ex eo liquet, quòd totum tẽperamentum ab ipso prædictum sit austrinum, quod nõ ita dixisset, si multos dies spirasset aquilo. Cùm verò aër paucis diebus fuisset aquilonius, paucis contigerunt febres ardẽtes mites admodum & celeriter cõsistentes. Ait siquidem, atq; his facillimè consistentes. Scribunt autẽ aliqui πάνυ ἐυσταθῆ, alij autẽ ἐυσταθία æquali modo & nihil perniciosum habentia. Præterea paucis sanguinis eruptiones contigisse ait, quod febrium ardentium vehementium proprium erat, vt tum delirare, tum mori, quæ neque his quæ

tunc

tunc fuerunt contigerunt, sed febribus laten-tißimæ & paucißimis euenere, vehemen. quispiam dixerit) legitima ardente febre (vtiæ & pallidam nominant) ortum suscipiente. Hæc autem vt ostendimus, in præsenti statu solum priore æstate habebant qui natura erant biliosi; neque multam, neq; in eo quod sequebatur tempore, quod dictus status humidus esset, atq; adhuc tum caliginosus, tum nebulosus. Iure itaq; paucis contigit febris ardẽs qui valde biliosi essent, huq; neque exquisita, neque vehemens, sed moderata, & solui non contumax. Quibus itaque contigit, ob hanc factum est causam. Præcesserat siquidem autumnum æstas quæ secundum naturam haberet. Exorditur enim statuum enarrationẽ Hippocrates vbi primum aër in id quod præter naturam existit est conuersus. Vt autem in naturali æstate valde biliosis plenior aceruaretur hic succus, necesse erat. Qui itaque succeßit status per totam hyemem ad Ver vsque, nihil hunc auxit humorem, neque enim calidus vehementer erat, neq; siccus vt æstas, neque etiam imminuit, non enim satis frigidus erat vt hyems quæ secundum naturam habet, imo neque euaporauit, non enim erat exquisitè siccus: superest igitur humorem hunc conseruatum fuisse, accepta veluti tum caliginosa, tum nebulosa forma, propter modicam aëris, tum humiditatem, tum caliditatẽ exhalationi cõnutrita. Verùm ante Ver cùm de-

ita & qui in tertio describitur libro per totum annum. Sunt verò & alij status descripti in epidemiorum libris, quos in aphorismis subticuit. Quatuor verò, quos, quia cæteris frequentius fierent veluti exemplum esse intellexit, vnà cum rationis quam in libro de aquis, aëre & locis tractat, declaratione in aphorismis scribere voluit. Quòd si & rationis declarationẽ in totũ prætermisisset, eam certè ex his quæ ab ipso in aphorismis scripta sunt inuenire potuissemus, quæ viro Logico ad dictorũ inuentionẽ sufficiunt. Scire etenim hoc oportet demonstratum quidem à nobis iam sæpius abundè in multis, dicendum verò & nũc quoad eius meminisse necesse sit, fieri nõ posse vt particulares in artibus omnibus simpliciũ medicamentorũ cõplexiones experimento cognoscantur ob multitudinem: sed in his omnibus vna est inuentionis via per propria elementa. veluti & in Grammatica fit. Quæ'nam igitur propria statuum elementa sint, ab ipsa rei substantia in animum inducti cõtemplemur, vt ex cõmentarijs de demonstratione instructi sumus. Ab initio itaq; sermone collecto iam tibi percurram omnia cõtinẽter, nullis prætermissis. Anni tẽpora humiditate, caliditate frigiditate, & siccitate differũt. Nempe hyems humiditate & frigiditate cætera antecedit, vt æstas caliditate & siccitate. Ver autẽ exactè in medio ambarũ existit. In neutra siquidem oppositione alterum alteri præstat, neque

sicco

ſicco humidum neq; calido frigidum, ſed quædam partium vtriuſq; oppoſitionis æquabilitas atq; omnium horarum totius prope diei & noctis ſimilitudo, nulla inſigni facta in ipſis vel permutatione vel exuperantia, qualia autumno vidētur: frigore quidem manè in eo vigēte, circa verò meridiem calore vehemēti, ſed rurſus ad occaſum in frigus tranſeunte. Dominatur tamen in eo ſiccū humido, & frigidum calido. Talis quidē eſt anni tēporū temperatura, vt magna ex parte mutatio fiat. paulatim quidē vt toto tēpore à nemine percipiatur: quòd ſi iuxtà magis percipiatur, nō tamen vniuerſim id fit neq; immoderatè in naturalibus humidorū mutationibus. Exoriente itaq; Arcturo, magna ex parte pluit cum ventis frigidis: & iam hinc autūnus incipit, & finitur æſtas. Deinde ſequenti tēpore ſenſim quidē & citra ſenſū cū ad frigidius fit mutatio vergiliarū occaſus cōſpicuū facit æquinoctiū. atq; hic prorſus ſimiliter ad æquinoctiū vernū puenit, ſimiliſque interdū ad exortū vergiliarū vſq; fit adiectio. Sæpius verò et cōſpicua quadā circiter tēpus æquinoctij, moderata tamen. Quinetiam ab exortu vergiliarū ad canis exortū vſq; tum calidū, tū ſiccū augentur & ſenſim & mediocriter. qui cum aduenit, auſtrina quidē pauca tempeſtas erit, mox pluuiæ æquè ac anniuerſarij venti quos, Eteſias vocāt, ad Arcturi vſq; ortum. Nos verò & experimentū & ratio docuerunt, vbi hoc pacto anni

temp

tẽpora progrediantur atq; inuicẽ cõuertãtur, neque pestẽ vllã fieri neq; morbos epidemios vllos: sed solos eos quos ipse sporadas appellat, victus rationem consequẽtes. Quoniã verò in singulis anni tẽporibus peculiaris quidẽ euincat humor vt ipse docuit, hyeme quidem pituita, vere sanguis, æstate bilis, autũno verò bilis acida: ob id his qui praua vtũtur ratione non ijdem in omnibus anni temporibus redundant morbi: sed vt ipse docuit, Vere quidem melancholiæ, maniæ, epilepsiæ, sanguinis æruptiones, atq; alij quos serie cõtinuata recenset morbi: æstate aũt alij atq; alij autũno. Hyeme item alij, qui fiunt quidem ex delictis in victus ratione, sed formis permutantur & ob anni tempus, & ob ætatem & ob naturã. Nempe quoniã & in naturis & in ætatibus corporum temperaturæ aliæ fiunt, atq; humorum differunt victoriæ, ob id & in his nunc permutabitur morborum forma. Itaq; de ætatum differentijs ita scripsit: In ætatibus autẽ contingunt, paruis quidem & nuper genitis pueris oris vlcera quæ aphthæ dicũtur, vomitus, & reliqua quæ ab his secũdum ætatem omnem scripta sunt. De naturis aũt ita: Ex naturis aliæ quidem ad æstatem, aliæ verò ad hyemẽ bene vel malè natæ sunt: fit itaq; vt ægri corpus æqualẽ cũ aëre faciẽtis causæ rõnem habeat. Vbi aũt ambo cõcurrerint, ascititiũ efficitur tẽperamẽtũ, à quo paßim grassantiũ morborũ exoritur generatio. Si itaq; nouerimus quídnã ĩ corpus homi

hominum facere possit aëris caliditas, quid frigus, quid siccitas, quid humiditas, nouerimus quoq; & qualisnam sit quæ patitur natura, futuros morbos, tum inuenire, tum præsentire non amplius difficile fuerit. Atq; adhuc ante hæc cognoscemus quod bene dictum sit: In compositis cōstantibúsq; temporibus si tempestiuè tempestiua progrediantur, morbi cōstātes & boni iudicij fiūt, in incompositis inconstantibúsq; inconstantes & difficilis iudicij. Quę'nam igitur fuerint dictarum qualitatum virtutes, humiditatis, siccitatis, caliditatis & frigiditatis, audi ipsum Hippocratem dicentem in aphorismis: Ex anni autem temporibus siccitates in totū imbribus sunt salubriores, minúsq; mortiferæ. Morbi autem in imbribus magna ex parte fiunt, febres longæ, vētris fluxiones, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ & anginæ: In siccitatibus autem tabes, oculorum inflammationes, arthritides & stranguriæ. hæc itaq; ab ipso de statibus in longius tēpus extensis dicta sunt. Vt autem & in his de differentijs in humiditate & siccitate docuit, ita & de his quæ in caliditate & frigiditate sunt, vbi scripsit de statibus, tū aquilonijs, tum austrinis. Nempe in plaga nostra aquilo frigidus est, auster calidus, nisi fortè (quod rarum existit) principio Veris frigidus sit, vel in alia quadam regione aliquantisper talis spirauerit, neque tunc aquilone frigidior. Audi itaque deinceps quónam pacto de his in aphorismis

rismis scripserit, ita exorsus: Austri auditum " grauantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dis- " soluentes, & cum huiusmodi tempestas praeualue " rit, talia in aegrotationibus patiuntur: si vero " aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui durae, difficul " tates vrinae horridae, dolores laterum & pectoris, " & quando haec tempestas praeualuerit, talia in " morbis expectare oportet. Haec itaque de vehe- " mentibus, tum austrinis, tum aquilonijs statibus longo perdurantibus tempore ab eo dicta sunt. Nam per verbum δυναστεύειν, id est, praeualere, id ostendit, non de flatu qui in Vere, aut breui tempore spirat, neque de eo qui pluribus quidem spirat diebus, sed imbecillus hoc inquiens nomen, de quotidianis autem, tum austrinis, tum aquilonijs flatibus audi rursus quae ait: Quotidiani " vero status, aquilonij quidem corpora cogunt, ro- " bustiora potentioraque & coloratiora & melius " audientia faciunt, vetres exiccant, oculos mordent, " & si dolor thoracem obsederit, eum augent: Au " strini vero corpora dissoluunt, humectant, grauant tum caput, tum auditum, vertigines procreant, mouendique difficultatem, tum in oculis, tum in corpore faciunt, & ventres humectant. Dixit & ipse in aphorismis alia quaedam de anni temporum natura, atque vniuersa inter se conuersione, quorum vnumquodque suo memorabimus tempore. Hoc in loco satis fuerit, si nobis constiterit primas elementares statuum virtutes ab ipso dici

Hippoc

Hippocrate, in quibus oportet de omnibus quibusuis statibus nos via & ordine progressos inuenire quínam futuri sint morbi, quomodo prohibendi, vel iam conflati curandi. Hic etenim maximus est præsentis tractationis fructus. In elementis verò horum est etiam regio, quæ & ad morborum præsensionem ipsa quoque nonnihil ostendit: quomodo & vniuscuiusque natura, ætásque, & vitæ institutum & victus ratio. Demonstratum autem manifestè ab eo est in libro de aquis, aëre & locis, quales cuique regioni abundent morbi. Poteris itaque vbi ambientis nos aëris status immoderatè, tum frigidus, tum humidus redditus suapte natura morbos ab ipso demonstratos procreaturus sit, similem ex regione adsumere indicationem, ab ætate item, & natura, & vitæ institutis, & victus ratione. Humidi siquidem & frigidi, tum natura, tum externis circunstantijs facilius à morbis qui ex humido & frigido statu futuri sunt, corripientur: contrarij verò difficilius. Si itaque regio humida & frigida fuerit, talémque statum habuerit, morborum huic statui familiarium facilis erit generatio, conferente etiam ad hoc regione: vt sanè si omnis immoderatius calidus aliquando fiat & humidus status, qualē in secundo epidemiorum morborū descripsit in principio, inquiēs:
" *Pluebat per æstus largo imbri aßiduè. Regio autem ad dictorum putridorum morborū generation*

rationem confert maximè quidē, si in vtroq; intemperata fuerit, calidior scilicet & humidior. Confert quoque si in altero horum fuerit intēperata, vt Cranon in concauo & meridionali loco sita, quæ ob id putridis morbis potißimum vt carbunculis exercetur, atq; præter cætera incommoda à vētis etiam aquilonijs est auersa, spiratiunculis & nenemijs appellatis, id est, ventorum tranquillitatibus occupata. Cranon itaque eiusmodi est. Thasus verò contrario est sita modo. Ad ventos siquidem aquilonios frigidósq; conuersa est, Thraciæ ex aduerso. Cùm itaq; status totus ad austrina factus esset & cum squaloribus, locus pro sua ratione nō facilè statui huic patebat. Nā si meridionalis simul & concauus fuisset, dictus status summè pestilens ipsi fuisset.

Pluuiæ multæ, continuæ, molles.

Trifariam pluuiæ multæ fiunt. Interdum quidem ob pluuiam ipsam vniuersim raptímq; delabentem: Interdum propter temporis diuturnitatem, quanquàm aquarum stillæ solæ quotidie fiant: Atque interdum concurrentibus simul ambobus. Habes autem ipsorum omnium scripta exempla in epidemiorum libris. Primi quidem modi statum quo ita exorditur: in Thaso ante Arcturum pluuiæ multæ: ostendit siquidem has fuisse magnas, aquæ confertim delabentis copia, alterius modi exemplum est, quod nunc est dictam: Pluuiæ multæ, continuæ, molles.

Nempe

Nempe copia ipsarum aceruata erat, quòd continua longo tempore fuisset pluuia; & non prorsus vno tempore copiosa, tertij modi exemplum est quod in principio secundi epidemiorum est scriptum hoc modo: Pluebat per æstus largo imbri aßiduè. Largum siquidem ad prædictum modũ commune est, aßiduè verò ad secundum. De statibus itaq; illis rursus vtroq; suo loco dicemus. Is verò de quo agere proposuimus, qui inter autumnale æquinoctium & hyemis principiũ factus est, pluuiam habuit toto suo tempore mollem, vt ipse dixit, quod opponitur confertim, largè & vehementer.

Hyems austrina.

Quod autumni finem nouerit & ipse pleiadum occasum quem compendiaria voce appellat & pleiada, manifestè indicauit inquiens, hyems austrina. Nam vbi prædixisset circiter æquinoctium, addidit & sub pleiadas, scripsitq; deinde hyems austrina, tanquam nullum intercedat tempus quod peculiarem expostulet declarationem, sed pleiadum occasui copulata sit hyems.

Parui flatus aquilonij.

Paruos inquit flatus hyeme fuisse, quòd si iuxta suam naturam ad finem vsque hyems perducta fuisset, prorsus magni fuissent. Atque hoc ipsis bifariam adfuit, quomodò & nunc parui fuisse visi sunt, & secundùm suam propriam magnitudinem, & secundùm temporis prolixitatẽ.

Flauerunt siquidem paucis diebus aquilonij & non vehementes, cùm aquilonium magnum habere hyems consueuerit, & longo tempore.

Squalores.

Sicciorem iusto statum αὐχμὸν, id est, squalorem non admodum vsitatè appellauit: ita enim non simpliciter sicciorem, sed summè siccum appellare consueuimus. Vt autem hyems vsqueadeo sicca fiat, vt terram veluti in æstate squalidam reddat, tum præter opinionem, tum præter fidem existit. Neque enim in vere talis fit status cui nunc similẽ factã esse ait omni ex parte hyemẽ.

Hyems tota quale Ver fuit.

Sicciorem quidem quàm sua postularet natura fuisse hyemem ait, non tamen æstatis instar siccam. Squalorem itaque quem paulò antè non admodũ propriè vsurpari diximus, accipere par est nunc ab eo dictum esse non absolutè, sed ad aliquid; vt formicam magnam vel montem paruum. Nempe quòd hyems esset in præsenti non absolutè squalida, quomodo nec formica simpliciter magna est: sed vt magna formica, quæ sanè & monte paruo minor est. Atque hyems squalida æstate humidior existit, quomodo & hyemẽ comparans dixit: Hyems tota quale ver fuit.

Ver austrinum, frigidum, paruæ pluuiæ.

Ver austrinum dixisse videtur, non quòd nullo pacto in eo perflauerint aquilonij, sed quòd paucissimi principio, atque adeò pauci, vt totum temporis

temporũ illius statum austrinum diceret.

Aestas magna sua parte nubilosa, pluuiæ nullæ, etesiæ pauci, paruiq; sparsim spirauerunt. 7

Si quis omnia quæ de æstate dicta sunt composuerit, dicat & hanc tum austrinam, tum simul squalidam fuisse.

Facto autem toto statu ad austrina & cum squaloribus. 8

Non quòd nullæ aquarum in toto anno distributiones fuissent, cum squaloribus dixit: sed quòd prorsus paucissimæ. Præter enim tẽpus primum ab autumnali equinoctio adusque pleiadas reliquum omne tempus satis vincentem habuit imbrium carentiam, ἀγωγὴν autem appellauit ambientis nos aëris statum. Si itaque verum est, quòd animalium corpora vt ambiens nos aër alterentur, per imbres quidem fient humidiora, per squalores verò sicciora: atque cùm euincent quidem caliditates, robustum erit caput, per frigora verò leuissimum erit: Cæterùm thorax & pulmo laborabunt. Quæ ergo dicto statui quem contemplari proposuimus, mediam habenti naturam serenæ & exactè puræ & pluuiosæ, adsimilantur corpora, mediam obtinebunt temperamenti conditionem, quam nubilosam vt appellem mihi permitte. Nam si talis sit aër, suppositumq; sit & corpora simul, tum alterari tum

ipsi adsimilari, claritatis gratia, vt status in ipsis genitus veluti nubilosus quidã appelletur, nihil absurdũ fuerit. Quomodo itaq; cùm hyems suum seruauerit temperamentum, necesse est vt humor, tum humidus, tum frigidus generetur, pituita scilicet: æstate verò contrà calidus & siccus, vt pallida bilis: sic vbi aër nubilosus est, quidam exuberat humor, in pituitosis quidem naturis pituita (vt quispiam dixerit) tum nebulosa, tum nubilosa. Semper enim aliquid à nostro effluit corpore quod vaporosum existit, in siccis quidem statibus plurimum, in humidis verò paucissimum. Hoc itaque cùm in corpore aceruatur, similem tum nebulæ, tum caligini innatum nostrum spiritum facit. In ambiente enim animalia aëre spiritui similis est vapor, vt quis dicere audeat tali in statu talem in nobis esse spiritum. Atqui vbi eodem tempore nebula, vel caligo duo hæc habuerit pathemata, vt scilicet tum attollatur, tum distendatur, alba procreatur nubes. Nunquam enim absque humiditate aëre exactè aquilonio existẽte procreatur nubes: propter enim raritatem vel densitatẽ splendida aut nigra completur. Quæ igitur rarescit nubes, lucẽ Solis in se suscipit, atque ob id splendida videtur, eam scilicet illuminãte Solis splendore, quale in perspicuis corporibus cernas: cõstricta verò & condensata nube, Solis lux per eam non transit, atq; hoc iure nigra talis videtur, non secus quem

aër

aër ipse noctis, vbi Solis splendor ipsum reliquerit. Videtur quoque manifestè nebula sæpius quidem ad terram delabi, quæ ros vocatur: Interdum verò tolli in altum, & manifestè fieri nubes, vel candida, vel nigra, candida quidem cùm (vt dixi) in se totam Solarem receperit splendorem: nigra verò vbi nullo pacto receperit. Intermedios autem colores pro quantitate admixti splendoris nubes accipiunt: sed forsan tibi videbitur hic sermo esse secum controuersus, qui scilicet dicat in altum tolli humiditatem & cõdensari: Nempe sursum tolli caliditatis opus est, densari verò frigiditatis. Nequit autem idem calidũ esse simul & frigidum. At si intellexeris eam quæ sursum fertur exhalationem calidam esse, atque ob id sublime vehi, aërem verò qui eam excipit frigidum, non amplius dubitabis quomodo tum sursum feratur, tum simul condensetur. Nam vt sursum feratur, ex se habebit: vt verò tum cogatur tum constringatur, ob accipiẽtem aërem, qui quò frigidior fuerit, eò magis nebulã quæ sursum tollitur, tum densabit, tum coget. Cùm itaque aër neque euidenter calefaciat, neque talem refrigerationem habeat, necesse est vt in eo talis permaneat sursum lata nebula qualis ab initio erat, fiatq; alba quidem exactè ex ea nubes, vbi à Solis splendore moueatur: media verò inter albam & nigram, vbi non perfectè eam Sol illuminauerit. Noli itaque demirari cur animantiũ cor-

pora similem huic statui habeant in se dispositionem, quin potius fidem adhibe Hippocrati dicenti: Austri auditum grauantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Explicat siquidem hoc sermone ea corporis pathemata quæ in austrinis statibus patitur: quare vt auditum grauantes, pigri & dissoluentes, de his quæ ab austro in corporibus nostris fiunt, dicantur manifestè ita existimare oportet, & caliginosum dictum esse, quod aceruatam in nobis ob ipsum indicat caliginem, non aëris.

9 Ante ver quidem ex anteriore statu subcontrario & aquilonio paucis factæ sunt febres ardentes, atque his facillimè consistentes, paucisq; sanguis erupit, neque ex his peribant.

Quòd pauci quidem temporis fuerit status aquilonius ante ver, ex eo liquet, quòd totum tẽperamentum ab ipso prædictum sit austrinum, quod nõ ita dixisset, si multos dies spirasset aquilo. Cùm verò aër paucis diebus fuisset aquilonius, paucis contigerunt febres ardẽtes mites admodum & celeriter cõsistentes. Ait siquidem, atq; his facillimè consistentes. Scribunt autẽ aliqui πάνυ εὐσταθῆ, *alij autẽ* εὐσταθία *æquali modo & nihil perniciosum habentia. Præterea paucis sanguinis eruptiones contigisse ait, quod febrium ardentium vehementium proprium erat, vt tum delirare, tum mori, quæ neque his quæ*

tunc

tunc fuerunt contigerunt, sed febres & moderatißimæ & paucißimis euenere, vehementi & (vt quispiam dixerit) legitima ardente febre (quam & pallidam nominant) ortum suscipiente. Hanc autem vt ostendimus, in præsenti statu solùm priore æstate habebant qui natura erant biliosi, neque multam, neq; in eo quod sequebatur tempore, quòd dictus status humidus esset, atq; adhuc tum caliginosus, tum nebulosus. Iure itaq; paucis contigit febris ardẽs qui valde biliosi essent, huq; neque exquisita, neque vehemens, sed moderata, & solui non contumax. Quibus itaque contigit, ob hanc factum est causam. Præcesserat siquidem autumnum æstas quæ secundùm naturam haberet. Exorditur enim statuum enarrationẽ Hippocrates vbi primum aër in id quod præter naturam existit est conuersus. Vt autem in naturali æstate valde biliosis plenior aceruaretur hic succus, necesse erat. Qui itaque succeßit status per totam hyemem ad Ver vsque, nihil hunc auxit humorem, neque enim calidus vehementer erat, neq; siccus vt æstas, neque etiam imminuit, non enim satis frigidus erat vt hyems quæ secundùm naturam habet, imo neque euaporauit, non enim erat exquisitè siccus: superest igitur humorem hunc conseruatum fuisse, accepta veluti tum caliginosa, tum nebulosa forma, propter modicam aëris, tum humiditatem, tum caliditatẽ exhalationi cõnutrita. Verùm ante Ver cùm de-

repente præter consuetudinem perflasset aquilo, in profundum corporis propulsis ab ipso humoribus, tenuißimus primum fluebat, atque ita febrẽ ardentem fecit. Neque in quibusuis aceruatus corporis partibus hic humor febrem ardentem parit: verùm circa ventriculum atque maximè os ipsius, iocinorisq; simas partes. Pari quoque modo non erumpebat sanguis: cùm proprium sit (si quippiam aliud) exquisitarum febrium ardentium per sanguinis iudicari eruptiones. Appellat autem hæmorrhagiã Hippocrates, id est sanguinis eruptionem non adiecta vnde sanguis euacuetur parte, eam quæ per nares fit. Nihil autẽ est mirum, si tum aperiantur, tum rumpantur quæ huc ducuntur venæ, à sanguine qui in sublime fertur ob caliditatem à qua necesse est vt infletur, venæq; tum aperiantur, tum rumpantur ob spiritus copiam, qui & vtres & dolia disrumpit, cùm in musto feruente aceruatur. Hoc itaq; symptoma febres ardentes non est consequutum, quæ scilicet (vt dictum est) essent moderatæ.

10 Multis autem ad alteram aurem tumores erant, plurimis ad vtranque non febriẽtibus & rectis, erant quibus parum incalescebãt, suntq; extincti omnibus sine offensa, neminiq; ad suppurationem ducti sunt, quomodo ad suppurationem duci solent qui ex aliis causis fiunt. Modus autẽ ipsorum erat, laxi erant, magni, fusi, sine phle-

gmone, sine dolore, atque omnibus latenter euanescebant.

Omnes qui dicti sunt tumores ob substantiæ caliginosæ redundantiam contigerunt, à qua alij quidem cum pituita esse nati sunt, alij à flaua bile vt erysipelatosi, cum sanguine verò phlegmonosi. Consistunt verò omnes facilè, quòd promptè talis euaporetur substantia: Contrà autem qui crasso lentoq; constant succo, difficulter euaporãtur. Qui verò in præsenti statu fuerũt, laxi erãt. id est, molles, digitis cedentes, & qui cùm premerentur caui manerent, & sine phlegmone, id est, sine phlogosi, id est, flagratione: sine item dolore, quòd neutrum ipsis inesset ex his quæ dolores pariunt. Sunt autem hæc, corporum tensio & vehemens intemperies. Tensio fit propter crassos lentosq; humores afflictis partibus vix solubiliter infarctos: Intemperies verò valida, quòd calidi vel frigidi valde existant. Iure itaque sine dolore, & laxa, & absq; vlceratione sunt ædemata. Quòd autem talia essent, facileq; soluerentur, ob id ad suppurationem ducta non sunt, veluti quæ ex alijs oriuntur causis. Vocat autẽ προφάσεις, id causas Hippocrates, interdum quidem vt consuetudo est multis, nomen in causis quæ falsò dicuntur inferens: sæpiùs autem manifestas causas ita vocat: interdum quoque & simpliciter omnes. At nũc alijs ex causis ortas suppurationes dixit, quas in febribus fieri edocuit. In qui-

bus quidem aceruati sunt succi multi, crassi, & crudi: qui propter vehementiam acrimoniamq; & febrilis caliditatis abundantiam sursum ad caput feruntur, deinde cum eos in aurium glandulas reponit natura, parotides appellatæ fiunt. Non erat verò in hoc statu talis quædam humorum redundantia, & qui consistebant post aures œdematosi tumores propter spirituosam substantiam priùs euaporabantur. Liquet itaque febres quidem ardentes in principio Veris fuisse cùm perflassent aquilones, dictas verò parotidas toto reliquo tempore, sed iure optimo erat moderatissimæ, ob eas quas diximus causas, qua effectum est ratione, vt homines recti ab ipsis affligerentur, id est, eas ferrent sine tristitia obambulantes & consueta obeuntes munera, & vt in vehementibus morbis iacere opus non habentes. In cæteris enim neque insigniter febriebant, imò si quis etiam ex illis calidior esset, nón diu hoc ferebat, quod redundantis humoris natura (vt dictum est) aërosa magis quàm frigida esset.

11\. Contingebant autem hæc adolescentibus, iuuenibus, ætate florentibus, atque inter hos luctatoribus, athletisq; quampluri- mis: mulieribus verò paucis fiebant.

Communem hanc causam in omni humorum illapsu scire oportet, dictam alibi ab ipso Hippocrate, quòd scilicet calidiores quidē succi in sublimiores corporis partes irruāt, frigidiores verò

deorf

deorsum. Quoniam itaque redundans hoc in statu humior subfrigidus & aërosus esset, mediamq; obtineret naturam tum eorũ quæ facilè sursum feruntur, tum eorum quæ ad inferas repunt partes: ob eam rem solis temperamento calidioribus vel ætate, vel vitæ instituto impetum ad caput habebat. Scimus autem adolescentes propter ætatem non propter vitæ institutum calidos esse, veluti & ætate florentes. Qui verò in palæstris gymnasijsq; versantur, ob vitæ instituta calidi existunt. Iure itaque paucis mulieribus fiebant, iuuenibus scilicet & natura calidioribus, atque his quæ non admodum vixerant in ocio.

Multis autem tusses aridæ, nihilq; à tussientibus exscreabatur: vocesq; non multò pòst raucescebant.

Quænam tusses aridæ sint, ipse ostendit, inquiens: nihilq; à tussientibus exscreabatur. Fiunt autem hæ interdũ quidẽ ob solã, tũ faucium, tum gutturis asperitatẽ, nulla pulmonẽ fatigante humidorum redundantia. Nihil itaque hi expuunt quòd nihil superflui habeant quod tum educi, tum vacuari expostulet. Tusses verò aliæ aridæ fiunt ob intemperiem respirationi deputatorum organorum, in quibus neque aliquid est quod expui desideret. Aliæ rursus fiunt cùm in ipsis humiditates contineantur vacuari postulantes: sed hæ non excernuntur geminam ob causam, vel quòd lentæ sint, crassæq;, & ita bronchijs pulmonis

monis infarciantur, vt ægrè dissolui queat, quod in aptystis appellatis pleuritidibus fit, id est, sputo carentibus: vel quòd humor qui à capite defertur substantia aquæ instar tenuis sit, nempe talis cùm per guttur & asperam arteriã defertur, prius in pulmones funditur, quàm à spiritu per tussim sursum feratur, quod tum euenisse Thasijs videtur, repleto quidem ab austrino flatu eorum capite: sed omnibus thoracis regionibus fluxum immittente. Quòd autem talis esset tussis, testatur & quod ipsi assidei symptoma. Rauci siquidem (inquit) ita tussientes fiebant, humectatis scilicet vocalibus organis ab ea quæ deorsum ferebatur humiditate, vt in commentarijs de voce est demonstratum.

13 Quibusdam autem & multo pòst tempore phlegmone cum dolore in testiculũ alterum repserunt, aliis in vtrunque.

Pars quædam humiditatis illius quæ à capite in pulmonem delapsa est, ex organorum societate ad testes peruenit. De partium autem genitalium ad thoracem societate in alijs libris sermonem fecit Hippocrates. Sed quod in testes est delapsum iam malignius erat, neq; amplius primo illi simile, quòd scilicet longo tempore in pulmonis regionibus computruisset, iure itaque optimo testiculorum phlegmonæ cũ dolore erant: neq; vt parotides dolore vacuæ. Quòd autem vel alter testis vel vterque redundantiam excepisset,

humo

humorum quantitas ipsorum causa erat. quibus enim paucus peruenisset, in teste altero firmabatur: quibus copiosior, in vtroque.

Febres quibusdam, aliis non.

Qui redundauerunt humores, neque calidos admodùm, neque valde frigidos esse diximus, sed inter vtrosque, tum natura, tum temperamento. Hinc pro ætate, naturalibus temperamentis & vitæ instituto, aliis quidẽ ad calidius inclinauerunt, atque ob id febricitauerunt: alij quòd à principio habebant temperamentum seruauerũt, quod febrem excitare non sufficeret.

Laboriosè hæc plurimis contigerunt.

De omnibus quæ dixit hoc veluti inclamãdo retulit: prædixit autẽ tusses, voces raucas, & in testem abscessus, & quibusdam horũ febres, hæc itaque ait symptomata plurimis ægris ἐπιπόνως quod est ὀυκ ἐυφόρως. i. implacidè & laboriosè cõtigisse, neq; vt recti incedẽtes facilè sustinerent: sed vt plurimi ipsorum iacerent, propterea quòd assiduè magisq; progressu temporis aceruata superflua, tum acriora tũ maligniora fierent. Austrini siquidem status si diutiùs edurent, putredines pariunt, & præsertim cùm humidi fuerint. Cùm verò status nunc humidus non esset, diutissimè quidem nihil molesti patiebantur corpora: sed tempore effectum est vt paterentur. Talia quoque quibusdam horum posteà contingebant, qualia inter initia statim omnibus erant, si austrin

16 *strinus humidus fuisset.*

In cæteris quod ad chirurgiam spectat, sine morbo degebant.

Bifariam vox κατ' ἰητρεῖον in exemplaribus reperitur; in aliquibus vt nunc est dictum syllaba vltima per o scripta, in alijs per u, significante priore scriptura quæ ad chirurgiam spectant: posteriore verò quæ ad medicinam totam attinent, vt vel à chirurgicis operibus quæ in ægris fieri solent abstinerent Thasij, vel ab ijs quæ in tota medicina fiunt, patietibus prædicta ægris. Ex vtraque hac, tum scriptura, tum intelligentia videntur mediocriter afflicti fuisse Veris tempore homines, causa morbos pariente nondum quippiam quod malignum esset habente, id quod progressu temporis obtinuit.

17 Ante verò incipientem æstatem, perq; æstatem, atque in hyeme multi qui iandiu subtabescebant, tabidi iacuerunt, nempe & multis qui dubiè habebant tabes tunc est confirmata.

Quos supra dixit tussire quidem, sed nihil educere cum Ver esset, hos in æstate ait, atque eo quod post æstatem est tempore redditos esse tabidos, rem perpetuò his quæ cernuntur consonam exponens. Nam quæ capitis destillationes tussiosos quidem & raucos principio homines efficiunt, procedente verò tempore non consistunt, hæ differentiam phthisis alterã pariunt. Nẽpe huius duæ maximæ

 sunt

ſunt differentiæ. Vna quidem eſt capitis deſtillationibus conſtans: altera ex aſſectibus ipſius pulmonis ortum habens, prorſus quidẽ ex cruentis ſputis, & maximè vbi vas ruptum fuerit: ſæpius verò & rheumate adfecto viſcere ob aliã quandã ex alijs partibus non ex capite cauſam. Si itaque ex Vere auſtrali æſtas ipſa in ſtatum aquilonium permutata fuiſſet, non fuiſſent qui ex phthiſi ſubtabeſcebant declarati, neque abſolutè intabuiſſent: ſed quia non ſolùm in aquilonium conuerſus non eſt auſtrinus ſtatus, imò & plurima æſtatis pars nebuloſa fuit, ob id deſluxus capitis permanſerunt, ſucciq; ex defluxu omnes & præſertim in pulmone ita putruerunt, vt ad phthiſim procreandam nihil deficeret.

Quibuſdam antẽ cœpit primum, vergebatq; his ad tabidum natura.

φθινώδεις, id eſt tabidos appellant veteres Medici, qui & φθινώδη, id eſt tabidum morbum quam & φθόην, id eſt, phthoen quidã vocant, pati ſunt idonei. Tales autem apertiſſimè exiſtunt qui thorace vſqueadeo anguſto ſunt atque non profundo, vt ſcapulæ alarũ inſtar retro promineant: vnde & tales πτερυγώδεις, id eſt, alatos vocant. Quibus item caput facilè impletur, & fluxiones multas ad ſpiritalia membra tranſmittit, hi tabidi promptè ſunt. Quòd ſi ambo hæc in eundem concurrant, tum capitis formatio, tum capitis imbecillitas, tales prorſus naturæ ad

ad tabem sunt idoneæ secundum ambas naturæ causas, nam quibus à capite fluxiones ad pulmonem mittuntur, temporis diuturnitate tabidi hi fiunt: sæpiusq; illis vas in pulmone rumpitur ob visceris tum angustiam tum imbecillitatem. Tales quidem tabidi nonnulli. Quod verò Hippocrates dixit: Nempe & multis qui dubiè habebant, tabes tunc, id est, æstate est confirmata: deinde intulit: quibusdam autem cœpit primum, vergebatq; his ad tabidum natura: non videtur mihi rationabiliter dictum. Nempe quòd tales Vere magis quàm æstate inciperent, multò verisimilius erat. Nam qui promptè certis adfectibus corripiuntur, ij quàm non prompti faciliùs in eos incurrunt. Vt igitur alia quædam in epidemiorum libris, ita hæc ordinem habere inuersum videntur, falso eo circumuentoq; qui primus hæc scripsit, deinde seruato delicto, ita & huic dictioni contigisse videtur: & continuata dictionis series eiusmodi esse: Nempe & multis qui dubiè habebāt, tabes tunc est confirmata; quibus vergebat ad tabidū natura: ac deinde. Quibusdā autem cœpit primum. & postea deinceps.

19 Perierunt verò multi & plurimi ex his & illis qui decubuerunt. Haud scio autem siquis mediocri tempore permanserit.

Tabidorum scilicet. nempe hoc ita intelligere oportet, dictione tota iuxta modum dictum scripta, nempe, & quæ ab eo deinceps dicuntur,

omn

omnia tabidorum communia existunt, id quod disces, si dictionibus mentem attendas, exordiarq; primùm ab ea quæ deinceps scripta est.

Interierunt autem celeriùs quàm consuetum illis esset. 20

Phthisicos ait præter consuetudinem interijsse celeriùs, deinde causam ipse deinceps adfert, vbi inquit: Exercebant autem plurimos illorum eiusmodi pathemata, febres horridæ, continuæ, acutæ. Non enim id cum tabe esse consueuit, quod tunc euenisse videtur. Causa verò cur ambo hæc in idem concurrerint, & phthisis & febris huiusmodi, est status antecedentis ad patientia corpora dispositio. Nempe *paulò antè ostendi illos correptos maximè capitis distillationibus qui calidiore fuerant temperamento. In austrino enim cœlo caput horum maximè repletum fuerat, quibus longiùs protensa nebulosa dispositione contigit, vt succi in corpore putrescerent: atque inde contigit febrium malignitas. Quibus autem tēperamentum minùs calidum esset, his neque succorumq; putrefactio, neq; capitis repletio facta est præterquam paucis horum temporis ex progressu. Quod enim exiguo in tempore patiūtur quæ ad patiendum sunt idoneæ naturæ, id cæteris longiori accidit tempore. Et sanè nihil mirum fuit, si ex antecedente austrino statu facta æstas non austrina, modò verum quoque & nebulosa, putredinem succorum quandam procreauerit non*

solùm in calidioribus corporibus, verùm quoq; & in frigidioribus.

21 Alia vtique & diuturniora & cum febribus existentia placidè tulerunt, & non peribant, de quibus scribetur.

Alia inquit mala absque tabidis, de quibus ipsi sermo erat, quæ etsi diuturniora & cum febribus essent, placidè tamen tulerunt, dictaq; à nobis paulò antè causa, quòd his minùs malignus ex putredine fuisset succus.

22 Sola siquidem & maxima eorum qui tunc facti sunt morborum multos peremit tabes.

Rei huius paulò antè dicta est causa, cùm temperamentum corporis in causa esse diceremus, per quod tabidis correpti sunt morbis, febribusq; malignis, de quibus deinceps ait.

23 Exercebant autem plurimos ipsorum pathemata talia, horridæ febres, continuę, acutæ, in totum quidem non intermittentes, sed modus erat tertianus, vno die leuiores, altero verò superexacerbantes, atq; in summa ad acutius increscentes.

Plurimis tabidorum de quibus agebat pathemata ait facta fuisse, quæ seriatim ipse recenset. Vocant autem pathemata Græci omnes quæ præter naturam in corporibus nostris fiunt. Minim

minit autem primum quidem ipsorum cum inquit: φρικώδεες, id est, horridæ febres erant, significat autem hoc ipsum horrores vel frigoris inæqualitates plurimam partem ascensus & incrementi accessionis in ægris tenuisse. Non enim eos qui in principio accessionis fiunt horrores ita appellauit. sed in quibus per plurimam totius accessionis partem horroris extendatur symptoma. Fitq; bifariam, interdum quidem cum incrementum reduplicationes facit: interdum verò cum ipsum inæquale solum efficitur. Discrimen verò facit temporis quantitas. nam si valde breuibus interstitijs distinguantur inter se horridæ motiones; motio tum inæqualis tum horrida dicitur: si verò longiora fuerint interstitia, reduplicatio fit, & appellatur tale symptoma. Fitq; ea maximè in semitertianis appellatis febribus, quò fit vt tres plurimum & quatuor sint. At in libris de febribus demonstrauimus semitertianam ex inæquali constare succo, qui partim amaram bilem acrem, partim putrescentem habeat pituitam. Tales itaque ait tunc adfuisse ob factum statum horridas febres, vt à me dictum est. Continuas autem ipsas nominauit, non desinere ad integritatem ostendens, quod & ipse explicans ait: in totum quidem non intermittentes. Nam propriè intermittentes illas appellant, quæ à vigore integritatem aliquā præstant: quæ verò sensui perui.ā faciūt declinationē, sed integritatē

nullam habent acutas illas & continuas vocant, quæ totum quidem ambitum habent magna ex parte octo & triginta horarum, quantum & semitertiana, sed neque ad integritatem desinunt: atq; in altero die leuiore rursus alterã adferunt accessionem, minorem quidem altera ambitus alterius, neq; reduplicationes habentem, verùm quæ vix incalescat & vix ad vigorẽ perueniat. Habet quoq; hoc & ipsa proprium, vt circuitus qui primò succedunt, neq; inter se acuti sint, neq; primò æquales: sed perpetuò ad morbi vigorem vsq; tum increscant, tum vehementiores fiant.

24 Sudores autem perpetui, sed non per totum corpus erant: frigiditas extremorum multa, vixq́; recalfiebant.

Quòd symptomata hæc malignarum sint febrium, in prognostico didicimus.

25 Alui turbatæ erant & biliosæ, pauca exierunt, syncera, tenuia, & mordentia, & frequenter surgebant.

Synceras excretiones consueuit appellare exquisitè biliosas: quòd si humor huiusmodi cum aquosa humiditate permistus vacuetur, non amplius syncerum appellat, didicimus autem & hoc ipsum de synceris excretionibus, quarum malignitatem in prognostico dixit: & de tenuibus substantia humoribus, quòd omnes incocti sint, atq; vt cõcoquantur, robusta opus habet natura. Mordẽtes autẽ erant iure excretiones, si vtiq; & biliosæ

biliosæ & syncera erant. Rursus quoq; & surrectio asidua excretionum mordacitatem sequebatur, qua effectum est ratione, vt ob hoc symptoma vires ægrotantium laborarent.

Vrinæ tenues, & incoctæ, & decolores, & paucæ, aut crasitiem habẽtes, & paruam subsidentiam, nec probè subsidentes: sed crudo quodam & intempestiuo sedimẽto.

De vrinis quoq; didicimus, quòd tenues, decolores, & paucæ, vel crasitiem habentes, & paucæ, sunt prauæ, veluti & crassæ quidem, sed quæ sedimentum aut nullum aut valde paruum haberent, atq; hoc ipsis accidit, quòd non probè subsideant. Hoc autem ipsis fit illis in febribus in quibus caliditas multa & flammea succorum tum crudorum tum crassorum feruorem quendam facit. Iure igitur in his vel prorsus non fit, aut si fit, ea (vt ipse dixit) & cruda & incocta est. De prauis autem subsidentijs in prognostico egit.

Tusiebant autem pauca, spissa, cocta, sensim ægrè reiicientes: quibus verò violentisima erant, neque paulatim maturatio erat, sed perpetuò cruda expuebant.

In malignisimis quidem tabibus & quibus prope est mors, neq; paulatim coquuntur quæ expuuntur: in cæteris verò quæ mediocres sunt, & in longius prodeunt tempus, ob id ipsum coquitur probè superfluus in pulmone humor & facilè

expuitur. At scriptis tabidis nihil horum adfuit. Nempe aut prorsus incoctum expuebant, aut coctum quidem sed paucum & quod paulatim vix exscrearetur. Dixit & de eiusmodi exscreatione in prognostico.

28 Fauces plurimis horum à principio assiduè dolebant, ruborem cum phlegmone habentes: fluxiones paruæ, tenues, acres, citóq; macie extenuabantur, & malè habebant.

Symptomata præfatus quæ tunc tabidis circa fauces apparuerunt, causam ipse adiecit, inquiēs: fluxiones paruæ, tenues, acres. Nempe propter fluxionum malignitatem à capite scilicet delatarum, fauces quidem doluerunt: sed quòd ab ipsis morderentur ruborem & phlegmonem habuerunt, quódque defluxus calidus esset, nihil mirum in Thaso erat si præter tabidos alios, ita habentes ad summam extenuationem deuenirent.

29 Cibos omnes perpetuò auersabantur.

Ἀνορέκτους καὶ ἀσίτους, id est, non appetentes & à cibo abstinentes vocant Græci, qui cibos non ingerunt: qui verò ciborum sumptum auersantur fastidiuntq; ἀποσίτους. Quòd autem hoc inappetentiæ symptoma tabidis factum sit, quòd fluxionis eius quæ tum fauces tum pulmonem exercebat, pars in ventrem destillauerit, constat omnibus.

30 Sine siti erant.

Non

Non ob malignitatem rheumatum quæ ipse acria appellauit, tabidis contigit hoc symptoma, quare videtur mihi & Hippocrates quod his præter rationem euenit significare volens, adscripsisse: sine siti erant. Nempe summæ malignitatis signum est, vbi vel cùm calida & perurens febris est, vel cum fluxus ad ventrem acris defertur, non sitiuerint. Significátque hoc symptoma sentientem membri facultatem tum perditam tum extinctam, si vtique particulare dißidium non sentiat.

Deliri quoque multi circiter mortem erant. De tabidis quidem hæc. 31

Neq; hoc tabidis alijs euenire consueuit: sed ob malignitatem earum quæ tunc factæ sunt febrium, præsentis status morbos est consequutum.

Iam verò æstate & autumno febres multæ, continuæ, non violentæ, sed ægris diuturnæ: neque in cæteris implacide habentibus fiebant. 32

Nempe & antea tabem solam perniciosam fuisse dixit, & nos causam apposuimus. Consequuntur itaque illa & quæ in præsenti oratione dicta sunt, & quæ his continuat, vbi ait.

Aluus plurimis turbabatur, facileq; admodum ferebant, nihilq; quod effatu dignum esset lædebat: vrinæ quoque plurimis boni quidem erant coloris & synceræ: sed tenues, & pòst circa iudicationem 33

coquebantur.

Consequuntur quoq; & illa quæ de vrinis retulit. Nempe vt quæ suprà de tabidis recensuit, maligna erant, ita & quæ nunc dicuntur, valde mediocria existunt.

39 Tußiebant non admodum, neque quæ tußi reiiciebantur, negotium faciebant: nec cibos modo non auersabantur, verùm quoque & exhibere valde licebat.

Plurimi libri huius interpretes trãsiſſe Hippocratem in hac oratione ad tabidos aiunt: ego verò de febribus alijs quas exponit, adhuc in præsentia dici arbitror, quo enim modo præfatus tabidos cibum omnem perpetuò auersatos fuisse hic nunc dicat: nec cibos modo non auersabantur, verùm quoq; & exhibere valde licebat? Cur itaq; hoc in loco scripsit: non tußiebant? Nempe hoc opinionem illis præbuit vt hæc de tabidis ipsis dici existimarent. Ego equidem puto cùm de alijs adhuc febribus sermo esset, adscriptum esse. Fiunt siquidem tußiosi tußi ipsa symptomatis ratione simul inuadente, non tamen tabidi prorsus hi sunt. Nihil itaque mirum si cum febre cœperint Thasij quidam ex antescripto statu & repleto tunc capite, conueniente scilicet statui febre, tußire: sed non admodum molestum erat illis symptoma, neque quæ per tußim educebantur, difficultatem præstabant, neque enim hi tabidi erant.

In summa qui tabescebant subægrotabant:non tabidorum modo febribus horridis parum sudantes, atque aliter alij tanquam erraticè exacerbantes,atque in summa non desinentes, sed earum modo quæ tertio die accessiones habent irritantes.

Omnis hac dictio ab prædicta subinde illata certiorem plerisq; interpretum opinionem fecit,vt dictionem superiorem de tabidis ipsis dictam esse existimarent. At quòd illa quidem de illis dici non potuerit, ostendi per ea quæ demonstraui, cibos auersantes quidem ab ipso dici tabidos, hos autem non cibos auersari. Sequens autem dictio quæ nunc nobis proponitur, duos nacta est expositionis modos vno quidem ita nobis dicentibus. Sed antescriptam repetam dictionem. Deinde præsenti coaptabo adiecta ipsi claritatis gratia syllaba vna. Tußiebant non admodum, neq; quæ tußi reijciebantur, negotium faciebant,nec cibos modo non auersabantur: verùm quoq; & exhibere valde licebat. Nempè in summa subægrotabant tabidi non tabidorum modo. Fieri autem potest vt ipse ita dixerit de aliter febrientibus, scribens commune symptoma morborum eorum qui tußiosa habeant symptomata, & non ipsorum tabidorum. Nempe quòd sermonem de tabidis rursus adsumpserit, vt memoria teneamus hos ægros de quibus nunc agit à prædictis tabidis differre, verisimile est. Nam & symptomata

rursus antedictis eadem dixit, vna quidem ea est quæ solatij loco sit, causa, quòd in hac dictione sermonem de tabidis repetierit, altera est quam sæpius in libris fieri non ignoramus. Nempe cum interdùm de re vna bifariam scripserimus, vt ex scripturis altera quidem in orationis textura sit, altera verò in altero sit apposita margine, vt de ipsarum altera nacti otium iudicemus censuramq; faciamus, qui primus librum transcripsit, scripsit vtranq;. Deinde cùm patratum non aduertimus, neq; erratum correximus, liber vbi ad multos venit, incorrectus permansit.

35. Iudicabantur autem inter hos quibus breuissimi erant morbi, circa vigesimum diem, plurimi circa quadragesimũ, multis iudicatio circa octogesimum fiebat: aliis nõ ita, sed tum erraticè tum citra iudicium relinquebant, quos inter plerisq; febres nõ multo intermittentes tempore reuertebãtur, atque ex reuersione ambitibus eisdem iudicabantur. Plerisque ipsorum ita extendebantur, vt sub hyemem ægrotarent.

Quorúmnam morbum circa vigesimum diem iudicatum esse ait? Sanè hi sunt de quibus agebat qui aliter ægrotauerunt quàm tabidi. Rei huic astipulantur consequentia omnia. Nempe horum quibusdam ad octogesimum vsque diem productum fuisse morbum ait: atque alios tum erraticè tum absq; iudicio reliquisse, atq; horum

pluri

plurimis reuertisse: Febresq; ex reuersione eisdem circuitibus fuisse iudicatas, atq; horum non paucis ad hyemem vsque productum fuisse morbum. Omnia hæc supradictis manifestè consentiunt,
» *vbi inquit: Iam verò æstate & autumno febres*
» *multæ, continuæ, non violentæ, sed ægris diutur-*
» *næ, neque in cæteris implacidè habentibus fiebant. hæc quidem his consentiunt quæ in præsenti dictione ab ipso dicta sunt. Quæ verò de tabidis dixit, non consentiunt, id quod disces vbi ad memoriam reuocaueris breuem partem quæ de his est expositionis, vbi ait: interierunt autem celeriùs quàm consuetum illis esset, nempe ab ipso de tabidis dictum est, atque ipsos celeriùs interijsse ait. De his verò qui aliter ægrotarent,*
» *ab his deinceps scripsit hoc modo: alia autem &*
» *diuturniora & cum febribus existentia placidè*
» *& quietè tulerunt & non peribant: de quibus scribetur. Hæc ita his consentiunt, quæ in proposita dictione de his qui autumno & hyeme febricitauerunt, dicuntur. At quod prædixerit quidem: de quibus scribetur: nullam autem aliam orationem quam scripserit, ostendere valeamus, nisi eam quæ nunc de ipsis facta est, necesse est vt de aliter ægrotantibus, quàm ex tabe omnis hic sermo ab eo dictus sit.*

Ex omnibus qui hoc in statu subscripti sunt, solis tabidis lethalia contigerunt, ex aliis autem febribus nequaquam. 37

Vltima

Vltima est hæc oratio eorum quæ de primo statu ab Hippocrate dicta sunt, quæ nihil quidem amplius docet: sed summatim colligit quæ antè dicta sunt, quòd vir sæpius facere consueuit.

GALENI IN

PRIMVM EPIDEMIORVM COMMENTARIVS SECVNDVS.

***

IN EO *qui hunc antecedit libro de mutua anni temporum permutatione dictum est, explicataq; & singulorum naturalis est temperatura, atq; eorum tum principij tum finis sunt præfiniti dies. Quibus itaque à nobis memoratis adijciam quæcunque ex nunc dicendis expostulant explanationem, non summè rudibus tantum neque solùm his qui sufficienter parati sunt inseruiens, nempe ad omnes sermo eiusmodi mediocriter erit. At ex cæteris qui absolutè rudibus est peculiaris, ob prolixitatem his qui captu pollent, molestus erit: qui verò captu pollentibus idoneus est, rudibus obscurus erit. Neque vt hi talibus commẽtarijs contenti sint oportet,*

tet; sed aliàs aliud & ab alio intelligentes & fusius sæpe hæc, atq; aliàs hæc sæpius, quod vtile est absque obauditione discere poterunt.

STATVS SECVNDVS.

In Thaso ante autumnum frigora non tempestiuè, sed repentè, cum aquilonibus austrisq́; multis, humida & ante erũpentia.

Autumnum Arcturi ortu qui ante autumnale æquinoctium fit, incipere dixit. Ait autem eo tempore oborta fuisse frigora magna priusquã oporteret. Nempe id apud ipsum: & non tempestiuè: & ante erumpentia indicant: non tempestiuè, itaq; solam significat anticipationem: verùm, ante erumpentia, ea cum pluuijs confertim facta fuisse ostendunt.

Fiebant autem hæc talia adusque pleiadum occasum & sub pleiadas.

Quòd Pleiadum occasus autumnum finiat, dictum est suprà. Item quòd duo menses sint ab Arcturo ad pleiadas, quodq́; significatio vna in aëre ab Arcturo fit, duæ verò ex pleiadibus, vna quidem cùm autumno hyems copulatur, ad finem existens: altera verò cùm Ver æstati. Solum verò Arcturi ortum memorare non consueuit Hippocrates, quòd in eo principium autumni constituatur æstatisq́; terminus, præterea & de totius anni in quatuor partes diuisione iam anteà diximus, item de ea quæ in septem fit: quodq́;

quodq; & æstatem terminet ortus, tum pleiadum tum Arcturi: & quòd is pars quædam totius anni in septem partes diuisionis, secta quidem in duas partes æstate, & hyeme in tres: quòd item nihil referat si pleiada singulariter dixeris aut pluraliter pleiadas.

3 Hyems autem aquilonia.

Post pleiadas hyemem memorauit, terminum autumni pleiada esse manifestè ostendens. De hyeme itaq; tunc facta dissertantem ipsum attentè intelligamus.

4 Aquæ multæ, largæ, magnæ, niues, mixtæ serenitates plurimæ. Fiebant autem hæc quidem omnia: sed nõn valdè intempestiuè frigora. Iam verò post brumale solstitium, atque vbi Zephyrus spirare cœpit, sequentia frigora magna, aquilones multi, nix, & aquæ multæ continuè, cœlúmque procellosum & nubilum. Hæc autem extensa sunt, & non remissa ad æquinoctium vsq;. Ver autem frigidũ, aquilonium, aquosum, nubilum. Aestas nõ admodum æstuosa fuit. Etesiæ iugi tenore perflauerunt. Mox circiter Arcturum spirantibus aquilonibus multæ admodũn aquæ.

Multas dicimus fieri aquas in aliquo tempore propter temporis longitudinem, etsi in eo non vehementer erumpant. Dicimus quoque & multas etsi in pauco tempore vehementer & impetuosè

petuosè descenderint: possunt & hæ magnæ appellari. At verò cùm deinceps quis simul dixerit aquas vehementes & magnas factas esse; quomodo simul scripsit Hippocrates, intelligemus λάβρας quidem ἐξαιφνιδίας, σφοδρὰς καὶ ὀλιγοχρονίας, id est, repentinas, vehementes, & breuis temporis: magnas verò neque repentinas neque breuis omnino temporis, sicuti & neque diuturnas. Sed claritatis gratia nihil prohibebit & paulò prolixiore vti expositione. Fiat itaque repentina pluuia multa horis tribus vel quatuor, deinde confestim desinat, λάβρον hoc appellabimus. Alia autem quędam paulatim quidem incipiat, paulatímque increscat, ídque statuatur totum diem & noctem: deinde à vigore rursus minùs copiosè paulatim decidat per totum sequentem diem, deinde desistat, pluuiam eiusmodi non dicemus λάβρην, sed magnam. Hyems itaque quàm exponit, interdum quidem repentinas vehementésque & pauci temporis habuit pluuias, interdum verò & magnas ex interuallis. Aër quoque in medio purus erat, nempe rei huic concordat quod ab eo scriptum est: mixtæ serenitates plurimæ. Ait præterea niues hac hyeme fuisse, nec multas, nec paucas adiecit, vt quæ neutrum abundè haberent, sed quæ ex vrbis consuetudine magis essent, atque ob id apposuit: sed non valde intempestiuè frigora

Cætera

Cætera quoq; quæ deinceps sunt omnia hyemem frigidam & humidam fuisse ostendunt, secundum naturam solùm frigidam, sed plusquam cõueniret humidam fuisse. Ver item aquosum frigidumq; & aquilonium fuisse ait: præterea & nubilum, deinde æstatem quodammodo moderatam, à quibus omnibus circiter Arcturum spirantibus aquilonibus aquas fuisse multas, atque post hæc totius status summam in dictione recenset: facto autem anno toto humido, frigido & aquilonio. Cœlumq; procellosum & nubilum. Cœlum dixit ex vulgi consuetudine, qui supra nos est aërem ad nubium vsq; regionem. Quod autem tum astronomi tum Philosophi cœlum appellitant, à Lunæ loco exorditur. Λαίλαπας *autem, id est, procellas, repentinos & vehementes ventos Græci appellant, & præsertim vbi pluuia simul cum illis repentina, vehemens & pauci temporis fuerit.*

5. Facto autem anno toto humido, frigido, & boreali, per hyemem quidem salubriter plurimi habebant. Ante verò Ver multi atque etiam plurimi laboriosè degebant.

Demonstrauimus anteà consueuisse Hippocratem expositionem eorũ qui in aëre facti sunt statuum ab illo exordiri tempore, quod primum à naturali recesserit temperamento, neq; id absq; ratione facit, qui scilicet populariter grassantiũ morb

morborum formas aëris nos ambientis intemperiei copulaturus sit. Quoniam itaque ab autumno cœpit, æstas vtique ante ipsum est, sequiturq; quod eam præit: Naturaliter itaque pro anni temporum ratione degentia corpora excipiens autumnus & humidus & frigidus tantùm abest, vt vitiosi quippiam attulerit, vt & fortasse corpora aliqua adiuuerit, quæ scilicet calidiora & sicciora temperamentis existentia consueuerunt æstate ad immoderationem peruenire. His itaq; autumnus veluti medicina fuit, frigidum & humidum habens statum. Nec verò hyeme morbus fuit epidemius explicatione dignus, nempe hoc indicat inquiens: per hyemem quidem salubriter plurimi habebant, humidior siquidem hyems erat, sed non multò frigidior, quàm illi accidit secundùm naturam, quare statum ipsius narrãs inquit: sed non valde intempestiuè frigora. Rationi autem erat consentaneum, vt morbi primùm cœpissent, vbi aër plurimum degeneraret, quocirca ipse inquit: Ver autem frigidum, aquilonium, aquosum, nubilum. Nam Ver temperatum esse debet, non frigidum; sicut neq; nubilum neq; aquosum. Quòd autem Ver ab eo quod hyemem sequitur, equinoctio exordium sumat, in primo diximus commentário, id quod & ipse dilucidè ostendit Hippocrates in præsenti narratione, vbi dixisset: sequentia frigora magna: adiecit deinceps: extensa autem sunt hæc, & non remissa

ad æquinoctium vsque. Deinceps adscripsit: Ver autem frigidum, aquilonium, aquosum & nubilum. Videamus itaque quinam eiusmodi aëris statum morbi sint consequuti.

6 Cœperunt itaque primùm ophthalmiæ manantes, cum dolore, humidæ, incoctæ, lemiæ paruæ, & difficulter multis erumpentes, plurimis reuertebantur, & tandem ad autumnum reliquerunt.

Quam ob causam in Vere quidem cœpit morborum epidemiorum generatio, antea dictum est, cur autem oculorum inflammationes cæteris morbis magis fierent, non ignorabis, si statum ipsius ad memoriam reuocaueris. Ait enim fuisse frigidum, aquilonium, aquosum & nubilum. Si itaq; ex ventris solùm icti fuissent oculi, contigissent ipsis citra defluxum, oculorũ inflammationes: sed quoniam cum humiditate multa fuissent venti aquilonij: iure ῥοώδεις, *id est manantes oculorum inflammationes fuisse ait, id est, humidas tanquam ab humido statu procreatas. Cũ dolore autem vtroque modo erant, & cum rheumate consistentes & absq; hoc, quòd frigus perseuararet: nempe & idipsum oculis dolores excitare sufficiebat. Nunc autem dolores auctos esse verisimile est frigore oculorum vnà cum eorum rheumate concurrente. Incoctæ verò erant & longo permanebant tempore, propter tum humiditatem, tum frigiditatem. Nẽpe rheumatibus coctio*

acci

accidit vbi à calore natiuo superantur. Facilè autem superantur, vbi & exiguum fuerit humidum, & non admodùm frigidum, nempe cùm valde frigidum fuerit, difficulter coquitur. Prætereà naturalis animantium caliditas, si robusta quidam fuerit, humiditates ipsarum citiùs cōcoquit: si verò imbecilla, vix longo superior euadit tempore, & humores vincere potest, quo fit vt si quidem sanati fuissent, rursus in illas decidissent, nempe debilitatos ophthalmijs oculos ambiens frigus, aquilonium, aquosum & nubilum iure optimo offendebat. Consueuit huiusmodi oculorum inflammationibus euenire sordes quædam minutata, quam lemiam vocant, vix emanans propter tunicarum densitatē quam ex ambienti frigore contraxerant. Hinc Vere toto deteriores de necessitate oculi fiebant: æstate verò quæ scirrhosa fuerat affectio, ea sensim ad coctionē deducta est. Nam qui longo tempore confecti erant morbi, & præsertim à frigore & humiditatibus, solui celeriter non potuerunt. Iure igitur oculorum affectus autumno absolutè desijsse ait.

Iam æstate & autumno lienteriæ, dysenteriæq;, & tinesmi, & diarrhœæ, biliosis exeuntibus, tenuibus multis, crudis, & mordentibus, & quibusdam aquosis: prætereà multis circunfluxus cum dolore, biliosi, ramentosi, purulenti, & cum stranguria.

Non hi tātùm morbi & symptomata Thasijs

fiebant, verùm & alia quædã de quibus deinceps aget. Nempe diuersissimè ægrotarunt, in diuersi generis morbos incurrentes. Communem itaque primùm adferam rationem, eamq; ad id non inutilem, cur non omnes in ea tempestate ægrotarent: deinde ad particulares deueniam morbos. Considerare autem oportet in statibus omnibus vniuscuiusque hominis, tum ætatem, tum naturam, cuiúsnam scilicet dispositionis ad statum fuerit. Nempe ea inuenies quæ vel facilè, vel ægrè capiantur, vel mediocriter ad ipsum habeant: deinde compones, tum vitæ institutũ, tum omnem salubrem victus rationem statui contrariam. Quòd enim corpus, tum facilè, tum ægrè ab externis iniurijs capiatur, temperamenti, tum similitudinem, tum dissimilitudinem causam esse sæpiùs diximus. Nempe cùm sanitas ex quatuor elementorum commoderatione constet, siue qualitates, siue facultates appellare volueris humiditatis, siccitatis, caliditatis, & frigiditatis, quædam, tum corpora, tum naturæ, tum ætates intemperata sunt, quibus alij quidem similes status morbosi sunt, contrarij autem ipsis prosunt. Tẽperatis enim corporibus temperati status salubres sunt, intẽperati verò nocui: sed vt ex intẽperatis statibus nullus tẽperatis bonus sit, ita neq; admodũ nocuus, sicut intẽperatis. Nẽpe valde humidi & frigidi status intemperatis frigiditate, & humiditate corporibus valde nocui existunt.

quom

quomodo humidi & calidi status temperamentis humidis & calidis, nec dißimili ratione calidi & sicci similibus. Nam quæ corpora iam prope sunt vt morbum hunc incurrant, ex peculiari intemperie arguuntur. Quæ verò cõtrario quàm aër modo temperata sunt, præterquam quòd nihil iniuriæ accipiant, redduntur quoque meliora ab immoderatione castigata. Contraria siquidem contrariorum sunt remedia. Calidis igitur & siccis temperaturis humidus & frigidus status opem magis quàm offensionem præstat, propterea quòd ad contrarium ducat, medietatem temperamenti efficiens. Idq; in causa fuit, cur non omnes in statibus intemperatis morbos incurrerent: quod siquis cognoscat sanitatem corporibus seruabit, contrariam adhibens victus rationem. Nam si humidus & frigidus sit qui nos ambit aër, calefacienda erunt corpora & præsertim frigidiora & humidiora, exercitationesq; plurimæ his conferent, vinumq; paucum natura calidius, & quod aquam acceperit, cibiq; calfacientes, & singulorum prætereà quantitatem horum ex tum corporis, tum aëris temperamento cognoscemus, si quantum à temperatura vtrunque permutatum fuerit consideremus. Nam pro permutationis magnitudine victus rationis quantitas permutanda venit. Vt si corpus aliquod à temperatura plurimùm ad humiditatem & frigiditatem recesserit, hoc in præsenti statu plu-

rimùm ipsi & siccabimus & calefaciemus. Quod si mediocriter ad tale recesserit, rationi non consentaneum fuerit summè ipsi hoc efficere, sed proportione, in siccis itaque & calidis corporibus, multò minùs victus ratio valde sicca, & calida esse debet. Nempe apud se id habent. Considerare autem solùm oportet quantùm à conuenienti natura aër permutatus fuerit. Nam si parum, nullo pacto in calidis & siccis corporibus permutabimus mediam victus rationem. Si verò ampliùs, sufficiet mediocriter permutasse. Quisquis itaque hæc sciuerit, causas generationis singulorum morborum in singulis statibus obseruabit. Quintus verò experimentariorum modo, morborum qui ita fiunt causas sciri negans (nempe ad solam experientiam eas refert) conuenientium auxiliorum inuentione destituitur, quanquam ob idipsum morborum epidemiorum generatio vt cognoscatur vtilis sit. Præsentem igitur statum consideremus, ab initio resumentes. Fuit hic, vt Hippocrates ostēdit, frigidus & humidus, principium capiens ab autumno, quo factum est, vt in ipso autumno & sequente hyeme mediocriter habuerint Thasij. Vere autem quia & ipsum frigidum & humidum fuerit, primi omnium ægrotauerunt oculi, quòd non solùm humidus & frigidus fuisset aër, verum quoque & anteà procellosus. Ictos itaque à frigidis ventis oculos primos ante cæteras corporis partes laborasse

rasse par est, ex causæ scilicet efficientis natura, quò factum est, vt neque absque ratione contigerint ipsis fluxiones humidæ & frigidæ. Verùm quoniam ad summam humiditatem non est deductus status, ob id nulla alia pathemata sunt cõsequuta, quæ redundante tali in aëre temperatura euenire consueuerũt, apoplexias dico, cõuulsiones, palpitationes, tetanos, pulmonum inflãmationes, & dolores laterum. Verùm posteà morbi plethorici cum corruptione facti sunt, putrescentibus iam ob longam intus moram succis. Nempe causæ frigidæ cutim densantes, ne succi euaporentur inhibent: humiditates verò quæ ex aëre sunt, non solùm à corpore nihil abducunt, sed adijciũt. Cùm igitur vtraq; simul in præsenti statu facta sint, copia in ægrotantium corporibus est aceruata, sed non eadẽ omnibus. Nam quibus in corpore biliosa quædam superfluitas esset, ea nõ euaporata biliosum peperit morbum: quibus verò pituitosa, vel melancholica, vel sanguinea, cõfestim & superfluitati non vacuatæ similis adfectio fuit. Cùm verò talis in corpore, tum corrumpi, tum putrescere superfluitas nata esset, rationabile fuit alios alijs corripi morbis, cui rei accedit quòd partes corporis omnes nõ similiter haberẽt. Nẽpe huic quidem iecur debilius erat, alteri lienis, alij venter, alij intestinũ, atq; alij aliud quippiam. Cùm igitur partes imbecilliores perpetuò à validioribus superfluitatem exciperent, consequens erat

atq; ex partiũ natura, vt ex Thasÿs alius aliud pateretur. Dysenteriæ itaq; tinesmi, diarrhææ, & lienteriæ fluentibus in ventrem superfluitatibus fiebant: vrinarum verò difficultas, in vesicam conuersis: vomitus verò cùm ad os ventris pertinerent. Verùm hæc quidem propter aëris frigiditatem intra corpus impetum fecerunt. Aestate verò cùm temperaturæ corporum calidiores essent, atq; interna robustiora haberent, verisimile erat vt sudores fierent, atq; quibusdam horum citra febrem hoc contingeret, cùm nondum sufficientem habuisset superfluitas putredinem: alÿs autem & cum febre. Procedente verò tempore febres variæ quæ formas haberent diuersas fiebãt, quòd scilicet putrescentes humores diuersi essent: non enim ex aëre procreati fuerant, sed ex statu qui frigidus esset non calidus, accruati, vt cùm sua ratione corpus calfacit canis ortus, perpetuò febres ardentes fieri soleant. At nunc non ab ipso primùm erat statu, sed propter cutis densationem. Morborum itaq; qui tunc grassati sunt compendium dictum est, ad particularia autem iam cõuertemur, simulq́; si in dictione quippiam obscurum videatur, explicabimus.

8 Non nephritici, sed his alia pro aliis.

Et per sedem excretiones fiunt prauæ sæpiùs ventre ipso illæso permanente, vbi per ipsum totum corpus expurgatur, vel cùm abscessus in illo fuerit per emißionem aliquam, iuxta Hippocratem

cratem abſceſſum fieri volentem non ſolùm κατ' ἀπόθεσιν, id eſt, per repoſitionem, verùm quoque & κατ' ἔκρουν, id eſt, per emiſsionem, ita quoque per renes & veſicam interdum totum expurgatur corpus, nihil propriè adfectis inſtrumentis, quomodo contigit in hoc ſtatu. Quare cùm orationem proſequitur, ita inquit: » Ex ſignis verò » quæ fiebant, vnum vtile & maximum, pluri- » moſq; qui in maximis eſſent periculis vindicauit » quibus ad ſtranguriam conuerterentur, atque in » hoc abſceſſus fierent. Idq; eſt quod nunc eſt dictum: non nephritici, ſed his alia pro alijs. Nempe cùm totius corporis ſuperfluitates ad renes & veſicam defluerent, excretiones, nephriticis ſimiles fiebant.

Vomitus pituitoſi, bilioſi, & incoctorũ ciborum reiectiones.

Quod ex humorum redundantia ad internas repente partes in ſedem fluxit, diarrhœas, tineſmoſq; & dyſenterias, & lienterias peperit: aliud per renes & veſicam excretum eſt. Hoc itaque pacto ſuperfluitas in ſuperiorem fluxit ventrem, atque innatans & per ſumma repens per vomitus reiecta eſt, pituitoſis quidem naturis pituitoſus fuit vomitus: bilioſis verò bilioſus. Nempe aceruata (vt dictum eſt) per ſtatum fuerunt ſuperflua, quæ inter ſe pro corporum natura qualitatibus differebant. Neque ſanè mirum ſi ciborum incoctorum reiectiones his fierent, confluen-

tibus scilicet in ventrem succis, tum pituitosis, tum biliosis.

10 Sudores.

Quibus vt diximus per cutim effluxiones multæ essent, potuit natura eo tempore illuc reijcere quæ superflua erant, & his hoc pacto sudores facere.

11 Cũctis vndiquaq; superflua humiditas.

Redundantem humiditatem πλάδον *consueuit appellare. Cùm itaque alijs aliter, atque quibusdam variè euacuarentur collecta multo tempore humida, ob id iure optimo ait: Cunctis vndiquaque superflua humiditas.*

12. Fiebant autem hæc multis rectis & febre carentibus, multis & febrientibus, de quibus scribetur.

Quibus quidem aceruata copia, vel biliosum quippiam corruptioni non prorsus contumax ad putredinem febrilem iam conuersa esset, hi confestim febricitauerunt: quidam verò recti, aut non priùs in febres deciderunt.

13. Quibus autem subscripta omnia cum dolore videbantur, tabidi quidem iam autumno fiebant, & sub hyemem.

De secundo autumno, & secũda hyeme agit, quoniam de primo ita prædiximus: Per hyemem quidem salubriter plurimi habebant: Ante ver verò multi atque etiam plurimi laboriosè degebant: deinde vbi quæ in Vere facta sunt percurrit,

rit, mox æstatem memorauit, atque ab his autumnum secundum, de quo circa finem totius status dixerat: Mox circiter Arcturum spirantibus aquilonibus aquæ valde multæ. Sed quósnam φθινώδεας, id est, tabidos dicat, non admodùm liquet, nempe & quomodolibet corpore extenuatos emaciatosq; vocare illo nomine consueuit; non solùm eos qui ob pulmonis vlcerationem toto corpore tabescunt. Verisimile est autem & nunc ab ipso dictos φθινώδεας, id est, tabidos eos, qui quomodolibet corpore extenuantur, nullo ex pulmonis morbis antè dicto. Neque enim sanguinis reiectionem ex ipsis factam esse prædixit, neque peripneumoniam, neque in hoc viscus fluxum decubuisse, vt iure existimes tabidos dicere factos esse qui tunc ægrotarent ex pulmonis vitio, nec verò impoßibile est, vt in ventrem renesq; totius superfluitatis corporis quippiam venit, ita & in spiritales partes decubuisse.

Febres continuæ. 14

Orationem, sub hyemem, quæ media dicta est inter hanc, & antè scriptam dictionem, alij illi, alij huic aßignant. Verùm sermo omnis talis esse mihi videtur: Et iam autumno quidam tabidi erant, similiter & hyeme: prætereà febres continuæ & autumno fiebant & hyeme. Quòd secundæ hyemis statum non scripserit, vtpote quæ peculiarem hyemis naturam seruasset, const

constat omnibus. Didicimus itaque ex altera ratione morbos fieri in aliquibus anni temporibus, nihil scilicet passis ipsis, sed quæ priorum delicta exciperent.

15 Atque paucis eorum ardentes.

Non propria status ratione febres ardentes fiebant; sed per accidẽs, quomodo diximus ea quæ contigerunt. Impedita siquidem totius corporis transpiratione, quæ superflua esse singulis naturis consueuerunt, vacuatione inhibita peculiares sibi morbos generauerunt, quare qui biliosi vehementer erant, his pro naturæ familiaritate febrem ardentem fuisse contigit. Hinc de his posteà ait: Febres verò ardentes paucißimis fiebant, & inter ægrotantes minimè hi laborauerunt, neque enim eis procreauerat calidus, vrens, & squalidus status. Nam multæ fuissent, & multis cum vehementi labore.

16 Diurnæ, nocturnæ, semitertianæ, tertianæ exquisitæ, quartanæ, erraticæ, singulæ autem subscriptarum febrium multis fiebant: ardentes verò paucissimis: & inter ægrotantes minimè hi laborauerunt.

Cur omnis quidem species in antedicto statu contigerit, anteà est dictum. Verbum autem exquisitæ, quod verbis, tertianæ, & quartanæ, interiacet, tribui vtrique potest.

17 Neque enim sanguinem profuderunt, nisi valde paucum, & pauci, neque deliri

fuer

fuerunt, atque alia omnia facilè tulerunt.

Proprium Hippocrates habet, vt præcepta vtilia obiter doceat, nempe peculiaria morborum symptomata, quæ tunc non fuerunt, consueuit hoc interpretari modò, ex eo quòd non eo tempore fuerant, fuisse sæpiùs ea docens. In legitimis itaque (vt ita quis dixerit) febribus ardentibus, sursum latis ad caput ob caliditatis copiam succis, sanguinis eruptiones fiunt, & deliria: nunc autem quòd exquisita febris ardens non fuisset, iure symptomata non habuit, quæ peculiaria febrium ardentium essent.

Iudicabantur plerisque horum morbi bono admodùm ordine, cum intermittentiis ad dies septemdecim.

Atque hoc proprium est febrium ardentium quæ tunc erant, non ad reliquas commune quas legitimas appellauit. Nempe vt illæ inter febres vehementes sunt, sic & siti, & vigilijs, & difficili tolerantia, ac interdum cum mentis perturbatione fatigant, quòd autem ita acutæ sint, ob id celeriter iudicantur. In febre verò ardenti quæ nunc grassabatur, vt modicè acuta erat, & nullo pacto laboriosa symptomata, sic neque iudicatio certa fiebat, sed veluti ad dimidiū quodammodo declinans, vt ex recidiua rursus secundò iudicaretur. Nempe cùm dicit, cum intermittentijs, ostendit antè quidem iudicatas imperfectè: sed à reuersione secundò iudicatas.

Nul

19. Nullumq; ex hac febre ardente interiisse vidi, neque in phrenitim venisse.

Nullus quidem ex hac febre ardente obijt, quòd moderata esset, causaq; rei huius est antè dicta: neque phrenitis fuit, quòd cùm status totius frigidus esset, caput his non repleretur, quòd autem ab incalescentibus capitis regionibus phrenitides fiant, est demonstratum.

20 Tertianæ autem plures quidem quàm ardentes, sed laboriosiores: bono tamen his omnibus ordine erant à prima inuasione ad quatuor circuitus. In septem verò perfectè iudicabantur, nullaq; harũ rediit.

In commentarijs de febrium differentia, & de iudicationibus, tum alia, tum quòd propter bilis flauæ redundantiam, & febres ardentes & tertianæ fiant ostendimus, quodq; hoc commune habeant, sed locis differant in quibus redundans aceruetur succus. Nempe in ardentibus febribus redundat in venis, & præsertim iecoris & ventris: Tertianæ autem fiunt cùm in totius corporis carnibus euincat flaua bilis. Prohibita itaque perspiratione, quantum biliosis naturis in carnoso genere bilis aceruatum prius expurgabatur, in præsenti statu non vacuatum tertianas plures quàm febres ardentes procreauit. Nam febres ardentes non magnopere fiunt ex biliosorum excrementorum retentione,

sed

sed ex caliditate tum in vasis tum in visceribus aucta, ex statu valde calido in flammam conuersa, vt fit in his qui plusquam oportet sese exercitauerunt, aut valde meditati sunt, aut plusquam decet in Sole sunt versati, vel cibis ardentioribus vsi sunt, vel qui ex his plurima, vel omnia tum fecerunt tum perpessi sunt. At cùm præsens status valde calidus non esset, ob id neque multis febres ardentes fiebant, sed magis valde biliosis, atque his moderatissimæ. Iure autem eisdem & magis contigerunt tertianæ ob prohibitos biliosorum excrementorum consuetos effluxus. Non igitur absque ratione his laboriosiores fiebant quàm febres ardentes, quòd & legitimæ magis essent, & indicationes peculiares haberent.

Quartanæ autem multis quidem ab initio, quartanæ ordine cœperunt, aliisque non paucis ex aliis febribus & morbis digressiones in quartanas fiebant. Longæ autem, vt consueuerunt, his, atque etiam longiores contigerunt.

Neque hæ ob statum per se primumq; fiebant: sed quòd melancholicis naturis bilis atræ redundantia non vacuaretur, contigit his vt talibus morbis caperentur. Longæ autem fiebant, quòd frigidus & humidus esset status, in quo causæ omnes plurimùm in corpore permanent, neque coctæ neque perspirantes. vt autem in præ-

sen

sentia memoriæ mandes volo, vsum nominis cùm inquit Hippocrates: ἀποστάσεις, id est digreßiones in quartanas fiebant. videtur enim nō solùm per emißionem ἀποστάσεις appellare, verùm quoque & per alterius morbi in alterum transitum.

12. Quotidianæ verò, nocturnæ & errabũdæ, multæ multis & longo tempore permanserunt, tum rectis tum iacentibus.

Febres hæ non modò copiæ ratione verùm & status temperamento generationem habentes, iure fiebant & multæ & multis. Nempe humidus & frigidus status vt hyems pituitosum procreat succum, ex quo quotidianas febres fieri ostendimus. Errantes verò febres diuersorum succorum soboles esse demonstratæ sunt. Quòd autem febres tales multo permanserint tempore, mirum non est, cùm status humidus & frigidus esset, atque ob id coqui succos non sineret, qui alioqui & diuturni & coctu difficiles propter frigus essent.

13. Plurimis horum sub pleiadas & ad hyemem vsque febres sunt subsequutæ.

Quòd pleiadas memorauit, non eas quæ in hoc statu erant, sed eas quæ post hunc statum in secundo essent anno constat omnibus, vti anteà dicebamus. Nempe in fine illius status scripsit: Mox circa Arcturum spirantibus aquilonibus mul

multæ admodùm aquæ. atque post hoc dixit: tanquam iam ad naturam anni temporum ordo reuersus sit, & reliquum omne quod Arcturo successit, & quod hyemi. Iure igitur quæ ex primo statu reliqua erant, autumno cocta sunt, atque hyeme nullum ampliùs morbum Thasij incurrerunt.

Conuulsiones multis, & pueris magis, ab initio contigerunt, & febriebant, atque in febribus conuulsiones fiebant. Erant hæc plerisq; horum diuturniora quidem, sed innocua, nisi his qui ex aliis omnibus perniciosè haberent.

24

Conuulsiones fiebant, quòd status frigidus & humidus esset. Pueri autem ob neruosi generis imbecillitatem vt conuulsionibus capiantur maximè sunt idonei. Nempe ob id & facilè ex paruis causis fit is ipsis adfectus, atque minus periculi habet. Inquit autem nonnullis quidem conuulsiones statim ab initio fieri, alijs verò febre antè facta, prout scilicet qui conuulsionibus caperentur & febre, ad alterutrum maximè idonei fuissent. Ad quod enim (inquit) promptior quis erat, priùs illud fiebat, cui alterum succedebat. Diuturnæ autem iure conuulsiones erant autũno secundo, de quo in calce scripsit: Facto autem anno toto humido, & frigido, & boreali.

Continuæ autem febres in summa quidem nihil intermittebant, sed omnibus

25

exacerbabantur modo ad tertianas propè accedentium, vno quidem die ſubremittentes, ſed altero ſuperexacerbantes, omnium quæ tunc factæ ſunt violentiſsimæ, longiſsimæq́; & cum ſummis laboribus, leniter incipientes, & prorſus perpetuò increſcentes, & in diebus iudicatoriis exacerbantes, atque ad deterius agentes: parum remittentes, & rurſum citò ex remiſsione vehementiùs inuadentes, diebúſque iudicatoriis magna ex parte affligentes. Rigores omnibus ſine ordine, & erraticè fiebant: pauciſsimi autem & minimi his, verùm in aliis febribus maiores.

Niſi ipſe quomodo febres quæ tunc fuerunt ordinatas acceſsiones faciebant adſcripſiſſet, magnam nobis ambiguitatem reliquiſſet inuenire quærentibus quáſnam appellet τριταιοφυέας, id eſt, ad tertianas propiùs accedentes: ſed quoniam dixit: modo ad tertianas propiùs accedentium, nulla ampliùs de re eſt dubitatio, ſed de ſignificato huius nominis τριταιοφυῶν. cui deinde annectitur τριταίου, id eſt, tertianæ, & ἡμιτριταίου, id eſt, ſemitertianæ nomen, atq; differentia vtriuſq;, quid exquiſita tertiana & non exquiſita, ſed quòd parum aucta vel plus vel plurimùm, & quantũ extendantur harũ ſingulæ, tum quæ magna eſt ſemitertiana, quæ media, & quæ parua.

Agathinus librum integrum scripsit primum de hemitritæis, dum quod ab hac appellatione significatur, exponit. Iam si quæ à Methodicis de hoc nomine scripta sunt, nunc percurrere velim, vel quæ post hæc ab Archigene non semel, sed in pluribus commentarijs sæpiùs dicta sunt, simulq; quæ bene quæ perperàm dixerunt, discernere, tria me puto impleturum volumina. At quod artis operibus commodat iam dictum est & in commentarijs de febrium differentia: quod verò ad præsens attinet, conscribere febris speciẽ quæ in hoc statu dicitur satius est. Inquit enim vno quidem die exacerbari, altero verò ὑποκουφίζεσθαι, id est, subremitti. Nempe verbum κουφίζεσθαι cum præpositione ὑπὸ scripsit, vbi nos intelligere conuenit aliud quippiam à voce composita significari quàm à simplici. Nempe per κουφίζεσθαι potest quis intelligere effatu dignam significari febris remissionem, verùm per ὑποκουφίζεσθαι moderatiorem. Neq; tamen tum distinctè tum clarè proposuit vtrum qui ita febricitauerunt, accessionem haberent altero die minorem ea quæ priore fuisset die, an & permanens illa secundo remitteretur die. Arbitror autem dictionem indicare magis vt vna tertio die accessio fiat, & postero quadantenus remittatur. Ait quoq; & rigores his fieri errantes, quòd significat non in singulis accessionibus fieri, sed interdum, eosq; paruos: sic & sudores exiguos, atq; item frigus ex-

tremitatum quæ ægrè concalescerent. Ex quibus omnibus constat crudis pituitosisq; succis putrescentibus talem oboriri febrem admixta his flaua bile. Quæ igitur ex sola eiusmodi bile constat, tertiana appellatur. Quæ verò crudum succum æquipollentem acceperit, exquisita semitertiana fit, quæ plurimùm Romæ fit, huius scilicet vrbis hominibus familiarißima. Hæc quidem horrida est, fitq; cum reduplicationibus appellatis, non solùm priori die acceßionem faciens, verùm & sequenti, sed priore minorem minúsque horridam, & quæ repetitionem vel minorem vel prorsus nullam habeat. Nunc verò de ea quæ tertio quidem fit die sed altero in his remittitur sermo est Hippocrati, quæ proprior esse videtur naturæ tertianæ exacerbantis, & magis à semitertiana elongata. Magna siquidem elongatio est, & quòd altero die non accedat, & absq; reduplicatione existat. Etiam verò paruus rigor ab horrore non valde differt, quanquam ne hunc quidem perpetuò cum acceßionibus inuadere dicat: sed erraticè, nisi forsan aduerbium, erraticè, de alijs febribus dixerit, & non de febribus propiùs ad tertianæ naturam accedentibus. Paucißimos autem & minimos rigores his fieri inquiens, horrorem quidem manifestauit, non tamen eos absolutè ab acceßionibus sustulit. Vt autem de his certior fias, res ita se habet. Nempe hæc febris iure τριταιοφυής, id est, ad tertianam propiùs

pius accedens dicitur, neque enim semitertiana est, quòd neq; secundo accedat die, neq; reduplicationes faciat: neq; extensa est, cùm vtique nullo pacto ad integritatem desinat. Aequum itaque ipsi erat appositam quandam prædictis febribus indere appellationem: eratq; ratio, vt nullũ aliud nomen inderetur præterquàm φιλαυσφυῦς, *affligi verò plurimum diebus iudicatorijs proprium est febrium ad tertianarum naturam propiùs accedentium, non commune omnium. Nempe ex libris de diebus iudicatorijs, malignis morbis hoc fieri constat, vt parum remittantur, & citò ex remissione violentiùs inuadant. Si autem memor es eorum quæ in libris de iudicationibus, diebus iudicatorijs & febrium differentia dicta sunt, nihil secundò meminisse est opus. Nempe in illis libris de eiusmodi omnibus dictum est, quale est & quod nunc dictum est: parum remittentes. Febres itaque huiusmodi generationem habent non ex succo vno, sed ex pluribus: quorum calidior quidem febrem accendit acutam, atque celeriter desinit, quæ vbi corpus prahenderit, vt frigidiores tum corrumpantur, tum putrescant, euenit. Deinde ita rursum accendantur, ex facta placatione, id est, veluti requie & imminutione febris. Deterior autem priore talis efficitur febris, quòd vires iam ex infestantibus fatigatas offendat. Nempe si & magnitudine æqualis fuerit, quòd multò magis fatigabit, validiores quidem*

vires, magis autem imbecillas, constat omnibus.

26 Sudores multi.

Sanè in alijs febribus apparuerunt sudores multi: sed fieri quoq; potest, vt in alijs absq; febre affectibus vt conuulsionibus superapparuerint multi ex aceruata in corpore humiditate multa propter frigidum statum, atq; ob violentam conuulsionem excreta. At quibus ait euenisse, his sanè sudores (vt par erat) multi contigerunt.

27. Nihil hos leuantes, sed cõtrà offendentes.

Sudores (inquit) febribus his quæ ad naturam tertianarum propiùs accedunt, de quibus sermo est, adfuerunt, sed qui nihil iuuarent: causa autem manifesta est, cùm dicamus sudores incoctis morbis non conferre, neque signum bonum esse. Nempe vel humidorum redundantiam vel virtutis imbecillitatem ostendunt.

28 Frigiditas extremitatum his multa, & vix recalescebant.

Extremitates difficulter recalescunt in accessionibus & ob phlegmonẽ viscerum insignem & frigidorum succorum copiam, vt de vtriusque in antedictis tractationibus demonstrauimus.

29 Vigiles prorsus erant, & maximè hi; & rursus comatosi.

Vigiles rursus ait eos fuisse magis vicißim, non id tamen his prorsus erat, neque contrarietas magna. Ait siquidem ipsis vicißim & comatosum symptoma factum fuisse, hoc autem est, cùm ad

ad somnum deferuntur, nequeuntes vigilantium munia obire, vt demonstrauimus.

Alui omnibus turbatæ erant, & malæ, longè autem his pessimæ.

Defluente in ventrem succorum redundantia (vt ante dixi) vt turbaretur par erat. Febribus itaque φιλτιοφυέσιν, id est, ad tertianæ naturam propè accedentibus de quibus agit, tanquam inter cæteros morbos malignioribus necesse erat & in ventre deteriores esse.

Vrinæ autem plurimis horum vel tenues & crudæ & pallidæ, ac tempore parum cōcoctæ iudicatoriè, aut crassum quidem habentes, sed turbatæ, neq; consistentes, neque subsidentes, aut paucæ, crudæ, malæ, subsidentes autem & pessimæ.

Omnia hæc in vniuersum in libro prognostici docuit: quæ quidem & hoc in loco veluti exemplis per singularia creduntur. Quæ autem cùm in prognostico exposuerimus, non est amplius quòd de horum consonantia cum illis dicamus quæ conspicua apparent: nempe in illis signa talia crudorum & incoctorum esse demonstrauimus.

Tusses subsequebantur: sed quam vel offensam vel iuuamentum tunc tussis adferret, dicere non possum.

Vbi succorum redundantia expurgatur, consueuerunt tusses inferri.

33 Diuturna itaq; & difficilia, & valde inordinatè & erraticè & absque iudicio plurima horum fiebant: & quibusdam valde perniciosè habentibus, & aliis non. Nam si quosdam ipsorum parum reliquerant, celeriter redibant. Quibusdam horum & paucis octogesimo die breuissimè iudicabantur: atque nonnullis ipsorum redierunt, vt hyeme adhuc plurimi ipsorum ægrotarent. Plurimos autem absque iudicio reliquerunt.

Quòd Hippocrates nunc de secunda hyeme mentionẽ faciat, & non de prima quam in principio totius status recensuit, liquet omnibus. Morbi siquidem omnes de quibus nunc agit, secundo maximè autumno viguerũt, quorum quidam incipiente hyeme cessauerunt, alij plurimùm extensi sunt. Quod verò sine ordine hi essent & reuerterentur, id ex frigiditate & patientium morbos succorum copia iure incidit. Inde & superstitibus similiter hæc contigerunt.

34. Hæc autem similiter & seruatis à morte & non seruatis contigerunt, fuitq; multa & varia in morbis acrisia, id est, iudicationis carentia, maximúmque, signum & pessimum ad finem vsque est persecutum: quòd scilicet cibos omnes plurimi auersarentur, atque hi maximè quibus cætera quoque perniciosa essent. In his autem febribus

bribus non admodum intempeſtiuè ſitiebant.

Quòd mente conſtare & ad ciborum oblationes bene habere maximum bonum ſit, alibi ab Hippocrate vniuerſaliter dictum eſt, atq; hoc loco particulari exemplo confirmatum eſt. Quòd non admodùm ipſi ſitirent, qualitatem redundantium ſuccorum iure conſequutum eſt.

Cùm autem tempora longa eſſent, laboresq; multi, & colliquatio mala, in his abſceſſus erant vel maiores quàm ſuſtineri poſſent, aut minores quàm conferrent: ſed celeriter recurrerent, & in deterius euaderent.

Vbi copia ſuccorum incoctorum multa fuerit, abſceſſus fiunt, qui ſi parui fuerint, nihil conferunt: ſi magni, ferre eos virtus non poteſt. Quòd autem & nunc per emiſsionem vacuationes, ἀποστάσεις, id eſt, abſceſſus appellet, per eam quæ infertur orationem demonſtrauit.

Quæ hos exercebant erant dyſenteriæ, tineſmi, lienteriæ, & alui fluxiones: quibuſdam & hydropes cum his, & ſine his erant.

Quos in antedicta dictione vniuerſaliter abſceſſus fuiſſe ait, hos nunc particulariter percurrit. Morbos huiuſmodi iure anteà fuiſſe prædiximus, confluentibus ad ventrem ſuperfluis, dyſenterias quidem cum cruentis ſcilicet deiectionibus.

quomodolibet factas: tinesmos verò qui ex omni vehementi, ex dysenterijs, intestini recti vlceratione fiunt: lienterias verò quæ celeres ciborum non transmutatorum transitus existunt: alui fluxiones dixit quæ sine prædictis pathematis deijciuntur tum perpetuò tum aßiduè humida excrementa, nonnullos & in aquam intercutem acutam decubuisse ait, propter redundantiam frigidorum & humidorum succorum, alios quidem cum prædictis symptomatis, alios verò sine his.

37. Quod autem ex his violentum erat, celeriter tollebat, aut nihil proficiebat.

Propter difficultatem coctionis & propter copiam crudorum succorum qui fiunt morbi ab excretionibus nihil iuuantur. Ait enim multas quidem & violentas citò virtutem subuertere, quæ verò tales non sunt nihil conferre. At cùm hæ duobus sint modis, nihil hæ conferent quæ sine concoctione sint, nihil quoque & aliæ quanuis etiam multæ conferunt nisi coquantur.

38. Exanthemata parua & morborum excretione indigna erant, & citò rursus sese occultantia: aut post aures œdemata quæ non soluerentur, & nihil significarent.

Omnium quæ tunc fuerunt pathematũ principium fuit succorum cruditas. Nam si natura per vim quosdam horum excernere adgressa esset, nihil iuuabat. Imò ab ipsis euicta vel confestim ad profundum recurrere permisit, vel ob paucitatem

tatem factarũ excretionũ in abscessũ excitata est.

Quibusdam in articulos & maximè ad coxendicem decumbebant, paucis iudicatoriè relinquebantur, & celeriter rursus euicta ad pristinum reuertebãtur habitum.

39

Quòd itaque abscessus κατ' ἀπόθεσιν, id est, per repositionem in longis maximè morbis fiat, quodq; ab eo vniuersaliter didicerimus, etiam nunc ex hoc particulari testimonio habebimus confirmatum. Quia verò multa esset tum crudorum tum frigidorum tum incoctorum humorum redundantia, eam ob causam multis in maximum articulum decubuit, sed non excernebantur propter difficilem succorum concoctionem, quòd si alicui etiam latuisse viderentur, confestim redibant, hoc enim est quod significatur: relinquebantur ædemata, facta sursum latione, rursus autem reuertentia in priorem habitum refixa sunt. Nempe & hoc ab eo significatur cum inquit: confestimq; euicta ad pristinum reuertebantur habitum.

Moriebantur autem ex omnibus quidem, sed plurimi ex his pueri iam ablactati, & qui seniores octennes & decennes, & qui prope pubertatem essent. Fiebant autem hæc his non sine primùm scriptis, prima verò multis sine his.

40

Cùm præsens status euincẽtem habuisset maximè humiditatem (nempe ea à naturali descinet

sciuerat) qui frigidi & sicci essent succi, humiditatis & frigiditatis prauitati minus patebant: nempe demonstrauimus corpora promptius ab his pati causis, quæ intemperiebus ipsorum congeneres existunt.

Vnum verè vtile & maximum ex factis signis, & quod plurimos in maximis positos periculis liberauit, his fuit quibus ad stranguriosum facta est conuersio, atque in id abscessus fierent: contingebat & plurimis stranguriosum, & maximè in eisdem ætatibus: fiebat quoque & aliis multis tum rectis tum iacentibus. Celeriter autem & magna quædam omnium his mutatio fiebat. Alui siquidē etsi forsan humidæ essent, statim maligno modo sistebantur: ad ciboscq; omnes suauiter habebant, & post hæc febres moderatæ tenebant, at his strāguria diuturna erat & laboriosa.

Dixit superius fuisse stranguriosa & non nephritica symptomata, quanquam communitatem habeant quandam, sed alia pro alijs, diximusq; quòd vbi totius corporis superflua per renes expurgantur, fit illis stranguria, tum aliàs tum maximè propter confluentium vrinarum acrimoniam, ex qua & nunc causa fuit. Tenere autem memoria oportet, quòd & nunc abscessus ad stranguriam factos dicat, quanquam per emissionem, & non repositionem toto corpore contristan

tristantes succi separarentur, vt enim per ventrē sæpiùs totum corpus expurgatur, sic & per renes & vesicam. Sed stranguria his longa est, & laboriosè totum corpus per stranguriam expurgatur. Partes autem has per quas acrium vrinarum excretio fiebat, pati erat necesse, quòd scilicet morderentur, & continuitate excretionis infestarentur, hinc & in ipso vrinarum transitu laboriosè habebant. Talia verò symptomata diutiùs ipsis facta sunt propter copiam earum quæ expurgabantur superfluitatum.

Vrinæ autem his erant multæ, craſſæ, variæ & rubentes, cum pure mixtæ, cum dolore. 42

Hæc omnia toto corpore prauorum humorum superfluitatem reijciente fiebant: quapropter & omnes conseruati sunt, cùm autem varia ea esset, vt antè diximus (aliud siquidem alij redundabat) meritò & in vrinis ipsis fuit varietas, quippe cùm non similes omnibus essent, sed his quidem talis, alijs verò alia.

Seruabantur autem hi omnes, nullumq; ex his perire vidi: quæcunque autem ſine periculo erant. 43.

Quare quidem omnes seruarentur, antè dictum est. Nam per vrinas expurgati sunt. Quidam orationem: quæcunq; sine periculo: pro fronte sequentis orationis collocant, vbi eam explicabimus post secundum statum.

44 Concoctiones exeuntium omnes, omni ex parte tempestiuas, vel bonos & iudicatorios abscessus considerare oportet.

Quidam antedicti status finem, principium præsentis enarrationis fecerunt, vt ea hoc pacto habeat: quæcunq; autem sine periculo, coctiones exeuntium omnes, omni est parte tempestiuas, vel bonos & iudicatorios abscessus considerare oportet, vt orationis intelligentia talis quidem fuerit. Quicunque sine periculo procedunt adfectus, in his concoctiones considerare oportet. Fieri verò potest vt & per se proposita oratio legatur, vt oratio de omnibus simpliciter morbis ab ipso vniuersim dicatur absque concoctione. Nempe concoctio quædam est eorum quæ præter naturam sunt, morbi πεπασμὸς, *id est, maturatio. Ipsa autem* πέψις, *id est, concoctio in coquentis substantiam deductio quædam est eius quod coquitur. Corpore igitur secundum naturam habente cùm id quod concoquitur coquenti familiarem habuerit naturam, totius substantiæ quæ concoquitur fit mutatio & alteratio, aut maximæ eius partis, modicißimo superfluente nobis semicocto. Præter naturam verò adfectis corporibus, id est, à natura tum permutantis tum alterantis alienis, quod quidem adsimilatur paucum est, semicoctum verò superfluum multum. Vt autem in corporibus naturaliter habentibus superflua coctionem demonstrant, sic & in labo-*

ranti

rantibus demonstrabunt. Ventris itaque deiecta deorsum superflua tum incoctionem tũ coctionem ex propria ostendũt forma: quæ cum tussi reijciũtur, eorum quæ in thorace & pulmonibus sunt: quæ per nasum excernimus, eorum quæ in cerebro existunt: at quæ per vrinas procedunt, eorum quæ in venis. Sed de his demonstratum est tum in naturalium facultatum commentarijs tum in libro de iudicijs, & præsertim in libro de morborum temporibus, in quibus scriptæ sunt eorum qui concoquuntur morborum notæ, id quod & nunc Hippocrates facere iubet, morborum concoctiones ex his quæ excernuntur superfluis considerando. Quidam in calce orationis pro considerare, facere scribunt, orationem quandam factoriam, curatoriámque & consultoriam esse volentes, non quæ ad dignoscendum spectaret. Nam si concoctiones considerare iusserit, sermo ad dignotionem prænotionémque spectabit: si verò facere, ad curationem pertinebit. Quòd autem concoctiones faciant omnia quæ mediocriter excalfaciunt, tum cibi tum fomenta tum cataplasmata, fricatio item mediocris, atque ex eo sint genere balnea, constat omnibus. Quorum omnium singularis vsus in libris methodi medendi explanatus est. Non solùm autem morborum concoctiones ipsum vel considerare vel facere conueniebat (nempe vtrunque verum est.) verùm quoque &

absce

abſceſſus per emißionem (quod & præcipuè cum diligentia curare oportet) aut eos qui per repoſitionem in partes ignobiliores fiunt:nempe ſecundus hic eſt ſcopus vbi abſceſſus per emißionem conſequi nequeamus. Cùm itaque ad ventrem repunt ſuperflua, iuuare hæc conuenit clyſteribus qui illinc trahere poſſunt, atque his quæ in omni victus ratione ad id conferre valeant: ſi ad renes, his quæ vrinas prouocant: ſi verò ad colum, acribus medicamentis illud calfaciendo.

45. Concoctiones celeritatem iudicii & ſecuram ſanitatem oſtendunt.

In anteſcripta oratione dixi quoſdam quidem conſiderare coctiones iubere, alios autem & facere, atq; vtroſq; finem orationis bifariam ſcribere, cùm enarrant alios conſiderare, alios facere. Dixi autem vtrunq; commodè à Medicis exerceri. Nam ſi conſiderare ſcriptum ſit, prorſus id facere conſequitur. Aemulum ſiquidem naturæ ſimul & miniſtrum medicum eſſe vult Hippocrates. Quòd verò melius ſit ſcribere in priore oratione, conſiderare, liquidum fecit per hanc, inquiens concoctiones ſignificare celeritatem iudicij & ſecuram ſanitatem: neq; enim oſtendunt, dixiſſet, ſed faciunt ſi vt Medici ipſi coctiones operarentur conficerentq; conſuluiſſet, ſed hoc quidem vbi morbos ſanat, conſulit, nunc in epidemiorum tractatione dignotiones & prænotiones ipſis proponit: viamq; medendi ſimul vniuer-

saliter innuit, quanquam non exprimat. Nempe quòd simul innuat, est manifestum. Nam si quæ probè à natura fiunt medicum imitari velit, coctiones autem ipsius opus sint, liquet quòd & celeritatem iudicij & securam sanitatem significabunt. Nos autem ipsas adiuuantes, coctiones efficiemus.

Cruda verò, & incocta, & in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas.

Vt concoctiones fiunt natura morbosas causas euincente: sic & non euincente contraria. Celeritati itaque iudicationis quæ in coctionibus dicta est, contraria est morborum diuturnitas: securitati verò in illis opponuntur & acrisia, & mors & recidiua: Sanitati autem communiter omnia quæ nunc dicta sunt, & particulatim dolores. Nam quæ bene valent corpora, doloris carentiam vel dolentiæ vel molestiæ priuationem (nihil enim refert quo appellare modo volueris) proprium inseparabile habent. Reminiscor autem acrisiæ nomen duobus ab ipso dici modis, vt vel iudicatio nulla futura sit, vel praua futura, atque iuxta vtrunque hoc significatum morborum incon coctiones comitantur acrisiæ. Memor es autem omnem morborum concoctionem in alteratione succorum consistere. Distensa siquidem est per so lida corpora natura quæ illorum virtus existit,

fitq; fuctis concoctio à partibus solidis sanis: vt cùm eadem ægrotauerint, iam in habitu morbus sit, periculumq; summum quibusdam adferat. Sanari autem prius nō potest quàm solida ipsa corpora propriam recuperauerint facultatem, quæ in calidi, frigidi, humidi & sicci symmetria posita est: quare & ipsa corporum solidorum sanitas in horū symmetria sita est, vt nihil referre videatur vel bonam similarium temperaturam sanitatem esse dicas, vel elementorum ex quibus generati sumus symmetriam. Quo autem modo solidorum corporum morbos curare oporteat; in libris de morbis curadis est dictum: vt autem in omnibus omnia dicantur, fieri nequit. Nempe hoc loco summas tantùm incidentium curatoriarum speculationum indicare est satis, veluti in curatorijs capita tantùm eorum quæ ad dignotionem spectant. Nempe quòd vnicuiq; tractationi proprium existit, absolutè percurrere oportet: quod verò incidit, per capita ostendere.

47 Quod autem horum fuerit maximè, ex aliis est considerandum.

Quorum in arte præsentiendi meminit, ea in prognostico docuit. Nempe singula eorum quæ prædiximus, ex his quæ in illo libro sunt, scripta sunt: nosq; illum tribus commētarijs exposuimus. In quorum calce quòd libri epidemiorum prognosticum sequantur ostendimus, scriptosq; in librū illum commentarios propter libros de iudicijs: in

quib

quibus dicta sunt prænotiones, tũ perniciosi, tum mansueti morbi, qui itẽ in vnoquoq; iudiciorum præfiniti dies, quæ nam bona iudicia, quæ secura tum violenta, tũ non violenta. Iam & de omnibus alijs quæ ad hanc spectant considerationem.

Præterita dicenda, præsentia cognoscenda, & futura prædicenda. 48

In prognostico quoque libro statim ab initio dixit: præsentiens enim & prædicens coram ægris tum præsentia, tum præterita, tum futura. Quòd prænotio circa tria versetur tempora, & quónam pacto hoc efficere oporteat, in commentarijs libri illius dictum est.

Hæc exercere oportet. 49

Nunc μελετᾷν *pro* ἀσκεῖν, *id est, exercere dixit. In alijs autem sæpiùs* ἐπιμέλειαν, *id est, diligentiam vocat* μελέτην.

Circa hæc exercere te oportet, vt morbis auxilieris, & non lædas. 50

Ego paruum hoc aliquando existimaui & indignum Hippocrate: nẽpe omnibus hominibus conspicuum esse putabam. Oportet si quidem medicum ægris auxiliũ præstare: sin minùs, procul dubio non lædere ipsos. Verùm quoniam multos vidi eruditionis viros iure in his culpatos quæ fecerant, vel venã secãtes, vel lauantes, vel medicamentum exhibentes, vel vinum, vel frigidam: Animaduerti mecũ forsan & Hippocrati ipsi tale quippiã euenisse, atq; necessariò ob id multis

aliýsq; suis æqualibus medicis, atque ex illo prorsus feci, vt si aliquando magnum aliquod ægro auxilium allaturus sim, vt anteà apud me cogitem non solùm quantum iuuero, si voti compos fuerim, sed etiam nequid offendam. Nihil itaque vnquam feci non anteà expertus, nequid si voti compos non essem, ægrum læderem. Quidam verò medici aleatorum instar ægris remedia offerre consueuerunt, qui si non consequantur quod petierunt, maximam inferunt ægrotantibus noxã. Discentibus verò artem scio visum iri vt mihi aliquando, iuuare vel non lædere indignum esse vt ab Hippocrate primò scriptum fuerit: verùm iam medicantibus manifestè scio virtutem ipsius apparituram. Quòd si aliquando propter vehementis remediј inconsultum vsum interire ægrũ contingat, virtutem maximè huius quod Hippocrates proposuit sentient.

51 Artem tria hæc perficiũt, morbus, æger, & medicus artis minister, ægrumq; cum medico, morbo aduersari oportet.

Tria omnia esse ait, ex quibus & per quæ cu ratio absoluitur. Primus quidem est morbus, deinde medicus mutuò concertantes, atque (vt quispiam dixerit, tum compugnantes, tum hostilem habentes animum: nẽpe medicus profligare conatur, morbo verò ne vincatur est propositum. Tertius ex his æger est, qui si medico crediderit, atq; imperata fecerit, huic certaminis socius efficitur,

atque

atque morbo hostis: Si verò à medico defecerit, feceritq́; quæ à morbo iubentur, duobus modis medico iniuriam facit: Vno quidem, quòd solùm dimiserit: altero verò, quòd secundum fecit qui prius vnus esset, vt autem duo vno validiores sint, est necesse. Liquet autem ægrum à morbo imperata agere medico relicto, cùm scilicet medicus ægrum à frigidæ potione abstinere iubet, is autem à febre vstus ab ea vt bibat persuadetur. Ita si lauetur & vinum sumat, & aliud quippiam agat quod interdixit medicus, morbum sanè augebit, si quæ illi placent fecerit, medicumq́; prodet, si quæ non iubet egerit. In multis exemplaribus scriptum est, medicus artis minister: in alijs non artis sed naturæ. Nihil tamen refert ad orationis totius intelligentiam.

Capitis ceruicisq́; dolores & grauitates cum febribus, & sine febribus fiunt. *52.*

Hoc præscriptionis præliniationisq́; vim habet, promittit enim Hippocrates quò finiri capitis colliq́; dolores & grauitates consueuerint, & quas habeant differentias, sese deinceps dicturum. Per ea itaque quæ dicuntur, ad ipsum hoc facientem, animum conuertamus.

Phreniticis quidem conuulsiones. *53.*

Conuulsiones (inquit) fiũt phreniticis, perseuerãtibus capitis colliq́; doloribus & grauitatibus.

Sed æruginosa quoque vomunt, atque ex his aliqui citò moriuntur. *54*

Omnes eiuſmodi deiectiones & vomitus flaua aſſata bile fieri oſtendimus, atq; ob eam cauſam deinceps ait, quòd citò moriuntur, id eſt, confeſtim ab vomitu intereunt, cõſiſtente ex flaua bile in cerebri membranarumq́; ipſius regionibus phrenitide. Nihil autẽ mirũ ſi deſiccatis his partibus conuulſiones fiant: ſuntq́; nõnulli qui ſimul atq; tum cõuulſi, tũ æruginoſa vomuerũt, confeſtim moriũtur: alij ob virtutis robur ſuperuixerũt diẽ vnũ aut duos, aut tres, aut interdũ quinq;.

ſſ In ardentibus autem atq; aliis febribus quibus colli quidem adeſt dolor, temporũ grauitas, & tenebræ oculis obortæ, vel & cõtentio hypochondrij ſine dolore ſuperueniat, his profunditur è naribus ſanguis.

De his quæ ita fiunt profluuijs ſanguinis in expoſitione prognoſtici diximus, cùm dictionẽ illam exponeremus, cuius principiũ eſt: Quibus per febrẽ huiuſmodi caput dolet, & pro nigri cuiuſpiã ante oculos viſione caligo adeſt, vel incerti diſcurrentesq́; lucis ſplẽdores apparẽt, & pro ſtomachi morſu hypochondriũ vel dextrũ, vel ſiniſtrũ ſine dolore & inflãmatione cõtenditur, ſanguinẽ per nares his fluxurum pro vomitu veriſimile eſt. Quodq́; perfectiùs illic de his ſcripſerit, ſi dictiones inter ſe cõparaueris, cõſpicuè diſces. Tãtũ itaq; ſolùm hoc loco adjiciã propter Capitonem qui in præſenti oratione ſcripſit: & hypochõdrij cõtentio cũ dolore. nõ enim rectè negationem, nõ, ſuſtulit, tũ ob veritatẽ ipſam, tũ quòd in prognoſtico di-

ctum est: cùm in hypochōdrio dextro vel sinistro quippiā cōtenditur sine dolore & inflāmatione, his sanguinē è naribus fluxurū verisimile est, nēpe hypochōdrij cōtentio vergētiæ succorū ad caput nota est, si absq; dolore est: quæ si cū dolore fuerit, viscerū phlegmonē cōsequitur. Cùm verò caliditate sursum sanguinē trahēte, & iecore impellēte coïtio fiat, sanguinis profusionē expectare oportet.

Quibus verò grauitates capitis totius, & stomachi erosiones, & fastidia existunt, hi biliosa & pituitosa reuomunt.

Sermonē hūc in prognostico hac oratione docuit: Siquis per febrē nō lethalē ait se capite dolere, & atrū quippiā ante oculos videre, stomachiq; morsus huic accesserit, biliosus aderit vomitus: quòd si rigor adfuerit, hypochondriūq; frigidū apparuerit, velocior quoq; fiet vomitus: si verò per hoc tēpus vel biberit, vel esitauerit, citissimè vomet. Quibus ex his primo die cœpit dolor, & quarto die maximè & quinto ingrauescit, hi septimo euadūt die. Pleriq; verò horū quarto quidē die dolere incipiunt, & quinto die maximè vexantur, sed nono vel vndecimo liberātur. At qui quinto die dolore incipiunt, atq; cætera quæ antedicta sunt, pro ratione cōtigerunt, his decimoquarto die morbus iudicatur. Fiūt hæc viris quidē mulieribusq; in tertianis potissimū: iunioribus verò fiūt quidē & in his, sed magis in cōtinuis febribus, & legitimis tertianis. Hæc oratio de ijsdē quæ nunc

percurrit, in prognostico scripta est, quam nos in tertio quem in ipsum scripsimus cõmentario exposuimus, quare cùm totum hunc sermonem exquisitiùs in prognostico scriptum videamus, de ijsdem rursum hoc loco dicere non est opus. Quòd si abundantiùs quippiã in hoc insit libro, sequentibus id exponam orationibus: tenentibus memoria nobis quòd propriè vocata expositio in obscuris fiat dictionibus. Iam verò & ex interpretum consuetudine causiloquia obscurè dictorum per abusum expositiones appellamus: quod & nos hôc loco vincentem consuetudinem sequuti facimus, nempe orationem quæ manifesta est, nullaq; indiget expositione proferentes, causas eorũm quæ ab ipsa significantur apertè referre conamur.

57 Pueris plurimum in talibus conuulsiones maximè fiunt.

Pueri propter neruosi generis, tum infirmitatem, tũ mollicię̃ ad conuulsiones sunt prōptißimi.

58 Mulieribus quoq; & hæc, atque ab vtero dolores.

Prædicta quoque omnia fiunt fœminis vt maribus, quatènus homines sunt, & tales omnes habent partes quales viri: quatenus autem ipsis præcipua inest pars vterus, eatenus & partis huius capiuntur morbis, & maximè in quibus stomacho consentit.

59 Senioribus verò, & quibus iam calor vincitur, paraplegiæ, aut maniæ, aut oculorum cæcitates.

Serm

Sermo Hippocrati erat de capite grauatis, stomacho dolẽtibus & nauseabundis, quos reuomere ait biliosa, & pituitosa, & maximè si pueri erãt, in quibus & cõuulsiones fieri magis quàm adultis inquit, aitq; & fœminis hæc contingere, atque ab vtero dolores, ait deinceps & paraplexias senioribus fieri, & manias, & oculorum cæcitates. Adiecit autem orationi, & quibus iam calor vincitur, causam propter quam hæc fiebant reddens. Paraplegias autem vocat decumbentes ex apoplexia in partem aliquam neruorũ resolutiones, quas παραλύσεις vocant: Manias autem, sine febre desipientias. Consueuerunt autem hæc fieri senioribus ob naturæ imbecillitatẽ, nequeunte ea per vomitus vel sanguinis eruptiones collectam in capite copiã excernere: vnde & interdũ fiunt oculorum cæcitates, ea in ipsos decumbente.

STATVS TERTIVS.

60.

IN Thaso paulò ante Arcturum & in Arcturo aquæ multæ in aquiloniis & magnæ. Circa æquinoctium autem ad pleiadas vsque, australes aquæ paruæ & paucæ, hyems aquilonia, squalores, venti frigidi, magnæ niues. Circa autem æquinoctium frigora maxima, Ver aquilonium, squalores, pluuiæ modicæ & frigidæ. Circa solstitium æstiuum aquæ paucæ, magna frigora ad canem vsque. Post canem vsque ad Arcturũ æstas calida, ardores magni, qui non

sensim fierent, sed tũ continui tum violenti, non pluebat, spirauerunt Etesiæ. Circa Arcturam pluuiæ australes adusque æquinoctium vernum. In hoc statu hyeme quidem paraplegiæ cœperunt, multisq; fiebant, & quidam horum citò moriebantur: satisq; hic morbus quidem grassabatur, at in cæteris sine morbo erant.

Frigidus & siccus est hic status quẽ exponit, atq; inæquale quippiã cõtinens. Cùm itaq; in his omnibus autũno similis esset, morbos etiam tales habuit, quales maximè autũno redundare cõsueuerunt. Quòd itaq; & inæqualis esset, ex his liquet, nẽpe circa Arcturi ingressum pluuias magnas cũ flatibus aquilonijs fuisse ait: sequutũ deinde & autumnũ totũ statui huic contrariũ, pro aquilonio quidẽ austrinũ, atq; pro pluuioso paucas habuisse aquas: rursus & hyemẽ, tũ aquiloniam, tũ siccã fuisse: deinde & Ver totũ ad canis ortum vsq;, ita vt manifestum quidẽ sit hoc in statu satis vixisse, tũ frigidũ, tum siccũ. Ostẽsum autem est & primordia ipsius inæqualia ad hyemem vsq; fuisse: deinde à cane ex aquilonijs & frigidis repentè euenisse ait ardores magnos & aquilonios, atq; ab his aquas austrinas, ex quo liquet finẽ totius status à cane valde inæqualem fuisse. Morbos itaq; omnes manifestè exponit, qui sunt cõsequuti, nulla quæ obscura sit nisi rarò posita oratione. Quoniã verò causas eorũ qui fuerunt

rūt morborū explanare instituimus, adijcere illas suis orationibus, orationesq́; ipsas per summas diuidere erit opus, quod assequentur qui memoria tenent, tū quæ in primo cōmentario, tū quæ anteà in hoc dicta sunt. Paraplegias itaq; hyeme fuisse ait, percusso scilicet à frigidis vētis qui in ea spirauerūt capite, & præcipuè quòd autūnus totus austrinus factus, ipsum tū calfecisset, tū irrigasset, tū simul repleuisset, nēpe caput ita adfectum plurimū ex vētis frigidis & aquilonijs patitur, nō tamē morbus alius hyemem cōtristauit quòd sicca esset, dictū est autē, & in aphorismis siccitates imbribus esse salubriores. Verū ex paraplegijs moriebātur, dicēte ipso Hippocrate: Nēpe & hic morbus satis epidemius erat inauditorū insuetorūq́; more, propter paraplegiā quæ præter cōsuetudinē accidit. nā quæ cōsueta est decūbit quidē in partis resolutionē, nō tamen tollit hominē: at quæ in hoc statu grassata est paraplegia, lethalis erat, refrigerato scilicet admodùm capite.

Ante ver cœperunt febres ardētes, atque ab æquinoctio ad æstatē vsq; perdurabāt. Qui autem Vere & statim incipiēte æstate ægrotare cœperunt, ex his plurimi euaserunt, pauciq́; obierunt.

Constat Hippocratē nō dicere quòd qualibet febris ardens quæ ante ver cœperit, ad æstatem vsq; extēsa fuerit: sed quòd earū generationē toto illo tempore grassari contigerit, Thasijs scilicet

nunc

nunc hoc tempore, nunc illo febre eiusmodi correptis. At scripta nõ est eodẽ modo in exẽplaribus omnibus oratio. Ego verò existimauero optimã scripturam iuxta sequẽtem orationem, quæ quòd tota æstate perduraret febrium ardentium generatio, significet, quodq́; omni eo tempore moderatæ & non lethales essent: in principio verò autumni pleriq; eorũ qui his correpti sunt, perierũt. Quòd itaq; febres ardentes diutiùs moderatæ essent, nõ sine ratione iure esse videtur, erant enim mediocres, vt quæ erant in antedicto statu, nec exquisitæ, veluti neq; ab exquisitè, tũ calido, tũ sicco statu procreatæ, neq; verò tẽperamentis contigerunt omnibus, sed his qui priùs collectã haberent bilẽ. Quòd autẽ tũc febres ardẽtes prorsus fierent, causa inuẽtu facilis nõ est, quòd Hippocrates præcedentem æstatẽ nõ memorauerit, feceritq́; initium expositionis ab autũni initio: atq; lõgè difficilior, quòd probabile sit æstatẽ illã suũ naturale seruasse temperamentũ: quæ si prorsus in aliquo desciuisset, statũ ipsius Hippocrates explicasset. Calidior itaq; fortasse fuit, & nõ admodũ à natura sua permutata, quo factũ est vt neq; illã scribere voluerit, tanquã iam præter naturã haberet. At cùm æstate, si etiam secundùm naturã fuerit, succus amaræ bilis necessariò augeatur, ob id & tũc copiosior redditus nõ tantùm solitò, verùm quoq; & lõgè adhuc auctior quia in æstate illa fieret: à frigore posteà superueniẽte intus seruatus, neq;

persp i

perſpiratus, neque euaporatus, diutiusq; occultatus & putrefactus, febres ardentes attulit.

Iam autumno & cùm pluuiæ multæ eſſent, lethales erant, & plures peribant.

Reuocemus ad memoriam quod in calce ſcripſit totius orationis quam de ſtatu fecit: Aquæ auſtrinæ vſque ad æquinoctium vernum. dixit autem & de tempore poſt canis ortum ad Arcturum vſque his verbis: Aeſtas calida, ardores magni, & qui non ſenſim fierent, ſed continui & violenti, non pluebat. Hinc liquet eiuſmodi ſtatum bilis procreatoriũ fuiſſe: quare cùm aquæ auſtrinæ ſuccederent, iure febres ardentes, tũ multæ, tum lethales erant. auſter ſiquidem corpora diſſoluere natus eſt, ſuccos liquare, & præterea ſimul putrefacere, vbi cũ pluribus pluuijs fuerit.

Erant autem febrium ardentium pathemata hæc: quibus & copioſè per nares profuſus eſt ſanguis, ij ob id maximè ſeruati ſunt, nullumq; noui ſi ſanguis bene erupiſſet, hoc in ſtatu mortuum. In Philiſco ſiquidem & Epaminonte & Sileno, tertio & quarto die parum è naribus ſtillauit ſanguis, & obierunt.

Et maximè quidem febrium ardentium proprium eſt, vt magna ex parte per ſanguinis è naribus eruptionem iudicentur: atque tunc pluribus ſanguinẽ erupiſſe ait. Præterea quæ deinceps ab eo ſcripta ſunt, omnia eorum quæ particulatim

vnicuique aſcribantur, vnā hanc ſummā habēt: Quibus quidem ſanguinis profluuia perfectè fuerunt, hi omnes ſeruati ſunt: quibus autē vel defectuosè, vel nullo modo nares ſtillauerūt, ſoli ij perierunt, alijs autē aliæ naturales excretiones vel per vētrē vel per vrinas factæ, ſalutē attulerūt.

64 Plurimi autem ægrotantium circa iudicium rigebant, & præcipuè quibus ſanguinis eruptiones non fiebant: ſuperriguerūt autem iidem, & exudarunt.

In libris de rigore demonſtratum eſt ob amaram bilem quæ cum impetu per ſenſibilia & carnoſa corpora fertur ad excretionem, conſequi rigorem: quodq; ex hac motione conſequi ſudores rationabile ſit, eſt oſtenſum: interdum verò & biliosas vomitiones, & alui deiectiones.

65 Quoſdam morbus regius ſexto die corripuit: ſed his profuit per veſicam purgatio, vel turbata aluus, vel copioſa ſanguinis eruptio, vt Heraclidi qui apud Ariſtoclidem decumbebat, contigit: qui ex naribus ſanguinem profudit, aluusq; turbata fuit, & per veſicam eſt purgatus. Iudicatus eſt autem vigeſimo die, non vt Phanagoreon ſeruus, qui, cùm ipſi nihil horum contigiſſet, periit.

Quibus non potuit bilem natura excernere, his in cute aceruata morbū regiū peperit: prauū autem id erat ante ſeptimum fieri diē, vti & in

aphorismis est dictum.atq; ex his soli illi seruati sunt,quibus natura potuit modo alio superuacua excernere.Tres autem modos commemorauit,excretiones vrinarum,excretiones ventris ex turbatione,& sanguinis eruptionem. Nõnullos autem & hæc omnia habuisse ait, vt Heraclidem,qui vigesimo die iudicatus est.

Sanguinis eruptiones plurimis fuerunt, 66. præsertim adolescentibus,& ætate vigentibus:perieruntque horum plurimi quibus non erupit sanguis.Seniores verò corripuerunt vel morbi regii,vel alui turbationes, vel dysenteriæ,vt Bioni contigit,qui apud Silenum habitabat. Grassatæ sunt autẽ & æstate dysenteriæ,ac quidam ex ægrotantibus quibus & sanguinis eruptiones fiebant,tandem dysenterias incurrerunt, vt Eratonis puer,& Mylus,qui facta multa sanguinis eruptione,in dysenteriosam cõditionem euaserunt.

Quòd adolescentulis quidem ex ratione sanguis erũpat,atq; post hos ætate florentibus,liquidò constat:senioribus verò ob virtutis imbecillitatẽ,calorisq; natiui diminutionẽ in morbum regium fit redundantis bilis repositio. Fiebat autem & nonnullis per ventrem excretio cum turbatione vel dysenteria, quibus hinc ventris superuacuũ defluxit. Ex his itaq; tũ antedictis tum posteà dicendis nõ obscurum tibi fuerit sanguinis

erup

eruptiones in febr. ardentibus fieri ob vincentem flauam bilem, quæ & sanguini commixta, & ipsum deurens, & ad caput cum ipso ex multa caliditate sursum vecta, vbi venas in naribus ruperit, sanguinis parit eruptiones.

67 Copiosus itaque & maximè humor hic per summa apparebat. Quibusdam autem & circa iudicium non erupit sanguis, sed emerserunt ad aures tumores, qui occultati erant: atque his occultatis ad sinistrum ilium sedit grauitas & summam coxam, cúq; dolores post iudicium facti essent, vrinæq; tenues redderentur, parum sanguinis erumpere cœpit. Circa verò quartũ & vigesimum diem Antiphonti Critobuli filio ad sanguinis eruptionem factæ sunt digresѕiones. id quod cessauit, & perfectè circa diem quadragesimum est iudicatus.

Propter periculum scilicet discrimenq;, quoscunq; hos ferè non seruari contigit, vix vigesimoquarto & quadragesimo die per sanguinis eruptiones adiutos.

68. Mulieres autem ægrotauerunt quidem multæ, sed pauciores quàm viri, minúsque multæ obierunt, difficilemque partum habuerunt plurimæ: atque à partu laborauerunt, obieruntque hæ maximè, vt Thelebuli filia, quæ sexto à partu die expirauit;

Plurimis itaque muliebria in febribus apparuerunt. Quibuſdam ſanguis è naribus erupit, virginibúſq; multis tunc primum id fiebat: nonnullis & ſanguis è naribus erupit, & muliebria apparuerunt, vt in Dætharſis filia virgine primum viſum eſt, atque è naribus abundè ſanguis prorupit, nullamque periiſſe cui horum quippiam ritè eueniſſet. Quibus verò contigit vt in vtero habentes ægrotarent, omnes quas noui perierunt.

Minùs iure optimo mulieres quàm viri ægrotabant, minúſq; periclitabantur, quòd per ſanguinis eruptiones iudicia operarentur, haberentq; congenitum auxiliũ muliebrium vacuationem. Difficilem verò partum habuerunt, quòd ſtatus frigidus eſſet: atque in quibus morbus aliquis apparuit, hæ abortiebantur, fætúſque corrumpebant eadem ratione.

69. Vrinæ autem plurimis boni quidem coloris erant: ſed tenues, & pauca habentes ſedimenta, cum deiectionibus tenuibus & bilioſis: multis aũt, cæteris iudicatis, in dyſenterias finierũt, vt Xenophani & Critiæ.

Has quoque tenues, id eſt aquoſas eſſe ait, propterea & paulò poſt rurſum ſcripſit.

70 Vrinæ autem aquoſæ, multæ, ſynceræ, tenues poſt iudicationẽ & ſedimento multo facto, aliiſq; probè iudicatis. Memora-

bo quibus hæc fiebãt: Bionẽ, qui apud Sile nũ decũbebat, Critiã, qui apud Xenophanẽ, Aretonis filium: & Mnesistrati vxorem.

Vbi nomina eorum qui talia minxerunt percurrit, deinceps inquit.

71 Post hæc dysenteriosi hi omnes fuerũt, an quòd vrinas reddiderint aquosas considerandum?

Nempe & quòd per vrinas non euacuatum fuisset biliosum, sed in ventrem fluxisset, dysenterias fecisse ipsum par erat. verisimile quoque & ob multas huius humoris redundantias factas, et si biliosum per vrinas euacuatum fuisset, ex superuacante adhuc in corpore humore factam esse ipsis dysenteriam.

72 Circiter autem Arcturum multis vndecimo die factum est iudicium, hisq; non ex ratione reuersiones fiebant. Erãt autem & circa hoc tempus comatosi, plures autem pueri, atq; hi minimè omniũ moriebãtur.

Constat Hippo. mentionẽ fecisse ortus Arcturi secũdi anni, quem in calce narrationis scripsit: Erat aũt austrinus, habebatq; ad æquinoctiũ autũnale vsq; imbres. ait aũt hoc tẽpore multos diè vndecimo securè iudicatos fuisse, atq; simul comatosos, ppter austrinũ scilicet statũ, ob quẽ & iudicia ipsis fuerũt quã in alio tẽpore certiora, cũ scilicet ambientis nos aëris frigid. esset tẽperamẽtũ quo diuturnas ait fuisse iudicationes. Tẽpus verò ca-

nis

nis Arcturiq; mediũ, quod calidum fuit & siccum, non memorauit, quo verisimilius erat celerius iudicatos multos, vt neque septimum diem transgrederentur. Hoc itaq; veluti huic tempori familiare prætermisit: solos verò morbos qui grassati sunt, percurrit.

Circa verò æquinoctium ad pleiadas vsque & sub hyemem consequebantur quidem febres ardentes: sed & tunc phrenitici fiebant, & ex his plurimi moriebantur.

Febres ardentes phrenitidásque succus idem facit, sed locum eundem non habet. Nempe cùm in vasorum capacitatibus vnà cum sanguine flaua bilis contineatur, contingit, vt quouis modo accendatur, febres fiant ardentes, & præsertim cùm in venis ventris, & iecoris, vel pulmonis feruescat bilis: vbi verò ad solidas corporis partes peruenerit, atq; per eas feratur, rigorem facit: si verò in cerebrum membranasq; ipsius sese firmauerit, phrenitidas parit: priùs autẽ quàm sese firmauerit, diffluens per ipsorum venas, non phrenitidas, sed in febrium vigoribus deliria infert. Bilis itaque quæ anteà in venis inferioribus febrem ardentem faceret, in hoc statu ab Actuto ad æquinoctium vsque austrino ad caput collecta, atque in cerebro membranisq; ipsius firmata, phrenitidas peperit.

Fiebant autem & in æstate pauci.

Paucos ait æstate fuisse phreniticos. Nempe

pars eius ad canem vſque frigida erat: pars verò ad Arcturum vſque calida & ſicca: quare non poterat hæc caput interim replere, vt neque is auſter qui circa Arcturum ad æquinoctium vſq; perflauit. Neque enim humidum erat neq; diuturnum quod canem Arcturumq; interceſſit. Dictum eſt vbi multa bilis in cerebri regiones lata eſt, & phrenitidas fieri.

75. Cùm itaque febres ardentes inciperent, ſignificabatur quibus lethalia imminerēt. Nempe ſtatim ab initio febris præhendebat acuta, & parum ſuperrigebant, vigiles erant, difficulter ferebant, erant ſitibundi, nauſeabundi, parum in fronte & clauiculis ſudantes, nullusq; per totum corpus erat ſudor, valde delirabant, timores, triſtitiæ, extrema ſubfrigida, vt ſummi pedes & manus magis, acceſsiones diebus paribus, plurimis quarto die labores maximi, & ſudores diutiſsimè frigidi, neque ampliùs extrema recalfiebant, ſed liuida & ſubfrigida manebant, non ſitiebant, prætereà erant vrinæ nigræ, tenues, paucæ, aluiq; ſiſtebantur, nec erupit è naribus ſanguis neque his quibus hæc contigerunt, ſed parùm ſtillarunt, neque reuerſio vlli horum facta eſt, at ſexto die cum ſudore moriebantur.

Vt omnia quæ hoc in libro ſcribuntur, exempla eo

pla eorum sunt quæ ab eo in libris alijs dicuntur, singula oculis ipsis examinanti, ita & quæ nunc dicuntur, nempe perniciosis febribus symptomata fuisse ait, principio superrigentes, vigiles, nauseabundos, parùm sudantes circa frontem & clauiculam. Nam quòd febris acuta ipsis esset & sitirent, naturæ adfectus propria hæc erant: quòd verò statim à principio rigerent, proprium malignitatis erat, nempe rigor febres ardentes iudicare consueuit, non tamen iudicatoria statim apparere oportet. Vigiliarum verò & difficulter ferendi symptoma semper malum est, non in principio solùm: veluti & insudare, παραλήγειν. verò quod est παρὰ τὰ κατὰ φύσιν λήγειν, hoc est, παραφρονεῖν, id est, desipere vel delirare, læsum indicat cerebrum. Timores acris admodum & deassatæ flauæ bilis symptomata existunt. Congeneres & timoribus sunt mæstitiæ. Extremorum perfrictio maximè lethale ardentibus febr. est tum symptoma tum signum: veluti & delirare, propter febris caliditatem exardente capite. Proprium autem est & peculiare febribus acutis vt summæ quoque corporis partes perurantur: quæ siquando refrigerentur, exardentibus visceribus, in medio corporis collectum quidem esse sanguinem indicant: extrema verò sanguine egere, refrigerari & prorsus emori extinguiq; , iam ea deserēte natura. Præterea accessiones si diebus paribus ab initio statim fiant, interdum quidem

iudicium pessimum sexto futurum die prænunciant, interdum verò & diuturnum fore morbum, atque si vehemens motus fuerit, prauamq; accessionem quartus dies habuerit, moriuntur sexto die, quomodo hi de quibus est sermo. Quarto itaque die ait labores maximos his factos fuisse, id est, dolorifica omnia symptomata, sudoresq; subfrigidos diutissimè, quapropter quòd sextus dies mortem cum sudoribus illaturus esset constat omnibus. Quòd liuida extrema fierent nec ampliùs recalfierent, extinctionis signum erat: & quòd virtus vltra sextum diem non posset sufficere, certum erat iudicium, aliud autem ex abundantia signum perniciosum ipsis fuit, quòd cùm priùs æstuassent, non ampliùs sitirent. Si itaque qui anteà ex siti arderent posteà sine siti fuerint, vt alterum ex duobus sit, est necesse: nempe vel morbi solutio, vel extinctio virtutis, vt non ampliùs præsentia mala percipiantur: at non fuit illis solutio, cùm perniciosa essent symptomata, quare quòd non sitirent, priuationis sensus signum his fuit. Dicta igitur omnia hæc symptomata, & maligna mirè omnia sunt & exitialia. Cùm autem maximè & vrinæ tum nigræ, tum tenues, tum paucæ, nigræ quidem tanquam deassato iam humore bilioso: paucæ verò ob torrefactum omnem sanguinis humorem, tum ex ardente febre, tum ex iam cadaueratis extinctisq; vrinæ deputatis instrumentis. Ob easdem causas

& aluus

& aluus suppressa est. Ait prætereà & nares sanguinem stillasse, quod signum est perniciosum cùm in alijs tum maximè in ardentibus febribus. Quod perniciosissimum febribus ardentibus hoc sit, patet, quòd maximè propria his sit sanguinis eruptio.

Phreniticis autem contigerunt quidem & subscripta omnia: sed iudicationes his magna ex parte vndecimo fiebant die, & quibusdam vigesimo. 76

Qui sine febre ardente phrenitici fuerunt, his, quæ dicta sunt non euenerunt, quoniam his quibus vnà cum febre ardente sexto die mors erat, duplicato malo, phrenitis fiebat: circa verò vndecimum diem iudicationem sequutam esse ait, alijs autem vigesimo.

Quibus non statim ab initio cœpit circa tertium vel quartum diem phrenitis, sed primo tempore mediocriter habebant, his circa septimum diem in acuitatem celeritatemq; transiit morbus. 77

Quibus quidem circa tertium vel quartum diem cœpit, sed in medio intercisa est, ex dimidio facta iudicatione, phrenitis valde acuta ægris non erat. Vidimus siquidem iam & phrenitidas huiusmodi.

Morborum itaque multitudo erat, atque ex ægris maximè moriebantur adolescentes: iuuenes, ætate florentes, læues, qui 78

subalbida cute essent, qui recto capillo vel nigro, qui nigris essent oculis, qui otiosè quieteq; & segniter degerant, qui voce tenui vel aspera, balbi, iracundique, mulieres quoq; plurimæ ex eo genere moriebantur.

Quomodo anteà dixi ipsa quidem quæ obscura sunt eum enarrare, apponi autem à nobis causas, ita quoque & nunc sermonis sententiam non esse manifestam dico. Nempe vtrum quæ dicuntur, de solis phrenitidibus intelligere oporteat, an de morbis omnibus quos antè dixit, est incertum, nempe & præsentis sermonis principium differenter scribunt, alij quidem ita: Morborum autem multitudo erat, de phreniticis ipsis solis quibus hæc intulit, sermonem esse volentes. Alij autem hoc pacto: Multitudo itaque morborum erat, de omnibus contrà & hi prædictis volentes orationem esse. Si de omnibus quidem intellexerimus, non definientes quam ob causam adulescentes, iuuenes, & ætate florentes perierũt, quam ob causam & pilo nudi, & subcandidi, quam ob causam qui rectos & nigros habent capillos, oculos item nigros, quam ob causam qui tum quietè tum segniter vixerunt, quare & lingua hæsitantes, quos Græcè ἰσχνοφώνους vocant, quare balbi, quemadmodum & quare iracundi, & quare mulieres: quæ omnia nisi distincta fuerint nihil quod plus sit, ex dictis neq; ad prænotionem neque ad curationem consequemur. Si

verò

verò non de omnibus morbis sed de phreniticis solis de quibus sermonem fecit, intellexerimus dicta hæc fuisse, difficillimum est & ita causas inuenire, ob quas plurimi ex his perierint, atq; post hoc, quòd plurimos perijsse duplex sit, vnum, quòd multi talium phrenitico morbo lethalem tunc epidemiam habenti correpti sunt, propterea multos eorum perijsse dictum est: alterum est quòd plurimos eorum qui phrenitide correpti sunt, perijsse intelleximus. Quare & causæ expositio gemina est, vt omnes, quos dixi, ad phrenitidem in hoc statu idonei essent, ostendentibus nobis ex his qui phrenitide correpti sunt, tales maximè perire. Sermonis igitur obscuritas tanta talisq; existit, præcedit verò ipsam temperamenti dictorum singulorum inuentio, nequit enim sine ea sermo statui coaptari. Videtur autem Hippocrates inter ea quæ dixit, calidissimas ætates commemorasse, inquit enim, adolescentes, iuuenes, & ætate florentes. Naturas item quibus difficilis est perspiratio, nempe pilis nudos candidosq; & qui capillis rectis, capillis nigris, & nigris oculis existunt, & qui vitam quietam otiosamq; degerunt, tum in alijs commentarijs tum in libro de temperamentis minùs difflari ostendimus, quòd frigidioribus temperamentis existant: & eandem ob causam mulieres, quas status ob muliebrium purgationem minùs offendit, vt antè diximus: quæ autem interibant, ex eo genere. Reliquum est

igitur vt de his agamus qui lingua hæsitant vocem habent asperam, de balbis, iracundis, & primùm scriptis lingua hæsitantibus, siue gracilem vocem habentibus, quos ἰσχνοφώνους Græcè dicũt. Nam si ita scriptum fuerit, gracilem vocem habentes significantur: Nempe adhuc & ἰσχνόφωνοι nunc quidam dicuntur, veluti & λεπτόφωνοι id est tenuem vocem habentes. Cùm itaq; nomen vtrunq; idem significet, differunt tamen qui vocem tenuem habent ab his qui gracilem, vt in libro de voce est dictum. Nempe ob gutturis asperæ arteriæ angustiam fieri tenuem vocem est demonstratum: vocem verò gracilem ob musculorum guttur mouentium prauitatem à natura cõtractam fieri ostendimus, vtriq; autem in prima formatione ob caloris natiui infirmitatem tales absoluuntur. Quo autem modo gracilem habentes vocem vitium ab initio in musculis guttur mouentibus contractum & conformatum habuerunt, sic in linguæ musculis balbi. Vox aspera fit propter voci seruientium organorum asperitatem, voco seruientia voci organa, per quæ spiritus emissus vox efficitur. Hæc sunt arteria aspera, guttur, fauces veluti plectrum spiritus per ipsas delati, nempe fauces vocis instrumentum esse demonstrauimus, veluti locutionis linguam, nonnihil autem & ad generationem fauces conferunt, densam eam reddentes. Hæc itaq; organa si læuia quidem existãt, læuẽ ea vocem efficere est de-

monstrau

monstratum: aspera, asperam, asperitatem autem ob siccitatem fieri est ostensum. Catera itaque omnia post ætates hucusq; dicta frigidi temperamenti signa sunt: Sola siccitas temperamentis cùm calidis tum frigidis copulatur, frigidis itaq; & siccis temperamento contingit vt non facilè difflentur, veluti & antedictis. Qui verò his calidiores existunt, his non protinus hoc inest, ideo hos à sermone excipimus: alios autem narramus quibus sermo est consentaneus. Erat autem propositum perijsse multos, quos inter tum naturas tum ætates connumerauit. Dicebam autem ætates esse calidas, in quibus amaræ bilis humor redundaret: naturas verò, quæ difficulter euaporarentur. Ex his itaque de quibus hucusq; mentionem fecimus, reliquum adhuc est, vt de iracundis dicamus, quos maximè aduersos animosis aiunt. Animosi etenim magnanimi sunt, & rerum humilium contemptores: Iracundi verò pusillanimes sunt, quòd virilis animi generositatem non habent: quare & temperamentis frigidiores erunt, & difficulter vaporabiles. Quod autem in calce orationis dictum est: mulieres quoque plurimæ ex hoc genere moriebantur, ánne ad finem tantùm referre oporteat, an ad ea quæ dicta sunt, non constat. Postremi autem illorum sunt iracundi, atque ex mulieribus congeneres huic speciei plurimas interijsse adiecit. Potest verò modo vtroque verus esse sermo,

ſiue ad prædicta omnia relationem faciat Hippocrates, ſiue ad poſtremum tantùm. Quòd ſi ad omnia referre verum ſit, vt ita intelligatur, eſt melius, in pueris ſiquidem & quod vltimò dictum eſt, continetur: ſed in hunc modum nequaquam dicta ſunt omnia. Mulieres tamen huius generis interijſſe ipſe ait, viris eas comparans, nempe ſuprà eſt dictum. Mulieres verò multæ ægrotauerunt quidem, minùs verò quàm viri, & minùs perierunt, ſed præſens ſermo Hippocrati talis quidam exiſtit. Mulieres dictis captæ adfectibus interibant magis, quæ antedictæ ſpeciei erant.

79. In hoc verò ſtatu, in ſignis maximè quatuor ſeruabantur. Quibus ſiquidem vel per nares probè ſanguis erupit, aut quibus per veſicam vrinæ multæ, & multum ſedimentum bonumq; habentes prouenerunt, aut per ventrem turbulenta biliosa tempeſtiuè, aut quibus dyſenteria contigit. Multis autem contigit vt non ab vno ſubſcriptorũ ſignorum iudicarentur, ſed per omnia plurimis excretio fieret, qui moleſtiùs quidem habere videbantur, ſed omnes quibus hæc contigerunt, ſeruabantur. Fœminis virginibus contigerunt quidem & ſubſcripta ſigna omnia. Quibus verò aut aliquod ex his bene fieret, aut menſes largiùs ſuperuenirent, per hæc ſeruabantur, iudicabanturq;,

turq; , nullumq; ex his quibus horum aliquod probè fieret,perire vidi. Nempe Philonis filia cùm ei ex naribus copiosè ſanguis effluxiſſet,die ſeptimo intempeſtiuiùs cœnauit,& obiit mortem.

Sermo quoque hic clarus eſt,& qui ſequitur, vbi de mulieribus diſſerit. Nam ſumma, quam docet, eſt, quòd alij quidem per ſanguinis profuſiones, alij per vrinas vel deiectiones, alij delapſis in dyſenteriam cauſis ſeruari potuerunt.

Quibus in febribus acutis, atque magis ardentibus ſpontaneæ erumpunt lachrymæ, his è naribus ſanguinis eruptionem expectare oportet, ſi in cæteris perniciosè non habuerint:nam qui vitiosè habent,his non ſanguinis eruptionem,ſed mortem ſignificant.

Vnum quoque quodpiam & hoc inter portendentia ſanguinis eruptionem ſigna quæ ab ipſo anteà prætermiſſa ſunt, in præſentia dicitur. Eſt autem abundè clarus ſermo his qui meminerunt quæ anteà & in libro hoc dixit, & in prognoſtico. Dicta quoque à me ſunt & hæc omnia cùm proprijs limitationibus in prognoſtici commentarijs, & in libro de indicationibus.

Tumores circum aures qui in febribus cum dolore exurgunt, quibuſdam ceſſante iu

te iudicatoriè febre, neque sedati sunt neque suppurauerunt. Factum his biliosorum profluuium, vel dysenteria, vel crassarum vrinarum sedimentum soluit, vt Hermippo Clazomeno contigit.

Commodissimè cum nuper prædictis hæc memorauit, vt non existimemus parotidas sine suppuratione permanentes, perpetuò prauum esse signum, nempe in præsenti statu febres ait quibusdam iudicatoriè desijsse, quod est die iudicatorio, & cum sudore vel alio quodam ita iudicantium, atque permansisse parotidas: deinde processu temporis resedisse per quas dixit vrinas, & deiectiones, & dysenterias, expurgatis morbum parientibus causis.

82 Quæ circa iudicationes existunt, & ex quibus dignoscimus: aut similia, aut dissimilia sunt.

Quæ de iudicationibus vel iudicatorijs diebus ab ipso dicta sunt, omnia in duobus libris à nobis habes aceruata & collecta, tum in libro de iudicationibus, tum in libro de diebus iudicatorijs: dicetur nihilominùs & nunc paucis summa sermonis. Iudicationes ait partim quidem similes, partim verò dissimiles fuisse, deinde pro exemplo citat multos qui ex recidiua atque præstituto decimoseptimo die prorsus iudicati sunt: deinde alios à recidiua, die vigesimo, eósque non similiter. Exempli autem gratia primùm mentionem

nem fecit duorum fratrum in hac dictione.

83.

Vt fratres duo eadem simul hora febricitare cœperunt: habitabant autem iuxta theatrum Epigenis fratres. Natu maioris morbus sexto die: iunioris septimo est iudicatus. Reuersus vtrique simul eadem hora, intermisit dies quinque, ab recidiua vterque simul decimoseptimo prorsus est iudicatus: plurimis quinto die iudicatio facta est. Intermisit morbus diebus septem, & ab recidiua iudicatus est quinto: aliis iudicatus est septimo. Intermisit diebus septem, & ab recidiua iudicatus est tertio: aliis iudicatus est die septimo. Intermisit tribus diebus, & septimo est iudicatus: alios reliquit sexto, intermisit sex, & præhendit tertio: aliis intermisit prima, præhendit, & iudicatus est prima: vt contigit Euagonti Daïpharsis filio: aliis sexto est iudicatus intermisit septem, à recidiua iudicatus est quarto: vt Aglaïdæ filiæ. Plurimi itaque eorum qui in hoc statu ægrotauerunt, in hunc ægrotauerunt modum: nullumque ex his qui euaserunt vidi quem non repetiissent secũdum rationem factæ recidiuæ: seruabanturq; omnes quos equidem vidi: quibus reuersiones huiusmodi cõtigerunt: nulliq; hoc modo ægrotãtiũ noui reuersionẽ à decimoseptimo fuisse.

Morie-

Moriebantur autem in his morbis plurimi sexto die, vt Epaminondas, Silenus & Philiscus Antagorei filius.

Quod huius sermonis commodum existit, patet ex dictis: incommodum verò incertum, quare peruestigare ipsum non congruum fuit. Sed qui commoda quidem affectant, sibi negotium præstant inquirentes quomodo dixerit Hippocrates seniorem sexto iudicatum, iuniorem septimo, & rursus posteà vbi dixit: Reuersus vtrique simul eadem hora, subintulit: intermisit dies quinque, fieri quidem nequit vt vtrique dies quinque intermitteret, sed alteri soli, & sanè fieri potest vt hoc ipsum quod dicunt, de vno solo intellectum sit, altero in narratione dicto septimo die prima iudicatione iudicato. Iam si huic intermisit dies quinq; patet quòd alteri qui sexto die est iudicatus, sex dies intermiserit. Fieri quoque potest vt ab initio vitiata à librario dictio seruata sit, veluti & aliæ multæ idipsum passæ sunt, tum apud Hippocratem, tum apud alios non paucos. Quod autem dico librarij erratum fuisse, tale est: potuit enim scripta esse dictio in hunc modum: Intermisit alteri dies sex, alteri quinque, qui verò defecit, scripsisse potuit: intermisit quinque, estq; verisimilius seniori quidem sex dies intermisisse, iuniori verò quinque, cùm vtrique simul reuersio in die duodecimo fuerit. Deinceps itaque ait: Plurimis indicatus est

quinto

quinto, diebus septem intermisit, vt videantur & fratres ipsi exemplum esse iudicationum quæ plurimis contigerunt. Post verò horum enarrationem iudicationes alias scripsit varias omnes quæ decimoseptimo die circunscribuntur: talem verò nullam qualem in duobus fratribus intelligendam dico, vt in duodecimo die vtrique reuerteret morbus, & iuniori intermitteret diebus quinque. Probabiliter quidem ita in ipsis est dictum, vt tunc quod ipsis cum alijs simile esset, seruaretur: & quòd ab recidiua decimoseptimo die iudicarentur, & peculiariter quòd duodecimo morbus reuerteret. Sed bonum est, vt dixi, non peruestigare, cùm quod vtile sit habeas, & iam prætermittamus iudicia omnia quæ ab ipso serie continuata dicta sunt, summis contenti, quatenus quidem similia ipsa fuerint, & quatenus dißimilia. Nam cùm primæ iudicationes aut sexto die ægros tollerent, aut infidæ ita essent, vt morbi rursum ad vltimam absolutamq; redirent iudicationem die decimoseptimo præhendentes, in hoc tum simile, tum dißimile fiebat. Post hæc iudicationes alias commemorat & reuersiones, quæ in vigesimum inciderunt diem, ita vt in eo absolutè iudicarentur. *Habitabant iuxta theatrum.* Quidam scribunt non theatrum sed θέρετρον, vt interpretari poßint locum esse aliquem παρὰ τὸ θέρεσθαι, id est, ab ardendo ita appellatum, sed quomodo quis talia scribat nomina, nihil ad præ-

sentem interest speculationem: neque aliquid refert an Perigenis, vel Theonis vel Dionis fratres essent, at qui probè secundùm artem medicam enarrare nequeunt, hi ad tales digrediuntur curiositates.

87. Queis autem tumores iuxta aures fiebant, hi vigesimo die iudicabantur: restincti omnibus sunt quibus ad suppuratione non sunt ducti, ad vesicam verò facta est conuersio. Cratistonactæ qui apud Heraclium accubabat, & pictoris ancillæ ad suppurationem ducti sunt. Obiit Scymni pictoris ancilla, suppurarũt. Quibusdam septimo die iudicatus est morbus, intermisit nouem diebus, reuersus est, ab recidiua iudicatus est quarto. Iudicatus est septimo die Phanocrito, qui apud Gnatonem pictorem decumbebat.

Quod & anteà dixi memoratu dignum, memorabo & nunc quod illo, tum admirabilius, tũ rarius, nempe quòd parotides citra suppurationem curatæ sunt, solis ad inferiores partes factis excretionibus, non valde consuetum existit: sed rem auxit, scribens in hoc sermone Cratistonacten & pictoris ancillam perijsse ad suppurationem ductis parotidibus, nempe cũ hoc pugnare videtur: Concoctiones indicationis celeritatem ostendunt, securamq; salutem. Sed impræsentiarum febrium quæ in venis continebantur causæ,

non priùs erant concoctæ Cratistonactæ & ancillæ pictoris, aut non obijssent. Parotides verò maturauerunt, quod rarum esse & memoria tenendum dixi, quòd possibile sit particularem in parte aliqua fieri concoctionem, morbo toto haudquaquam concocto. Cætera omnia quæ hoc modo de iudicationibus dicta sunt, absolutè sumus prosequuti in his quos de iudicationibus & diebus iudicatorijs scripsimus commentarijs.

Sub hyemem circiter solstitium hybernum ad æquinoctium vsque permanebant quidem & febres ardentes, & phrenitides, multique moriebantur. Iudicationes verò euariabant, plurimisq; quinto ab initio die iudicabatur morbus, intermittebatque diebus quatuor, repetebatq;, & ab recidiua quinto die iudicabatur: eratq; numerus totus dierum quatuordecim. Pueris ita pluribus iudicabatur, atque etiam senioribus: aliis iudicabatur vndecimo, reuertebatur decimoquarto, & perfectè iudicabatur vigesimo. Quòd siqui vigesimo superriguissent, his iudicabatur quadragesimo: superriguerunt autem plurimi circa initialem iudicationem, & in reuersionibus cum iudicatione.

85.

Meminit hic hyemis secundi anni non primi,

quem in ſtatu explicuit, dicta quoque & à me anteà cauſa ob quam phrenitides non circa initia, ſed poſteà redundarint. Præterea indicationum præfinitos dies immutatos eſſe ait, exponitq; rurſus & harum varietatem, communem habentium cum prædictis recidiuam. Pueris quoque atque adhuc his ſenioribus indicationes decimoquarto prorſus adfuiſſe ait, nempe his morborum cauſæ celerrimè vaporantur maturanturq;. Cæteris non ſolùm ad vigeſimum, verùm & ad quadrageſimum perueniſſe ait ex recidiua indicationem vltimam: nihilq; miri eſt, ſi differentiæ indicationum inſignes in morborum varietate fuerint.

56 Vere rigebant pauciſsimi, æſtate plures, autumno adhuc plures, ſub hyemem longè plurimi: ſanguinis autem eruptiones relinquebant.

Veris impræſentiarum meminit quod in primo ſtatu eſt memoratum, & non quod ſecundi anni eſt. neque enim vſqueadeo morborum produxit enarrationem, quanquam ad ſecundam vſq; hyemem produxerit. Quare autem temporis progreſſu in dies etiam atque etiam ſuperrigentium numerus augeretur, iã virtute anteà dixi illo in ſermone, vbi cùm admonerem, oſtendi rigorem fieri, cùm flaua bilis per ſolida penetrat corpora, non autem in vaſorum cauitatibus contineatur. Cùm itaque in motu circa initia eſſet, febres ardente

dentes generauit: poſteà verò in carnoſas tranſiens partes, vbi per eas foràs pelleretur, rigorem fecit. Paulatim verò ſanguinis deſinebant eruptiones, quòd bilis non ampliùs in venis eſſet, ſed in totum corpus diuiſa eſſet.

Secundi commentarij finis.

GALENI IN *PRIMVM EPIDEMIORVM* COMMENTARIVS TERTIVS.

***

MORBOS dignoſcimus ex cō-muni omnium natura: & cuiuſq; propria edocti: ex morbo, ægro, ex oblatis, & offerē-te. Ad facilius ſiquidem & difficilius ex his, ex tota conſtitutione, & cœleſtium ſingulari, & vnaquaque regione, & ex conſuetudine, & diæta, & ex vitæ inſtitutis, ſingulisq; ætatibus, & ſermonibus, modisq;, & taciturnitate, & imaginationibus, & ſomnis, & vigiliis, & inſomniis, quibus & quando, vellicationibus, pruritibus, lachrymis, ex acceſsionibus, deiectioni-

bus, vrinis, ſputis, vomitionibus, & quæ ex quibus in quos morborum ſucceſsiones, & qui abſceſſus in perniciosum vel iudicatorium: ſudor, rigor, refrigeratio, tuſsis, ſternutamenta, ſingultus, ſpiritus, ructus, flatus, ſilentes, ſtrepentes, ſanguinis eruptiones, hæmorrhoïdes. Ex his autem & quæ per hæc ſunt, conſideranda ſunt.

Nonnulli adſcripta hæc eſſe putant, ſimilem habentia, tum interpretationem, tum ſententiam his quæ in libro de humoribus ſcripta ſunt, quæ alijs antè commentarijs expoſuimus. Sunt hæc ſanè prognoſtica theoremata; quibus docet Hippocrates vniuerſales ſcopos à quibus prænotiones fieri oportet. Communem itaque naturam appellat eam quæ omnium hominum exiſtit: propriam verò quæ in ſingulis nobis. Quòd autem ex ambabus fieri, tum dignotiones, tum præſenſiones oporteat, quodq́; ſecurior ſit ea quæ ex propria ſit natura, conſtat tibi ex prognoſtico, ex libris de fracturis, de articulis, & de capitis vulneribus, quos antè expoſuimus. Præcipiens itaque ſemper partem adfectam cum ſuo naturali ſtatu conferre, ſermoni adiecit aliena negligenda non eſſe, ita autem & cùm inquit: Contemplari autem ita in acutis morbis oportet, primùm ſi ægri facies ſanorum faciebus & præſertim ſuæ ſimilis ſit (nempe hoc pacto optima fuerit). Quòd ſi pro-

prium

prium cuiusque ægri nouerimus colorem magnitudinemq́; communi non erit opus. Quoniam verò non hominum omnium naturam antè cognoscamus, sed ex inopinato sæpiùs ad ignotos vocemur, principium dignotionis morborum & præsensionis futurorum à communibus facimus. Nā si nasus acutus non sit, neque caui oculi fuerint, neque collapsa tempora, neminem super ægro interrogamus: Si verò nasus acutus fuerit, cauiq́; oculi, & collapsa tempora apparuerint, tunc quónam haberet pacto cùm secundùm naturam esset, interrogamus. Sic autem & ex morbo prænotiones futurorum fiunt, nempe tibi pluribus demonstratum est, tum in libris de iudicijs, tum in aphorismorum commentarijs, tertianas exquisitas celeriter iudicare: quartanas verò lōgas esse, atque vtrasque periculo vacare: Phrenitin præterea lethargumq́; cum periculo esse & acuta: lienis item scirrhum, tum perniciosum, tum longum. Ex ipso autem ægro venientium præsensio duobus fit modis. Alter modus est, cùm inquit: In composito homine audax responsio mala est: Contrà turbidus si ægrotauerit, non solùm si audacter loquatur, verùm neque si in vrente febre delirauerit, periclitabitur. Alter modus talis est: Si æger omnia quæ conueniūt fecerit, & Medico obediens nihil iuuetur, grauiter ægrotat: Cōtrario autē prorsus modo si æger nihil quod oporteat fecerit, mediocriter habet. Sic & ex cibis

prænotio erit, nempe si cibi praui fuerint, & nihilo deterior fiat, mediocriter ægrotat: cùm verò omnia conuenienter fiunt, si præter id quod nihil iuuetur, etiam exacerbetur, malum est. Quòd autem non modos morborum solùm, verùm quoque & formas interdum ex cibis dignouerim, sæpiùs vidistis. Sed de his omnibus, vt retuli, in aliis egi pluribus. Cùm verò & ex offerente prænosci facilius vel difficilius dicat, in morbis intelligere oportet. Tale autem quippiam sæpiùs cernentes siue morbus longus sit, siue febriles adfectus longi fuerint, dignotioni quippiam addimus, & ex eo quòd cognoscamus quísnam esset qui curabat Medicus, qui si clarus & insignis sit, spem sanationis exiguam habemus, nempe quòd malignus sit morbus, si omnibus ritè factis nihil iuuetur, constat omnibus: Si verò vilis sit & imperitus, quòd incolumis foret homo si omnia rectè instituta essent, verisimile esse putamus. Prænotiones item fore ait & ex statu, id est, peculiari ambientis nos aëris temperamento: vniuerso autem & particulari cœlestium est, si meminerimus eorum quæ in antedictis tribus statibus dicta sunt, in quibus Hippocrates ipse quæ in ambiente fiebāt secundùm caliditatem & frigiditatem percurrens, in calce eorum euincentem pronuntiauit tēperaturam, vt cùm inquit: Facto autem toto statu austrino & calido, quanquam neque per totum annum auster spirasset, neq; squalor fuisset.

Rursu

Rursum cùm ait: facto autem anno toto humido, frigido & aquilonio, quod redundabat pronunciauit, nempe fieri non poterat, vt nullus dies toto anno calidus fuisset, nullus siccus, nullus humidus. Ita autem & morborum formas differentiasq́; multò conuenientius erat tales esse, non tamen quin alij euenirent. Hic tandem absoluta primi status expositione, in calce huius ita ad verbū scripsit: Ex omnibus qui hoc in statu scripti sunt, phthisicis solis lethale contigit, nempe in cæteris omnibus commodè habebant, neque lethale quippiam in alijs febribus, neque grassabatur vna morborum species, neque status vnus toto anno perpetuò erat. Ex victoria autem temperamenti, vel frigidum, vel humidum, vel aliud quoddam nos temperamentum dicimus. Hippocrates autem scripsit: Vere nanq; alij morbi, æstate alij, autumno alij, hyemeq́; alij contigerunt in singulis quos scripsit statibus: per totum tamen annum hoc statu hic morbus dominabatur: atque in altero alius. Atque id est quod dicitur: ex statu vniuerso & particulari cœlestium. Adiecit autem sermoni, cœlestium: quoniam nudè & sine adiectione dictum status nomen, regionis formam quoque indicare potest, reiq́; alterius cuiusuis. Atq; tandem connectens ait: ex statu vniuerso & particulari cœlestium, ex vnaquaque regione & consuetudine. Quòd autem & regionis forma ad futurorum prænotionem magnopere

conferat, sæpiùs est demonstratum, nunc verò satis sit ad librum de aëre, locis & aquis remittere, in quo docet Hippocrates quínam morbi in vnaquaque redundent regione, nempe horum generatio regionibus est connutrita, minusq; ab ipsis impẽdet periculi, quòd peculiares sint. Prætereà ex consuetudine auxilium esse ad prænotionem docet. In prognostico itaq; vbi limitationes ex consuetudine adiecit, aliquando quidem ita inquit: Cubare in ventrem cui dormire ita dum valet consuetum non est, desipientiã indicat, vel ventris dolorẽ. Interdũ verò ita: Per febres dentium stridor iis accidens quibus à puero ità consuetum non est, cõmonstrat insaniã & mortem. Prætereà ex victus ratione ægri qua vsus sit, fieri potest vt artificiosè cõijciatur qualésnam sint, & quanti redundent succi, quibus cognitis præsens corporis affectio cognitũ est facilior, & futurorum prænotio promptior & expedita magis. Vult quoq; & ex vitæ institutis prænotiones fieri, ἐπιτηδεύματα Græci vocant. Appellant autem ἐπιτηδεύματα quæcũq; omnia faciunt homines, vel cõmodo vel necessitate, siue nauigantes, siue terram colentes, aut ædificantes fabricãtesq;, aut venati, aut lubenter sese exercentes, vt qui sæpiùs in aquis lauantur vel calidis vel frigidis. Licet itaque ex his ad quæ studia sua conferũt, de morbi coniectare dispositione, nempe qui in agro egit æstate in Sole apricatus, in laboribus

& vict

& victu tenui, is amaram bilem potiùs quàm pituitosum succum, quantum in ipso fuit, collegisse potest: Qui verò contrà vrbem incoluerit, in vmbra bis die lotus, atque in ocio sese cibis perfectè impleuerit, is pituitosum magis aceruasse potest, atque in cæteris proportione. Quòd autem & ex ætate ad præsentium dignotionem & futurorum præsensionem non paruum iuuamentum habeamus, disces ex aphorismis, in quibus de ætatibus disseruit, iam verò librum hunc anteà exposuimus. Sermo prætereà ægri ad præsentium dignotionem & venientium prænotionem iuuare potest, verùm ea significatio coniuncta est & communicat cum ea quæ ex consuetudine est. Nam si sermones ægro fiant, ex eo more quem cùm valeret, habuerit, nihil difficile fore sperabimus: si verò consuetis aduersos proferat, malum est signum. nam suspitio quædam nobis ex eo est, læsam esse ipsius mentem. Quòd autem deinde τρόποισι, id est, modis ab Hippocrate dictum est, videamus quidnam significet, hac siquidem voce veteres in duobus vtuntur significatis, interdum quidem ad animæ mores referentes: interdum verò ad differentias vel species rei præsentis de qua agitur, vt si de victus ratione sermo sit, autor si victus rationis τρόπους dicat, differẽtias ipsas vel formas significat: veluti & si febrium τρόπους dixerit multos esse, differentias harũ vel species significat. Hoc itaq; loco vel animæ mores

signific

significat per verbum ῥέποισι, *vel sermonum differentias, quoniam de sermone mentionem fecit, quasi ita dixerit: sermonibus & ex eorum speciebus vel differentijs. differentias enim vel formas vel species in præsenti nihil refert dicere, cùm omnia hæc fiant in eorum sectione quæ generaliter intelliguntur. Vt autem sermones de ægri dispositione quippiã docent, sic & taciturnitas quæ præter naturam vel secundùm naturam in ægro reperitur, nempe naturâ taciturno secundùm naturam est: contrario verò, præter naturam, quare huic veternosus quidam marcor atque in somnũ propensio est, ob quam tacet præter naturam, aut melancholiæ principium: Taciturno autem non tacere, sed plura quàm consuetum sit loqui, mentis vacillationem portendit. Deinceps cùm dixit* διανοήματα, *id est, cogitationes imaginationesq́;, rem significauit neque sensu perceptam, neq; aspectabilem, sed quæ coniectura reperitur. Coniectura autem est quod ægri, tum loquantur, tum faciant. Nam cùm ex nobis quidam manè ægrum de more inuisisset, is tota nocte sese inuigilasse dixit, dũ cogitaret quidnã contingeret, si Athlanti fesso non ampliùs cœlum sustinendum videretur, hoc cùm diceret, principium quoddã melancholiæ esse intelleximus. Simili modó & per opera quæ ægri faciũt, animi mores indicantur. Postea inquit autor: Somnis & vigilijs, de quibus nihil hic dicere intendo, tum quòd in apho-*

rismis, tum in prognostico & somnos & vigilias antè exposuerim. Præterea de insomnijs antè exposui, tum alijs, tum ijs quæ corporis affectionẽ quandam indicant: quomodo & in libro de sanorum victu scriptum est. Nã siquis per insomnia rogos viderit, à flaua bile infestatur: si imbres, frigidum humorem redundare ostendit, veluti si niuem, glaciem & grandinem, frigidam pituitã, si in fœtido loco esse videatur, putredinem humorum: si gallorum gallinaceorum cristas, aut russa quædam, sanguinem redundare: si caliginosa quædam videre videatur, aut in caliginosis esse locis, flatus indicat, quare & verbo, insomnijs, adiecit, quibus & quando: vt verbum, quibus, differentias demõstret, quod si nón adiectũ esset, etiam clarum esset: quando verò tempus indicat, in quo fiunt insomnia, hoc est, vel in primo accessionis ingressu, vel in vigore, vel alio tempore: & si post cibum, & talem quendam cibum statim, vel absque cibo. fit enim quædam ex his demonstratio. Qui itaque niue spargi videtur, si in ingressu accessionis cum rigore vel horrore vel perfrigeratione fieri id sibi videat, ad tempus magis quàm ad corporis affectionem referre oportet: si verò in declinatione tale insomnium conspexerit, certius nobis iudicium facit succorum frigiditate vincentium: atque adhuc magis, si pituitosorum ciborum nihil ederit, qui si in ventre continẽtur, fieri potest vt talis quædam fiat visio, quanquam

into

in toto corpore nulla ſit ſimilis affectio. Quod aũt deinceps dicitur, vellicationibus, anteà expiicui & in cõmentarijs de humoribus, vt & alia mul ta eorum quæ nunc dicta ſunt: quæ & de floccos carpentibus & feſtucas legentibus dici valent: aut etiam de vellicantibus qualemcunque ſuam partem, in qua adfectus quidam cum dolore profundum occupat. Vellicant quoq; ſæpiùs & partem in qua pus cõtinetur, aut alius quidam acris humor: quod vtique & interdum deſipientiæ ratione contingit. Quod autem poſteà ſcriptum eſt, pruritibus, mordentes eſſe in cute humores ob quos pruriunt, oſtendit. De lachrymis, tum voluntarijs, tum inuoluntarijs quidnam ſignificare vtræque natæ ſint, iam didicimus. Quomodo & de acceſsionum formis, deiectionibus item, vrinis, ſputis, & vomitionibus ſufficientiſsimè in prognoſtico eſt demonſtratum: ſimul & in aphoriſmis eſt dictum, & in prorrhetico. Poſteà cùm inquit: Et quæ ex quibus in quos morborũ ſucceſsiones fiant, & abſceſſus in pernicioſum vel iudicatorium. reuocare hic ad memoriã oportet, quæ antè ſunt oſtenſa, in quibus antè enarrationes fecimus. Succeſsiones itaq; morborũ fiũt tum pernicioſæ, tum iudicatoriæ, & ex morborũ ipſorum differentia, & locis adſectis: nam ſucceſsio in morbos leuiores & locos ignobiliores ſalutaris eſt: in grauiores verò morbos & locos principaliores pernicioſa. Pari modo & abſceſſus

qui per emißionem fiunt, sunt meliores: per repositionem verò minus commodi. atque horum ipsorum qui quidem à loco adfecto remotißimi, & in partes ægri ignobiles, boni sunt: contrarij verò his, praui. Quæ deinceps ab his per totam scripturã dicta sunt, latißimè sumus prosequuti in his quos antè exposuimus libris, nempe in aphorismis & prognostico, de rigore, sudoribus, tußi, sternutatione & singultu. In alijs verò tractationibus quas cõfecimus, & de his quidem, imò & de alijs omnibus quæ commoda ad tum dignotiones tum prænotiones sunt, diximus. Cùm autem deinceps refrigerationis frigorisq; ipse meminerit, inspiciendũ vtrúmne frigus totius corporis intelligere oporteat, vt profundum inuratur: an partium extremarum, an vt de his omnibus dicat satius sit existimare. Aliud siquidem quippiam significat in acceßionis principio, aliud autem in declinatione: veluti & si per totam adfectionem ipsum permanserit, signum non est bonum, veluti & si tali eo existente perpetuò profunditas inuratur. de quibus omnibus dictum est in his quæ exposuimus, & in tractatione de indicationibus. Cùm autẽ spiritus dixit, respirationis differẽtias intelligere oportet. Quoniã verò & de flatibus deinceps mentionẽ fecit, sunt quoq; & hi in spirituũ genere. Dictũ est autẽ in prognostici cõmẽtarijs, & in libro de spirãdi difficultate, de spirituũ in respiratione differentijs, veluti & de flatibus

in prognoſtico. Ructus quoq; & in ſpirituum genere exiſtunt: atq; ob id quodammodo cõmunicãt cum ſpiritibus reſpirationis: quatenus autẽ in flatuoſorum ſpirituum ſunt genere, eatenus cum flatibus cõmunicant: quare & ipſi flatuoſum ventre procreari ſpiritum oſtendunt. Quod autem in fine capitis dixit, patet omnibus: nempe ſanguinis eruptiones, & hæmorrhoides quomodo auxiliari quidem natæ ſunt, ita & læſionem adferre vt didicimus.

Inter febres quædam cõtinuæ, quædam interdiu tenent & noctu intermittũt: aliæ noctu vexant, interdiu remittunt: aliæ ſemitertianæ, tertianæ, quartanæ, quintanæ, ſeptimanæ, nonanæ.

Continuæ συνεχοῦς, *& intermittentis* διαλείποντ@ *nomine veteres bifariã vſi videntur. Nempe continuas appellant febres, interdũ quidẽ omnes quæ ad febris carentiam non deſinunt: interdũ autem & non omnes quæ non deſinunt ad eam febris carentiam, ſed ſolas præcipuè illas quæ ad iudicium vſque nullam habent permutationẽ. Ita & intermittentes interdum quidem ſolas illas appellant, quæ ad febris carentiam deſinunt: interdũ verò eas, quæ non deſinunt ad integritatem, ſed inſignes faciunt permutationes particulariũ acceßionũ, in principiũ, incrementum, vigorem, & remißionẽ. Quidam recentiores Medici febres nullã habentes inſignẽ mutationẽ, nõ cõtinuas*

nuas συνεχεῖς, sed συνόχους synochos appellitant: continuas verò solas illas, quæ neq; ad integritatem desinunt, & particularibus intermittunt ac cessionibus. Has veteres aliquando quidem συνεχεῖς appellant, aliquando intermittentes. medium siquidem verè tenent inter continuas & eas quæ ad integritatem desinunt. Optimo igitur iure vbi cum synochis comparantur, intermittentes vocãtur: vbi verò cum his quæ ad integritatem desinunt, continuæ. In hac autem præsenti dictione febrium differentias scribens Hippocrates, quasdam ait esse continuas: sunt enim verè continuæ multæ secundũ vtrũq; continui significatum. Alias autem vel nocte intermittere vel die, ex quibus eas quidem quæ ad integritatem non desinunt, quidam recentiores Medici μεθημερινοὺς vel καθημερινοὺς appellant, id est diurnas: quæ verò desinunt, ἀμφημερινοὺς, id est quotidianas, tali minuta & subtili nominum disputatione apud veteres nõ existente. Nam cùm intermittere bifariam tum intelligatur tum dicatur (vt suprà diximus) febres singulis diebus vel noctibus exacerbãtes, intermittentes dicemus, siue ad integritatem vel apyrexiam, siue ad vocatam ἔνδοσιν, id est, remißionem peruenerint. Deinde connumerat à prædictis alias febrium differentias, semitertianas, tertianas, quartanas, quintanas, septimanas, & nonanas cõmemorans. Tertianæ & quartanæ quidem manifestè ad inte-

gritatẽ desinunt: At ex semitertianis quadam vtraq; incedunt via: aliæ altera earum sola quæ nõ desinunt ad integritatẽ. Nam si animaduerteris quòd vt in quotidie exacerbantibus alias quidẽ ad integritatem venire ait, alias autẽ ad remißionẽ, ita & quænã sit earũ quæ tertio aut quarto quoq; die inuadunt differentia: cognosces planè nõ de re sed de significato vocis semitertianæ quæstionẽ esse. nã quæ quarto quoq; die inuadunt, scimus eas ad integritatẽ lõgo desinere tempore: rarißimeq; ex his quæ quarto quoq; die inuadũt, visa est aliqua quæ ad integritatem non desineret. Res in his quæ tertio quoq; accedũt die non similiter habet: nẽpe multæ sunt differentiæ. In his igitur non de re, sed de significato & nomine est quæstio, quásnã ex prædictis febribus appellare cõueniat tertianas, semitertianas, & propè ad naturã tertianæ accedẽtes. Similimodo cùm febres dicit quintanas, aut septimanas aut nonanas esse, iã nõ de nomine & significato est q̃stio, sed de re. Nẽpe sunt medici qui asserũt se ambitũ nullũ vltra quartũ diem vidisse: reliqui aiũt vt Hipp. Ego verò & ab adolescẽtia hucusq; vsus obseruatione nullum vidi septimanũ, nullũ nonanum, neq; obscurè neq; ambiguè: quintanos autem circuitus vidimus ambiguos, neq; tamen exactè, neq; manifestè vt quotidianos, tertianos et quartanos. res tamen logica demonstratione non eget, vt censeo, iudicium ab experientia adsumens.

Nam

Nam ſiquis exactè ſæpiùs vidit vel ſeptimo quoque die vel nono acceßiones fieri (neque enim bis aut ter ſatis ſit) perſuaſus is fuerit tales quoſdam eſſe circuitus: ſi autem non vidit à iuuentute ad ſenectutem quos inuiſit ægros ita febricitare multos, conſtat hoc illi econtrariò, quòd ſcilicet non fiant eiuſmodi circuitus. Fortè itaque aduerſus Hippocratem logicè quis diſſeruerit vt Diocles. nempe quibus aſſerueris ſignis aut ſuccis quintanum vel ſeptimanum, vel nonanum fieri circuitum, non habebis. Neq; verò nobis ſcripſit ægrum aliquem qui ita laborauerit, quanquam oportebat quomodo aliorum multorum vniuerſalium præceptorum exempla particulariter docuit, ita & in his feciſſe. Cognoſcere prætereà oportet principium orationis in multis exẽplaribus ſcriptum eſſe ſecundum ſpeciem interpretationis, quam ἀσύνδετον, id eſt, ſine coniunctionibus vocant, hoc modo: febres continuæ die tenent, nocte intermittunt, nocte tenent, die intermittunt. Cùm autem hanc ſpeciem interpretationis ἀσύνδετον vocari dixi, oſtendi & ipſius expoſitionem: oportet ſiquidem veluti in catalogo dictorum nos intelligere adiectas quæ in orationibus prætermiſſæ ſunt coniunctiones.

Sunt autem in febre continua morbi acutiſsimi, & maximi & grauiſsimi, & maximè lethales. 3

Exactißima horum omnium doctrina in cõ-

mentarijs de febrium differentijs est tradita: & nunc, vt iam retuli, verum demonstrare non proposui, neque particularia omnia docere, ita vt nihil prætermittam: sed veteris viri orationem explicare. Summas igitur incidentis singulorum speculationis non præteribo. Ait itaque acutißimos maximosq; & grauißimos in febre continua esse morbos: acutißimos inquiens qui pauco tempore subeunt iudicationes: maximos autem, validißimos: grauißimos verò, qui periculum inferunt. quod exponens ipse intulit, maximè lethales inquiens ipsos. Quoquo autem modo continuam febrem dici intellexeris, verus est sermo. Acutißimi siquidem morbi & maximi & grauißimi in propriè dictis synochis fiunt, atque in alijs nihil minus quæ per particulares incedunt accessiones, initia, incrementa, vigores & declinationes manifestas facientes, nec tamen ad integritatem desinentes: de quibus hoc loco intelligere satius erit, quoniam & synochos in his contineri contingit, & non has in synochis. Quòd si orationem de solis synochis dici quis intellexerit, reliquas continuas ceu non periculosas neque vehementes neque acutas eximere videbitur.

4 Securißima autem omnium & facillima & longißima est quartana. Hæc siquidem non solùm ipsa per se talis est, sed etiam ab aliis magnis morbis vindicat.

Facilem dixit quartanam, id est, placidam, & quæ

& quæ facilè toleretur. Nam febres continuæ nullam habentes ad iudicationem vsq; molestiarum remißionem: sed & aßiduè grauantes, iure implacidæ & quæ ægrè tolerentur, & dicuntur & sunt: In quartana verò & maximè vbi mediocris fuerit, licet diebus exacerbationum medijs foras prodire, & interdum consueta obire munia. Oportet autem vt veterum consuetudinem cognoscas, vbi eos de febribus differentes audieris. nam si febris vel hepatis, vel lateris, vel alicuius alterius partis inflammationẽ consequatur, pleuritin vel peripneumoniam, vel hepatitin appellant morbum, non febrilem: Febrientem autem citra inflammationem, febre laborare dicunt, & nunc intellige de quibus differit febribus ita dici orationem. Nempe sæpiùs ex liene grauiter febrientes homines quartana vidimus: deinde adfusione hyderica orta obijsse: At quartana ipsa per se absque periculo est, quæ & ab alijs vindicat morbis, placatas siquidem epilepsias ægro ex quartana longa infestato nouimus, cuius generationem iam didicisti & ex commentarijs de febrium differentijs, & de iudicationibus.

In semitertiana appellata fiunt quidem & morbi acuti, & est inter cæteras hic maximè lethalis, sed tabidi, & quicunque aliis longis infestantur morbis, ex hac maximè laborant.

5

Persuadere medicis multis non possum, vt re-

rum ipsarum considerationem ab ea quæ de nominibus & significatis agit, discernant. Nempe cùm Agathinus (vt cæteros prætermittam) librum integrum primum de semitertiana scripserit, quod significatur ex appellatione in ipso peruestigans: quónam quis pacto his veniam non dabit? quanquam facilè erat propriam peculiarémque eorum quæ videntur facere doctrinam continuam, propriam quoque & peculiarem de eorum nominibus, velutì ego nunc sum facturus. Nempe ex febribus quæ tertio quoque exacerbant die, quædam ad integritatem perueniunt, quædam non. Et rursus vtriusque earum differentia eiusmodi existit: Febrium quæ ad integritatem perueniunt, quædam paroxysmum habent duodecim horis circunscriptum, aliæ longiùs extensum: Febrium verò quæ ad integritatem non desinunt, aliæ quidem horrificæ existentes cùm à primo insultu ad incrementum veniunt, quanquam videantur iam mediocriter præuenisse, rursus alterum horrorem cum remißione faciunt: atque ab hac rursus aliud incrementum, deinde ab illo remißionem aliam aliumq; rigorem: nam bis & ter hæ reuertuntur. Secundo die alteram habent acceßionem, sed priore minorem, absque priorum repetitione: estq; illis perpetuus is serie continuata circulus, vt binis diebus binæ fiant (vt dixi) acceßiones. Aliæ prætereà quædam tertio quoque die accedentes

citra

citra horrificos illos insultus & repetitiones, vnam tertio quoque die habent accessionem, nullam secundo die assequutæ, vnum hæ continuum & æquale ab insultu ad vigorem vsque habent incrementum. Hæc tibi sit febrium quæ tertio quoque exacerbant die differentia, quæ assiduè in ægrotantibus apparet. Demonstrauimus autem febrem horridam ex bilioso & pituitoso conflari succo: eam verò quæ absque horrore est, ex bilioso quidem, sed quod ad motum coctionémque attinet contumaciore, ferunt autem eam & principum partium inflammationem: Quæ verò cum rigore aggrediuntur, atque ad integritatem desinunt cum biliosis vomitionibus vel deiectionibus vel sudoribus, earum bilis flaua quæ per totum agitatur corpus, causa est. His itaque se habentibus vt dictum est, causam singulorum vel curationem peruestigare res tum medica tum vtilis existit: quidnam verò vnumquodque dictorum quis rectè vocauerit, quanquam non ampliùs medicinæ proprium existit, cognitu tamen vbi quis alios docere voluerit, necessarium. Nempe eas quæ in ægris fiunt nobis tum affectuum dignotiones tum futurorum prænotiones tum curationes, nihil exacta nominum ratione egere videmus, neque enim ab his vulgus de Medicis existimat. At vbi ex secta vena ægrum melius habere viderit, atque cibum adsumere (nempe & de

ea re potest indicare idiota cùm viderit) deinde non statim à cibo principium accessionis fieri, sed multo pòst tempore: Medicum laudat. Quòd si frigidam dedisse, lauisse, atque à febre ægrum vindicasse Medicum viderit, confestim illum demiratur: veluti & si quippiam ex futuris prædixerit. Ab his itaque Medicus tum exactè tum verè sermone hominum celebratur & bene audit: sophista verò cùm de nominibus & significatis contendit, tempus tum suum tum discipulorum conterit. Quoniam verò non est nobis hoc in loco propositum ipsa artis opera docere (nempe id alibi abundè fecimus) sed breuibus Hippocratis mentem considerare, id quoque ita facere valebimus. Dixit siquidem & anteà: Exercebant plerosque horum pathemata eiusmodi, febres horridæ, continuæ, acutæ, in totum quidem non intermittentes: sed modus erat semitertianus, vno die leuiores, altero grauiùs exacerbantes. Et rursus hoc loco ita inquit: In semitertiana appellata fiunt quidem & morbi acuti, & est inter cæteras maximè lethalis. Quòd lethalis quidem sit semitertiana, apertè dixit Hippocrates: quòd verò nulla ex his quæ ad integritatem veniunt lethalis sit, clarè in aphorismis ostendit, inquiens: Quæcunq; febres non intermittentes tertio die vehementiores fiunt, hæ sunt periculosæ: quocunque verò modo intermiserint, abesse periculum indicant. Quónam itaque modo quis semitertia-
nam

nam inter desinentes ad integritatem dixerit, Hippocratem sequutus? Atqui dicentes siquis horis quatuor & viginti sine febre fiat, medium ipsum habere semitertianum, talem hanc febrem inter intermittentes faciunt. Ita verò & qui medium & paruum à magno differre horarum numero aiunt, ad integritatem deducere vtrunque volentes: ab Hippocratis mente discedunt, inter febres intermittentes constituentes semitertianam, nempe sine periculo hæc erit, quanquam lethalis ab Hippocrate dicatur. Melius itaq; fuerit nominibus (vt dictum est) neglectis singularum febrium tum curationes tum dignotiones tum prænotiones exercere. Quoniam verò tum manifestior tum breuior per nomina euadit doctrina, priùs explicabimus oratione febrium quæ tertio quoque inuadunt die differentias, vt nuper fecit iuxta vnamquanque ipsarum peculiarem appellationem: quomodo facere cõsueuit, dum vbique febrium quæ tertio quoque accedunt die differentias explicat, deinde eam quæ intra duodecim horas cessat, compendiosioris doctrinæ gratia, exquisitam appellabimus tertianam: quæ verò longiorẽ hac habuerit accessionẽ, simul quoq; & minorem remissionem, illam simpliciter tertianam vocabimus: quæ verò longiùs extensa est accessione, & paruo est interuallo, hanc rursum tertianam extensam appellabimus: quæ autem ad integritatem non desinit, & horrificas qui-

dem priore die repetitiones facit, posteriore verò die vnam quæ simplex sit habet accessionem, hanc appellabimus semitertianam: si verò simpliciter tertio quoque inuadat die, φίλαιοφυῦ, id est, propè ad tertianam accedentem. Habes in hac oratione omnia distincta tum inutilia tum vtilia. Debes autem hæc perpetuò meminisse, & promptam horum habere notitiam, ita enim iuniorum Medicorum nugas deprehendes, quas de dictorum nominibus fecerunt, de rebus se disserta-re putantes. At quòd nullam quidem ex his quæ ad integritatem perueniunt semitertianam nunc appellet Hippocrates, est demonstratum: an verò solam illam quam ego propriè vocare consueui repetitiones horrificas facientem, an quoque & eam quæ sine his fit, dignum est consideratione. Nam si tabidis atque aliter diu ægrotantibus febris hæc euenire consueuit, fortassis & si absque horrore fiat, vocabimus eam semitertianam, si secundo superinuadat die. Sed (quod dixi) cùm de nomine existit quæstio, nihil absurdum est si non exactè intelligamus in qua febre semitertianæ vocem indat Hippocrates, nempe ab ipso de febribus artem edocti, ea quibus ad artis opera indigemus, absque illarum nominibus habebimus. Sed forsan conueniens esse videbitur deinde considerare propter quid adiecerit Hippocrates, vocata, & non simpliciter dixerit: In semitertiana fiunt quidem &

acuti

acuti morbi. Videtur autem mihi appellationem tanquam impropriam culpare. nempe his qui diminutè in perfectione habent, dimidij appellationem facimus, inquientes semimortuum, semideum, semiuocale, semiasinum & semiassum, & quæcunque alia huiusmodi. Semitertiana verò non solùm non est dimidia vel symptomatum multitudine vel virtute, & horum tota dispositione, verùm quoque & tertiana longè deterior, vt citiùs esse videatur non illa huius: sed hæc illius dimidia dicenda. Haud itaque scio qua ratione adducti sunt, cur ita potiùs appellarent quàm aliter, qui primùm appellationem sunt contemplati. Fieri siquidem potest vt hanc indiderint appellationem, quòd cùm tertiana febris habeat vt tertio quoque inuadat, & desinat ad integritatem: semitertiana vnum quidem horum habeat, alterum verò non, nam tertio quoque die inuadit, sed vt ad integritatem desinat non habet. Potuerunt præterea & ita appellasse quòd non inuadat cum rigore, atque adhæc quòd non terminetur cum excretione, quòd item secundum diem purum non habet. Possunt quoque & aliud quippiam dicere qui nullius frugis sapientiam exercent, & verè commoda artis prætermittunt.

Nocturna non valde lethalis, longa tamen: diurna longior, nonnullis autem vergit ad tabem. 6

Principio quidem febrium catalogum simpliciter scripsit, sed harum deinceps mores docet. Vbi itaque in catalogo prædixisset: Febrium hæ quidem continuæ: aliæ interdiu tenent, nocte intermittunt: noctem aliæ tenent, die intermittunt, deinde vbi continuas percurrisset qualésnam essent, atq; deinceps illis doctrinam de quartana & semitertiana adiecisset, ad febres die inuadentes & nocte intermittentes, vel nocte inuadentes & die intermittentes peruenit, alteram ex his nocturnam, alteram diurnam appellans, nocturnam quidem quæ nocte inuadat: diurnam verò quæ interdiu. Sed per quæ nocturnam laudare visus est, non minus per ea culpauit, quòd non simpliciter dixerit: nocturna non lethalis, sed adiecerit: non valde. nempe si non valde est lethalis, constat quòd mediocriter lethalis sit. Diurnam autem non solùm longiorem nocturna esse dixit, verùm quoque & ad phthisin interdum vergere, vt & hac ratione deterior existat. nam partim quo tempore tum vaporari tum rarescere magis consueuit, si contrahatur & densetur corpus inuadens iure malignior esse videtur: partim tempus habet prouidentiæ incommodum. Nempe quo tempore dormire oportebat, hoc ægro necesse est vt à medicinali prouidentia fructum capiat, atque ob id tempore marcescunt cōtabescuntq; ob duorum alterum, si quidem interdiu dormiant, diminutè somnum accipientes: si

non

non dormiant, vespertilionis vitam non hominum agentes.

Septimana longa est, non lethalis: nonana adhuc longior, non lethalis.

Neque Hippocratem suspectum habere oportet, videtur siquidem qui hæc vidit scripsisse: neque eum mentiri conuenit, qui sese vidisse dicat. Obseruare itaque nos sedulò conuenit, & experimento quod verum est iudicare: sed vt non ita nobis vt multis accidat, qui forte fortuna quempiam conspicati, qui septimo die febricitasset, secundo & tertio, ab initio suspicati sunt septimo aliquem circuitum esse. Fieri siquidem potest vt casu id euenerit, prætereà & eodem victus genere, nempe quibus ægrorum non exactè desijt morbosus adfectus, sed semen aliquod ipsis permansit, his negligentius cibatis contingit, vt sæpiùs quidem sexto à primo die febricitent, sæpiùs autem septimo, sæpiùs quoque & octauo, sæpenumerò & alio quodam: & placata febre putent se exactè vindicatos, & in omnibus similiter cibati, ex relicto morbi semine totidem diebus in eandem perueniant affectionem, similiterq; febriant. Fieri quoque potest vt sæpiùs id fiat, cùm æquale quidem fuerit quod ex adfectu reliquum est, & ægri similiter cibentur. Is reuerà circuitus est morbi, cùm exactè cibatis ipsis, febris ad eundem præfinitum diem peruenerit, quomodo in quartana fieri videtur.

Tertia

8 Tertiana exquisita celeriter iudicatur, & non lethalis existit.

Dictum paulò antè (vt formula quadam loquar) febrem eam quæ pauci temporis accessionem habet, exquisitam terianam esse: quæ verò huic plurimùm insunt, omnia tum in libris de febrium differentijs tum in commentarijs de iudicatione dicta sunt.

9 Quintana omnium pessima est: nempe & ante tabem, & iam tabidis superueniens interficit.

Tabidi hectica laborant febre nunquam desinente, cuius naturam omnem, vt cæterarum, in libris de febrium differentia didicisti. Iam autem in quibusdam & implexam quandam ex circuitu repentibus vidi aut tertio quoque die repetentibus, aut & quotidie inuadentibus, atq; (vt Hippocrates inquit) ex his quæ quinto quoque repetunt die: de quibus eadem à nobis dicta esse puta, quæ & de septimanis & nonanis paulò antè audiuisti.

10 Sunt autem modi & status & accessiones singularum harum febrium tum continuarum tum intermittentium. Confestim siquidem cõtinua est quibusdam quæ ab initio floret & viget maximè, atque ad grauius deducit: circa verò iudicium & simul cum iudicio attenuatur, aliis molliter incipit, latenterq;: sed diebus singulis in-

crescit

crescit & exacerbat: circa iudicium verò & in iudicio satis elucet, aliis mansuetè incipit, increscit & exacerbat, & vbi quadantenus viguerit, rursus ad iudicium vsque & circa iudicium remittitur. Contingunt autem hæc, fiuntq; omni in febre & omni in morbo.

Τρόπους, id est, modos febrium, interdum quidem ἤθη, id est, mores vocant, interdum verò differentias substantiasq; , sed quod impræsentiarū species singularum quæ prædictæ sunt febrium scripserit, liquet omnibus. Continuam itaque ait nonnullis incipere quidem vehementißimam, sed paulatim attenuari ad iudicium vsq;: Interdum autem moderatè incipere augeriq; paulatim ad iudicium vsq;, in quo ait eam satis elucere. Quæ contrarium inter se iudicium habent. Aliū autem modū ex his tertium esse ait ex ambobus cōpositum, cùm incipit quidē leniter, aucta autem paulatim & perfectam nacta magnitudinem, ad perfectam vsq; solutionem sese remittit. Hos tres modos putant quidam Hippocratem dicere in continuis febribus, quæ in calce orationis scripsit non intelligentes. Contingunt autem hæc fiuntq; omni in febre & omni in morbo, quarum non continuarum solùm, verùm & omnium aliarum febrium tum continuarum tum diuturnarum, prætereà & omnis alterius morbi tum acuti tum longi eosdem modos ait tres esse. Symptomata

ptomata quoque omnia ratione eadem iudicantur. Iam agè de dolore consideremus. Nempe is sæpiùs quidem vehementissimè aggreditur, marcescit autem paulatim vsque ad perfectam solutionem: interdum verò vbi leniter incepit, estq; ad vehementissimum paulatim auctus, celerem habet solutionem. Rursus aliquando post vigorem proportione incrementi tempore declinationem accipit.

11 Ex horum autem consideratione victum offerre oportet.

Præsagum te vult esse motus morborum, vt conuenientem ipsis victus rationem exhibeas, nos siquidem ad futurum morbi vigorem respicientes, rationem victus moliri oportet. In libro autem de victus ratione in morbis acutis, atque in aphorismis quónam pacto prædictos morborum prænoscere oporteat modos, ex his item qui in prognosticon confecti sunt commentarijs, atq; ex iudicationum commentarijs, per capita disces quæ hoc in libro scripsi, in prima huius commentarij scripta oratione.

12 Multa autem & alia tempestiua signa germana his sunt, de quibus partim aliquando scriptum est, partim verò scribetur: ad quod collecta ratione perpendendum considerandumque cuínam horum celeritas sit & mors, vel iam instet, & cuínam offerendum vel non, & quando & quan

& quantum, & quínam cibus erit.

Tametsi multa à quibus prænotiones fieri oportet, prædixerit: ait tamen esse & alia partim iam in prognostico scripta, partim & scribenda.

Quæ diebus paribus exacerbantur, paribus iudicantur: quorum verò accessiones diebus imparibus fiunt, diebus imparibus iudicantur. 13

Iudicia in accessionibus fieri sæpiùs diximus, tanquam vehementer in ipsis moueantur humores, & veluti feruentes erumpant, aut sanguinis profluuio, aut sudoribus, aut vomitionibus, aut deiectionibus, aut hæmorrhoïdibus, vel menstruo in mulieribus: tum quòd eo tempore natura ad excretionem ipsorum excitetur, simul quòd grauata & adflicta ad excernendum proritetur, simul quòd fusis ipsis magis, discretio prauorum humorum expeditior, & iudicatio facilior fiat.

Est autem primus iudicatorius circuituum qui diebus paribus iudicant, quartus, sextus, octauus, decimus, decimusquartus, vigesimusoctauus, trigesimus, quadragesimusoctauus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus. Primus verò iudicatorius circuituum qui diebus imparibus iudicant; tertius, quintus, septimus, nonus, vndecimus, septimusdecimus, primus & vigesimus, vigesimusseptimus, & trigesimusprimus. 14

n

Non propriè hoc loco mihi videtur circuitus appellatione vsus Hippocrates, nam dies ipsos in quibus iudicationes fiunt, omnes deinceps scripsit, & in prognostico circuitus qui per quaterniones fiunt exquisitè percurrit. Quo fit vt hæc iudicatoriorum dierum theoriã expostulare videantur. Primum igitur diem iudicatorium ex paribus ait esse quartum, deinde sextum, mox in pluribus exemplaribus est scriptus octauus, deinceps decimus: in alijs est scriptus decimusquartus post sextum: deinde vigesimus, & post hunc in quibusdam vigesimusquartus, in alijs trigesimusquartus: ab hoc quadragesimus, deinde sexagesimus, deinde octogesimus & centesimus. In morbis verò qui diebus imparibus iudicantur, primum ait circuitum esse, sed satius erat (vt diximus) dicere non primum, sed tertium, deinde quintum, mox septimum, deinde nonum, deinde vndecimũ, posteà decimumseptimum, deinde primum & vigesimum, mox septimum & vigesimum, à quo primum & trigesimum. Ostendimus autem in tractatione de diebus indicatorijs, omnium iudicantium dierũ validißimos esse qui & quaterno & septimano circuitu fiunt: moderatiores verò esse qui intercidunt, de quibus quòd rationabilem habeãt generationem, dicamus. Omnes itaq; impares bene dicti sunt. Inter pares verò non rectè dixerunt vigesimum, octauum & decimum: nullo pacto enim sunt indicatorij.

Scire

Scire autem oportet quòd si extra præscriptos dies aliter fiat iudicatio, futura significatur recidiua, fiātq; morbi lethales. 15

Quòd prædicti dies bene firmiterq; iudicent, iudicatiq; morbi prorsus firmi sint, fiantq; interdum & lethales, in illis commentarijs est demonstratum.

Mentem autem attendere oportet, & scire quæ'nam in his temporibus futuræ sint iudicationes ad salutem vel perniciē, aut quæ'nam vergentiæ ad melius vel deterius. 16

In hac oratione quod ex iudicationis nomine significatur, declarauit: quod breui oratione quis dixerit celerem morbi mutationem. Quòd autem modis quatuor mutatio fiat, clarè ipse dixit, nempè ad salutem, vel mortem, aut in inclinationem ad melius vel peius, insignem scilicet, tacuit autem vocabulum insignem, tanquam in communi iudicationis nomine contineretur.

Errantes autem febres, & quartanæ, & quintanæ, & septimanæ, & nonanæ in quibus circuitibus iudicentur, considerandū. 17

Neque de his in prognostico differit, nempe erraticæ, particulares accessiones sine ordine habent: apparentibus tamen per indicatorios dies signis, iudicatio earum præcognoscitur.

De circuitibus ad integritatẽ desinentibus quales tertianarum & quartanarum à plerisque Medicorum demonstratum est theorema incognitum, quod semper in ægris sumus experti. Non enim primis diebus mentem attendere oportet, neque hos simpliciter deinceps commemorare, sed accessiones, vt de tertiana exquisita in aphorismis dixit: Tertiana exquisita septem circuitibus longissimè iudicatur, nempe vt hæc septem circuitibus iudicatur, eadem ratione alia quidem in nouem circuitibus: alia verò in vndecim, & ita deinceps pro iudicantium dierum numero. Atq; de quartanis eadem est ratio, nempe in prognostico inquit: Quartanarum conditio ex eo est ordine. Ego autem cùm theoriam hanc in Eudemo philosopho prædixissem tribus adfecto quartanis, vnã quidem ex ipsis primùm desinere quæ certis diebus inualeret, & post totidem circuitus: vbi verò hæc placata est, secundam aliam certo die, deinde & tertiam similiter prænunciassem, me hæc dicere ex diuinatione asserebant, & non ex medica speculatione, quanquàm vates nunquàm vidissent Romæ rectè in ægris prædixisse, nempe de his qui alias incolunt vrbes nullum feci periculum. Vt autem cum Deo loquamur, nunquam in illa prædictione sumus fraudati. Et si tu in his quæ de indicationibus dicta sunt te exercueris, tum Hippocrate, tum arte dignus eris. Hæc quidem obiter à me dicta sunt, atque ad præsentem

tem

tem explanationem rursum veniamus. Nempe vt in prognostico de diebus iudicatorijs sermonē exactè distinxit, sic & de ipsis circuitibus, nusquam tamen neque in prognostico solùm, sed neq; in aphorismis quintani meminit, vel septimani, vel nonani. Nempe cùm in prognostico dixisset: Quartanarum conditio ex eo est ordine, atq; in aphorismis: Tertiana exquisita septem circuitibus finitur, poterat & ipse de quintana & septimana & nonana eandem fecisse orationem, ita scripta oratione: Fit autem & quartanarum conditio eodem modo, & quintanarum, & septimanarum, & nonanarum ex eo ordine.

IN PARTICVLAREM ægrorum explanationem, Galeni Præfatio.

ANTE *particularem ægrorum explanationem satiùs esse mihi videtur, tū claritatis, tum breuitatis gratia, vt communem quendam de omnibus his faciam sermonem. Demonstraui, tum in alijs tractationibus, tum in methodo curandi, duplicem esse eorum quæ inuestigantur inuentionem, vnā quidem quæ ratione ad notitiam peruenit, tum vniuersalis, tum communis cuiuslibet particularis speciei: alteram autem quæ per particularia ad commune vniuersaleq; peruenit: atque hæc quidē*

complere vniuersale: opera verò artificum ex indiuiduis fieri speciebus: opus autem esse in his exercitatione ei qui prius vniuersale inuenit: prætereà & ad prædictorum vniuersalem affirmationem vtilia esse particularia. Sunt autem ad discipulorum captum veluti exempla hæc superiorum vniuersalium theorematum. Ob id & ego in omnibus quas feci tractationibus, nõ vniuersalia modò, verùm & particularia percurri, ex libris Hippocratis, & præcipuè epidemiorum orationes adnotãs, in quibus omnia exposui, quæ ab initio ad finem vsque ægris contigerunt. In libris itaque de difficultate spirandi omnes percurri, qui in epidemijs difficulter spirauerunt: in libris de diebus indicatorijs iudicatos, atq; in alijs similiter. Quare neq; prolixiore opus fuerit explicatione illis, qui ad artis opera festinare volunt. At quoniam orationes quædam sint obscuriores, ob illas mihi melius esse visum est tales, quoque commentarios manifestos reddere. Nam si symptomatum omnium quæ in singulis ægris fuisse ait, vel naturam totam, vel causas generationis dixero, tractationes à me factas imprȩsentiarum omnes huc transferre, atque in vnoquoque ægro propè librum vnum scribere cogar. Quòd si eorum quæ in prognostico vniuersaliter scripta sunt, sola exempla nunc indicauero, omnem disciplinam ad tractationes à me scriptas remittens, breuem spero fore orationem.

Phi

Philiscus qui ad murum habitabat, morbo hic decubuit. Primo die febris hominem corripuit acuta, sudauit, noctemque habuit laboris plenam. Secundo omnia exacerbata sunt, vesperi ex clystere bene habuit, nocte quieuit. Tertio die manè & ad meridiem vsque sine febre fuisse visus est: ad occasum verò febris acuta prehendit cum sudore, sitibundus fuit, lingua superaruit, nigrum minxit, nocte implacidus fuit, non dormiuit, prorsus delirauit. Quarto die omnia sunt proritata, vrinæ nigræ, nox quietior, vrinæ melioris coloris, parum à naribus stillauit, idque syncerum, vrinæ variæ, enæorematis rotundis, genituræ similibus, dispersis, non residebant, ex balano pauca exierunt flatuosa, nox laboriosa, somni parui, verba, delirus, extremitates vndequaque frigidæ & non amplius recalescentes, nigra minxit, parum dormiuit, ad diem obmutuit, frigida sudauit, extremitates liuidæ. Die sexto ad meridiem obiit. Spiritus huic perpetuò velut ei qui reuocatur, rarus, magnus, lienis intumuit tumore rotundo, sudores frigidi perpetuò, accessiones diebus paribus.

Iam tertio die in hoc ægro clarè futura erat mors, ei qui meminit vniuersaliũ theorematum:

nempe primo die febri acutæ factæ superuenit sudor qui febrem non soluit, imò & noctem attulit difficilem. Secundus dies omnia proritauit. Tertius nigrarum vrinarum excretionem habuit. Erat itaque quod primo die accidit, continuò prauum, nempe iudicatoria non iudicantia, partim lethalia existunt, partim difficile faciunt iudicium, lethalia quidem; si aliquod ex lethalibus vel symptomatis vel signis fuerit: difficile verò facientia iudicium, si absque his signa cruditatis humorum permaneant. In Philisco autem lethale signum erat, ex eo quòd non solutæ tertio die à sudore febri nigræ vrinæ & sitis accesserint, & lingua inaruerit, & tota nocte inquietus fuerit, vigilaueritq́; & delirauerit: atque cùm hæc ita facta essent, quarto die cuncta proritata fuisse ait, vrinasq́; rursus nigras redditas. Fac itaque memineris, quòd vbi quartus dies in acuto morbo difficilia, tum symptomata, tum signa vt tertius habuerit, iudicationem breui expectare oportet, & quòd si paribus diebus accessiones fuerint, in paribus: si verò imparibus, in illis; vbi autem iudicatio, hîc & mors in perniciosis morbis. Et sanè sexto die periјt Philiscus, quòd accessiones paribus fuissent diebus. Hoc siquidem ostendit ipse Hippocrates in calce totius enarrationis, ita inquiens: Spiritus huic perpetuò velut ei qui reuocatur, rarus, magnus, lienis intumuit tumore rotũdo, sudores frigidi perpetuò, accessiones diebus

parib

paribus. Alius autem quidam æger similibus symptomatis & signis non sexto, sed octauo obijsset, validiore quàm Philiscus esset virtute, symptomatisq; & signis minùs perniciosis, nempe ex eo quòd tertio die & quarto nigras vrinas reddidisset, malignitatis morbi manifestè ostendit magnitudinem. Sudores quoque frigidi & sanguinis stillatio quinto die breui perniciem expectari confirmauerunt, atque adhuc magis quòd stillationi purum adscripsit, sic inquiens: quinto die circa meridiem parum de naribus stillauit, idq; ἄκρητον, id est, purum. Cùm itaque vel deiectionem vel vomitum ἄκρητον dixerit, ἄμικτον, id est, impermixtum ait, deiecta vel vomitu reiecta, vel flaua syncera bile, vel nigra, vel æruginosa. De stilla autem si purum sanguinem intellexerimus, rubrum (nempe is peculiaris huic est color) falsum intelligemus: nunquam enim rubri stilla à naribus in pernicioso apparuit morbo, at semper nigri. Quòd igitur hoc ipsum nigrum purum dicat, volens quod valde tale est intelligere, probabile est. Tertio quidem die iam morbi pernicies clarè videbatur, non tamen quando esset moriturus constabat. Quarto verò die cùm vrinæ nigræ permanerent, fierentq; diebus paribus accessiones, atque tum ætate, tum robore æger restitisset, ad octauum vsque suffecturum ægrũ par erat: si non, sexto die moriturum. Cùm autem quintus dies præter dicta sanguinis puri stillam

haberet, frigidosq; sudores quos per totum morbum adfuisse dixit, iure quis expectasset ægrum non posse accessionem sexto die futuram perferre. Hæc igitur videntur consequentia illis qui vniuersaliter de iudicatorijs diebus, vrinisq; & sudoribus dicta sunt, tum in libris de iudicatorijs diebus, tum in libris de spirandi difficultate, & desipientia. Nempe cùm in prognostico dixerit, spiritus frequens dolorem indicat aut inflammationem supra septum transuersum, magnus autem & ex longis interuallis, desipientiam: dein de nūc & Philiscum desipuisse affirmauerit, nihilq; tota in narratione de spirandi difficultate enunciauerit, iure optimo in calce orationis adiecit: huic spiritus perpetuò velut reuocato rarus, magnus. Constat autem idem esse dicere rarum & per multum tempus & ex longis interuallis: oratio verò, velut reuocato, velut recordanti indicat. Nempe in libris de spirandi difficultate demonstratum est rarum & magnum fieri spiritum ob mentis læsionem, tanquam functiones ægrum lateant, vt nesciat neque quando eas cohibere, neque quando inchoare oporteat.

19 Silenum qui apud Platamonem prope filios Eualcidis habitabat, ex laboribus & potationibus & exercitationibus intempestiuis ignis prehendit. Cœpit autem lumbis dolere, habuitque capitis grauitatem, fuitq

fuitq; colli cōtensio, ab aluo exierunt primo die biliosa mera, spumosa, copiosa, vrinæ nigræ, nigram habentes subsidentiam, sitibūdus fuit, lingua superaruit, nocte nihil dormiuit. Secundo die febris acuta, deiectiones copiosiores, tenuiores, & spumosæ, vrinæ nigræ, nox toleratu difficilis, parum delirauit. Tertio die omnia sunt exacerbata, hypochondrij contensio ex parte vtraque oblonga, ad vmbilicū submollis, deiectiones tenues, subnigræ, vrinæ turbidæ, nigræ, nocte nihil dormiuit, verba multa, risus, cantus, continere nō potuit. Quarto eadem fuerūt. Quinto deiectiones meræ, biliosæ, valde pingues, vrinæ tenues, pellucidæ, paucæ, mente constitit. Sexto circa caput parum sudauit, extremitates frigidæ, liuidæ, multa iactatio, ab aluo nihil exiit, vrinæ suppressæ sunt, febris acuta. Septimo obmutuit, extremitates non amplius recaluerunt, nihil minxit. Octauo frigidus per totum corpus manauit sudor, pustulæ cum sudore rubentes, rotundæ, paruæ, veluti vari, permanebant, non colligebantur: ventris irritationes paruæ, stercora tenuia, veluti cruda, multa cum labore egerebantur, vrinam cum dolore mordacem habuit, extrema parum recalescebant, somni tenues, comatosi, obmutuit,

vrinæ

vrinæ tenues & pellucidæ. Nono die eadẽ fuerunt. Decimo potum non sumebat, comatosus erat, somni tenues, ab aluo similia, minxit confertim subcrassum depositum, hypostasis farinam crasiorem repræsentans, alba, extrema rursus frigida. Vndecimo obiit die. Huic ab initio ad finem vsque spiritus magnus, rarus, hypochondrij palpitatio continua. Aetas circiter vigesimum erat.

In hoc ætatem adiecit, quam in primo non adiecerat. Ille siquidem bona ratione sexto perijt die, perniciosa continenter in acuto morbo habens ab initio, tum signa, tum symptomata: hic autem non secus quàm ille ab initio adfectus, propter tamen virtutis robur ad vndecimum diem est progressus, quod huic inesse par erat, tum aliàs, tum quòd per adiectionem ætatis ostendit; ea in Philisco non adiecta, ex qua non adiecta ostendit quòd pluribus esset annis, ita vt vires parum in eo valerent. Secundus æger ijsdem ab initio, tum signis, tum symptomatis, nisi viribus validis fuisset, septimo perijsset die, & sanè die illo propè obijt, scripsitq; de eo: septimo die obmutuit, extrema non amplius recalescebant nihil minxit. Constat itaque ex his eum ad mortem propè deuenisse, at cùm virtus valida esset, ad sequentem iudicatorium diem vndecimum sufficere potuit, quoniam eum qui tertio vel quarto die in pesimis

fuerat, tum signis, tum symptomatis, septimo die perire oportebat, cùm accessiones diebus imparibus magis fierent, quod declarauit, inquiens: Tertiò exacerbata sunt omnia, atque ab his rursus: Quartò die eadem fuerunt. Cùm igitur septimũ diem præterire, vt dixi, ob virtutis robur potuerit, octauo die pustulas cum sudore habuit rubentes, rotundas, paruas, natura ipsa cum morbo pugnante; atque ad cutim prauorum humorum superfluitatem propellente: atq; ob id nono die haudquaquam obijt, sed vndecimo, quòd si octauo die nihil tale factum fuisset, vt nono die obijsset, consequens erat, cùm septimus qualem dixit fuisset: Quoniam verò æger hic in morbo desipuit, ob id in fine expositionis adiecit, quòd spiritum rarum & magnum per totum morbum haberet: Prætereà & hypochondrij palpitationem tremoremq; continenter illi fuisse ait, quod in prognostico vel turbationem vel desipientiam significare dicebatur. Visa est autem homini fuisse quædam in septo transuerso phlegmone; ob quam tertio die expositionem scripsit: hypochondrij contensio vtrinq; ad vmbilicum oblonga, ὑπολάπαρος, id est, subflaccida & submollis. nã ὑπολάπαρος ὑποκενὸς, id est, subinanis est & absque tumore, qui fit vbi inflammantur hypochondria: cùm verò ex phlegmone septi transuersi ob continuitatem retrahitur hypochondrium, contenditur absq; tumore. Etiam in totius narrationis exordio dixit eum lũbis

laborar

laborare, grauitate capitis adfectum, & colli habere contensionem, quæ & ipsa progrediente ad deterius morbo mentis vacillationem significant; quæ & cum vigilia & sine capitis grauitate si fierent, phreneticus foret. Nunc verò capitis grauitas copiã humorum non admodùm calidorum vel biliosorum (nam planè insomnis esset) contineri in eo ostendens, comatosum fuisse ægrum declarauit. Verùm de his adfectibus in quibus simul & comatosi sunt & desipiũt, latiùs dicetur, cùm primam prorrethici orationẽ explicabimus. Adiecisse autem præsenti orationi hæc oportet, quòd melius sit, quæ à nobis & alibi dicta sunt, quòd vbi quis ex causis manifestis febricitare cœperit, si nullo modo corpus ad morbũ paratũ fuerit, diaria corripitur febre. Et sanè Sileno tale prorsus fuisset, qui ex laßitudine & potibus & exercitationibus intẽpestiuis febricitauerit, nisi corpus ad morbũ paratũ fuisset, quod tibi innotescet his quæ primo statim die secũdoq; apparuerint, tũ symptomatis, tũ signis. Primùm itaque (inquit) corripuit ignis, ita autem febrẽ appellare consueuit quæ vehementißima est: deinde primo die ab aluo biliosa, mera, spumosa, affatim multa huic percurrerunt; deinde serie continuata vrinæ nigræ, nigram habentes subsidentiã, & mox rursum sitibundus erat, lingua arida, nocte nihil dormiuit. Sileno primo statim die non parua, tum symptomatum, tum signorũ multitudo fuit,

vt intelligere manifestè liceret laßitudines, potus & exercitationes intempestiuas morbi causas fuisse. nempe quis propriissimè πϱοφάσεις dixerit manifestas causas. Cùm verò alia quædam aduenerint, quæ hominem ægrotaturum declarauerint, multo sanè tempore progressa, æquum fuit tunc vt potuerit Silenus multo tempore hoc cibatus modo qui dictus est, ex eo sibi morbũ comparasse. Nam siquis laborauerit multa perpessus in actionibus ad laßitudinem vsque, biberitq; liberaliùs, & intempestiuè sese exercitauerit, id est, aut à cibis, aut vbi fuit tardior concoctio priusquam probè in sanguinem transmutatum fuerit alimentum, hic in se partim biliosum quidem ob labores & tolerantias, partim verò tum crudum tum incoctũ ex potu & intẽpestiuis exercitationibus aceruabit: grauißimi autem inter morbos sunt, in quibus insignis amborũ copia aceruatur.

Herophontẽ febris acuta prehendit, ab aluo circa initia pauca tinesmosa, mox tẽnuia, biliosa, subfrequẽtia, somni nõ erãt, vrinæ nigræ, tenues. Quinto die manè surditas, omnia exacerbata sunt, lienis intumuit, hypochõdrii cõtensio, ab aluo pauca nigra percurrerũt, desipuit. Sexto delirauit nocte sudor, refrigeratio, delirus permãsit. Septimo perfrixit, sitibundus, ad noctẽ ad mẽtẽ rediit, dormiuit. Octauo febricitauit lienis ĩminut⁹ est, prorsus resipuit. Doluit

ingui

inguine primum, secundum lienis rectitudinem: deinde dolores in tibiam vtramq; transierunt, nox toleratu facilis, vrinæ melioris coloris, paruamq; habuerunt subsidentiam. Nono sudauit, iudicatus est, intermisit, quinto die rediit, statimque lienis intumuit, febris acuta, surditas iterũ, post recidiuam tertio lienis imminutus est, surditas minor, crura doluerunt, nocte sudauit, die decimoseptimo iudicatus est, neq; in reuersione delirauit.

Hic præter opinionem seruatus est. nam primis diebus iure moriturũ ipsum quis existimasset: nigra siquidem minxit, deiectionibusq; biliosis repressis consequuta est surditas tanquam recurrẽtibus ad caput ipsis, ex quibus iure quidem optimo desipuit. At ex vrinis nigris quæ mala essent, nihil boni quod contra inclinaret, erat, nisi quòd lienis quinto in[illegible]umuerit die, nactus quippiam malitiæ humor[illegible]m, deinde octauo die trãseuntibus ex liene ad crura ipsis, lienis quidẽ imminuebatur: at cùm ad crura deriuarentur, doluit imprimis inguen sinistrum. hoc siquidẽ erat secundum lienis rectitudinem: posteà migrauerunt ad vtramq; tibiam dolores. Ex quibus symptomatis per noctem placidè habuit, minxitq; melioris coloris vrinas cum alba & pauca subsidentia. Deinde sequenti die qui nonus erat, cum sudore est indicatus. Tantum sanè habuit

tum

tum contristantium humorum ad infernas partes migratio, tum vrinarum coctio. At enim neque ita hæc satis esse potuerunt vt perfectè à morbo vindicaretur æger, qui nono die sudauerat. quare pars quædam prauorum humorum ei relicta est, quæ quartodecimo die recidiuam intulit: à qua prorsus decimoseptimo die est iudicatus, seruato in hoc ægrotante per dies iudicatorios iudicio.

In Thaso Philini vxorem quæ filiam pepererat, naturaliter purgatam, & in cæteris leuiter habentem, decimo & quarto post partum die ignis cum rigore prehendit: huic os ventriculi primum dolebat, & dextrum hypochondrium, muliebrium dolores, purgatio desiit, pessi autẽ apposítu hæc quidem leuiora facta sunt: capitis verò, colli, & lumborum dolores perseuerabant, somni non erant, extrema frigida, sitibunda fuit, aluus combusta est, pauca exierunt, vrinæ tenues, decolores circa initia: sexto die noctu valde delirauit, atque iterum resipuit. Septimo sitibunda, deiectiones biliosæ, copiosæ. Octauo superriguit, febris acuta, conuulsiones cum labore, valde delirauit, surrexit, balani appositu multa exierunt cum biliosa circunfluxione, somni non erant. Nono die cõuulsiones. Decimo parũ resipuit. Vndecimo dormiuit, omniũ

meminit, sed cõfestim rursus mente vacillauit, minxit conuulsa cõfertim multum: rarò admonita, crassum, album, vt fit cùm diu positæ resident & returbantur, nõ residebãt: color & crassitudo qualis subiugalium. Talia mingebat, qualia ego vidi. Decimoquarto die dolores per totũ corpus, verba multa, parùm mente cõstitit, & breui rursus delirauit. Die decimoseptimo voce priuata est, vigesimo obiit.

Duo ex hac narratione sunt, quorum vnum quidem cõmune est agris antè & post descriptis, iudicatorij scilicet dies: Alterum autẽ propriũ, nempe retenta mulieri huic post partum purgatione, fuerunt morbus & mors. Obijt autem vigesimo, decimoquarto, & decimoseptimo deterioribus inter cæteros effectis. Verbum autẽ προσδεμένη, *quod diximus appositũ, cum verbo balani, vt res tulerit, scriptum, manifestum habet significatum: sine verò adiectione vel subaudire oportet balanum, vt nonnulli volunt, vel pessum, mitigatorium scilicet & inflãmationis expulsoriũ. Illud verò in mulieribus omnibus quibus à partu suppressa est purgatio, tum scire tum memoria tenere oportet, nonnullas esse quæ in summum mortis venient discrimen, paucasq; esse quæ valde mediocriter affligentur, quia plurimis quidem vterus inflammetur: alijs verò quòd sanguis in ipso partu fluxu vacuatus qualitate differat*

ferat, his quidem biliosus vel melancholicus: alijs verò æruginosus vel pituitosus, aut mediocriter vtilis, inculpatus tamen absolutè nunquam, nempe quod ex eo optimum est, in partus alimentum absumptum est. Ostendunt autem naturam ipsius symptomata quæ ex retentione à partu purgationis facta sunt, vel & nūc in ea de qua hîc agitur, nempe rigor, febris acuta, sitis, biliosa effluxio, desipientia & vigiliæ, biliosi redundantis humoris indicia existunt: conuulsiones verò, & palpitationes & vrina subiugalium vrinis similis, crudi & crassi succi species sunt. Sic pessimi morbi sunt, in quibus vterque dictus humor redundat, quibus semitertianam superuenire ostendimus. Quòd itaque mulier fallaciter ægrotauerit, hæc erat causa. An verò euasura esset, an moritura, hæc tum symptomata tum signa statim inter initia explicare possunt. Attendamus igitur exercitationis gratia, qualísnam primus dies fuerit. Decimoquarto à partu ignis (inquit) hominem prehendit cum rigore. Scimus autem Hippocratem ignem ardentissimam febrem appellare, quod nondum perniciosum prorsus erat: sicut neque καρδιαλγέειν, id est, ore ventriculi dolere: neque item muliebres partes, sicuti neque dextrum hypochondrium. Verùm somni (inquit) non erant. Augetur itaque ex his omnibus dignotio malitia morbi, non tamen quòd

prorſus, ex his morietur, nobis conſtat, veluti neque quòd ſitibunda eſſet, neque quòd vrinæ eſſent tenues & decolores. nempe tales vrinæ vt concoquantur tempore egent, non tamen pernicioſæ prorſus exiſtunt. Extrema autem (inquit) frigida, quod iam ſummè pernicioſum exiſtit, ſi in principio morbi cum febre vehementiſſima fiat. Si itaq; mihi conſtaret quónam eſſet robore mulier, de morbi etiam tempore ex prædictis ſymptomatis dicere poſſem, quanquam præter opinionem, obſcuram quandam ſalutis ſpem haberet. Quod quoniam incertum ſit, virtutis limitationem pernicioſis ſymptomatis in morborum conſideratione vos adijcere oportet, nempe ita certò pronuntiare poteritis: Huic ergo mulieri dolores, qui ſcilicet circiter decimumquartum diem per totum corpus fuerunt, & deſipientiá, futuram mortem denuntiauerunt, vel decimoſeptimo vel vigeſimo ex iudicatoriorum dierum natura. Et ſanè vtrunque accidit. nempe decimoſeptimo illa obmutuit, vigeſimo obijt.

12 Epicratis vxorem quæ apud Archegeten manebat, cùm iam inſtaret partus, rigor vehementer prehendit, non incaluit vt dicebant: ſecundo eadem. Tertio filiam peperit, cæteraque omnia ex ratione euenerunt. Secundo à partu die prehendit febris acuta, oris ventriculi dolor & muliebrium, ſomni non erãt, peſsi appoſitu hæc qui

quidem leuata sunt, sed tum capitis tum colli tum lumborum dolor infestauit. Ex aluo pauca, biliosa, tenuia percurrerunt, & mera. Vrinæ tenues, subnigræ. Sexto à febre die sub noctem mẽte vacillauit. Septimo proritata sunt omnia, vigil fuit, desipuit, sitibunda, deiectiones biliosæ abundantes. Octauo superriguit, plus dormiuit. Nono eadem fuerunt. Decimo crura laboriosè doluerunt. Oris iterum ventriculi dolor, capitis grauitas, non mente vacillauit, dormiuit magis, aluus retenta est, vndecimo sudauit, minxit quæ melioris essent coloris, & quæ multum haberent sedimentum, leuius habuit. Decimoquarto superriguit, febris acuta. Decimoquinto die vomuit biliosa, frigida, subfrequentia, sudauit, à febre libera, sub noctem febris acuta, vrinæ crassæ cum albo sedimento. Decimosexto exacerbata est, nox inquieta, non dormiuit, delirauit. Decimooctauo sitibunda, lingua exusta, non dormiuit, multùm desipuit, crura doluerunt. Circiter vigesimum manè aliquantulum riguit, comatosa fuit, per quietẽ dormiuit, vomuit pauca, biliosa, nigra, sub noctem surditas. Circa vigesimumprimum sinistri lateris per totum grauitas cum dolore, parum tussiuit, vrinæ crassitiem ha-

bentes, turbidæ, subrubræ, quæ depositæ non subsidebant, in cæteris leuiùs habebat, non sine igne: ab initio fauces illi dolebãt, rubescebãt, columella retrahebatur, fluxio acris, mordens: salsa, ad finem vsque permansit. Circa diem vigesimumseptimum sine febre, vrina sedimentum habuit, latus doluit. Die trigesimoquarto ignis prehendit, aluus biliosis perturbata est: Quadragesimo pauca vomuit, biliosa. Iudicata est perfectè, & à febre vindicata die octogesimo.

Mulierem hanc cùm prope partus præfinitum diem esset, riguisse ait absque febre, adiectum est autem dictioni (vt dicebant) ex rei nouitate. Putabant siquidem veteres propè omnes spontaneis rigoribus de necessitate febrem succedere. Spontanei vocantur qui absque externa causa fiunt. In proœmio itaque libri qui bene primus de morbis inscriptus est, quòd rigorem febris necessariò consequatur, scriptum est. Demonstrauimus verò rigorem hunc quem febris non sequitur, frigidorum & crudorum succorum sobolem esse, atque ob id magis nunc quàm olim fuisse, totus siquidem victûs laboriosus vnà cum balneis à cibo talem copiam aceruare consueuit. Visa quoque & Epicratis vxor hanc copiam habere, quare primo die riguisse ipsam ait, neque incaluisse, id est, neque febricitasse, &

rursus

rursus secundò die ita, deinde & tertio die peperisse, et forsan ante exactam diei præfinitionem ob vehementiam rigoris. Secundo à partu die καρδίαν, id est, os ventriculi doluisse illi ait, & muliebria, scilicet vt subaudire oportet membra, veluti & mulieri antedictæ: deinde & προσθεμένῃ, id est, peßi appositu leuatam eam ait, quòd autem ex eo verbo intelligi poßit vel balanus vel pessus, antè est dictum. Deinceps recenset acutorum morborum symptomata, capitis scilicet colliq; & lumborum dolores, & vigilias & deiectiones syncerè biliosas, quo manifestum euadit abundasse succum non crudum solùm, verùm quoque & biliosum. Cùm autem & vrinæ tenues essent, vt morbus produceretur, erat necesse, quoniam verò & has subnigras fuisse ait, id cum certamine & turbationem significat. Et ad vndecimum vsque diem an mulier salua foret, incertum erat, nullo intereà manifesto comparente signo, in quo quis salutem vel mortem sperasset. Vndecimo verò die apparuit signum aliquod salutis; vbi inquit: minxit quæ melioris essent coloris, & quæ multum haberent sedimentum, deinis habuit. Eo die cum tandem humorum coctio cœpisset, necesse erat vt morbus protraheretur, atque ob id decimoquarto quidem ita primùm iudicata est, vt sine periculo iam haberet: diebus verò ad quadragesimum vsque diem intermedijs ægrotabat:

prorsus verò octogesimo die est liberata. Memoria itaque teneri velim id quod experimentum attestatur, quadragesimum & octogesimum iudicatorios esse, mendaciumq; esse nec experimento apparere, quòd iudicatorij dies integris connumerentur septimanis. nempe ita & quadragesimus secundus & sexagesimus tertius & octogesimus quartus iudicia adferrent, non quadragesimus, non sexagesimus, non octogesimus.

23 Cleonactidem qui supra Heraclium habitabat, ignis erraticè prehendit, caput ab initio doluit, latus sinistrum, atq; partium aliarum dolores lassitudinis modo, febres exacerbantes aliàs aliter absque ordine, sudores interdum quidem, interdum non, accessiones plurimùm decretoriis maximè diebus. Circiter vigesimumquartum manuum extremitatibus frixit, vomuit flaua biliosa plura, & paulò pòst æruginosa, omnia leuata sunt. Cœpit trigesimo die sanguis ab vtraque nare erumpere, idque errabundè paulatim ad iudicium vsque, cibum non auersabatur, non sitiebat toto tempore, neque vigil erat, vrinæ tenues, nō decolores. Die quadragesimo subrubra minxit, quæ subsidētiam rubram multam habebant, leuatus est. Post hæc variæ fuerunt vrinæ, atque interdum quidem sedimentum habentes, interdum non. Sexagesimo

ſimo vrinæ ſedimentum habuerunt multum, album & leue, remiſſa ſunt omnia, febres intermiſerunt, vrinæ iterum tenues quidem, ſed boni coloris. Die ſeptuageſimo febris intermiſit dies decem. Octogeſimo riguit, acuta febris prehendit, ſudauit multum, vrinis ſedimentum rubrum fuit, læue, perfectè fuit iudicatus.

Cleonactidem (inquit) ignis corripuit, id eſt, febris vehemens detinuit. Deinde infert, erraticè, quod eſt ſine vllo circuitus ordine: vt verbi gratia, ſi interdum quidem tertio vel quarto febricitaſſet, interdum quinto vel ſexto, ipſum autem conſequuta ſunt ab initio ad finem bona ſigna, cibi appetentia, ſomnus, præterea quòd non ſitiret, nec decolor vrina eſſet. Nempe hæc ita ad verbum ſcripſit Hippocrates: cibum non auerſabatur, non ſitiebat toto tempore, neque vigil erat, ſimul verò quòd neque bilioſus neque calidus eſſet qui redundabat humor, ex his ſignificabatur: nempe ab illo fiunt ægri & ſitibundi & vigiles, magiq; cibos auerſantes ἀπόσιτοι Græcè, id eſt, οὐκ ὀρεκτοί. Si itaque vt vrinæ boni erant coloris per totum morbum, ita & ſubſtantiam habuiſſent mediocrem, protractus morbus non fuiſſet, ſed forſan die quadrageſimo fuiſſet iudicatus: veluti ſi & nubem bonam vtilemq; habuiſſet, citiùs deſiiſſet morbus, nunc verò quia vrinæ per totum morbum tenues erant, multo ad

concoctionem tempore indigebant. Die igitur quadragesimo minxisse ipsum ait subrubra, & quae rubentem subsidentiam haberent multam. Talem vero vrinam in prognostico ait longè diuturniorem quidem esse ea quae album habet sedimentum, sed valde salubrem. At quadragesimo die scripsit varias fuisse ipsi vrinas, interdum quidem sedimentum habentes, interdum verò non, id quod errantibus accessionibus conuenit: illae siquidem ex humorum morbos procreantium varietate proficiscuntur; vrinae quoque incoctio & coctio alternis apparentes, aliquos quidem ipsorum coqui ostendebant; alios verò incoctos permanere. Circiter verò sexagesimum diem sedimentum multum, laeue & album fuisse ait, atque ob id infert: remissa sunt omnia, intermiserunt febres. Verùm quoniam posteà ita scripsit: vrinae iterum tenues quidem, sed boni coloris, relictos quosdam humores incoctos ostendit, quibus paulatim coctis octogesimus dies perfectam attulit iudicationem, de quo ad verbum ita scripsit: Octogesimo riguit, febris acuta prehendit, multum sudauit, vrinis sedimentum rubrum fuit, laeue, perfectè est iudicatus. Memoriae hic rursus mandabis sedimenti speciem formámque quae maximè potest: in vrinis quidem album, sed crassum in his qui obierunt fuisse ait. nam in Sileno, qui secundus in libro hoc scriptus est, ita dixit: minxit affatim multum

subcra

subcrassum, subsidentiæ craßiorem farinam repræsentabant, albæ, quanquam Silenus hic postero die obierit in vndecimo die, qui decimo dictam vrinam excreuisset. Mandabis quoque memoriæ dierum indicatoriorum circuitus. Sexagesimus enim præiudicauit, non sexagesimustertius: deinde octogesimus, non octogesimusquartus, tres siquidem septimanæ non ad diem vigesimumprimum perueniunt, sed in vigesimo circunscribuntur.

Metonem ignis prehendit, lumborum grauitas cum dolore. Secundo die cum aquam bibisset multam, venter bene reddidit. Tertio capitis grauitas, deiectiones tenues, biliosæ, subrubræ. Quarto omnia exacerbata sunt, fluxit bis à dextra nare sanguis paulatim, nox implacida: deiectiones similes his quæ tertio fuerant die, vrinæ subnigræ, quæ pendentia subnigra haberent: & dispersa, non sudauit. Die quinto ex sinistra nare affatim profluxit sanguis & merus, sudauit, iudicatus est. A' iudicio vigil, aliena loquutus, vrinæ tenues, subnigræ; lauacro capitis vsus est, dormiuit, resipuit, in hoc recidiua non fuit, sed sæpius sanguis etiam post iudicium erupit.

Hic æger sermoni huic vniuersali fidem facit: Sanguinis è naribus largæ, & copiosæ eruptio

eruptiones magna ex parte liberant. Videtur autem à sola sanguinis eruptione tum iudicatus tum seruatus, quanquam signa non sine periculo haberet. Quarto igitur die vrinas subnigras ei fuisse ait, deinde infert, quæ pendentia subnigra haberet, & dispersa, non sudauit: atque die quinto quanuis sanguis eruperit, sudaueritq́;, atque ex his fuerit iudicatus, tamen ab his vrinæ (inquit) tenues, & subnigræ, deinde vigilauit, & παρέλεγεν, id est, παρελάλει; id est, præter rationem est loquutus. Maximum autem rei huius te docuit remedium, capitis lauationem; cùm in libro de victus ratione in morbis acutis dixerit, non lauandum esse his caput, quibus è naribus erumpit sanguis, nisi minùs quàm iustum sit, fluxerit: nunc verò iusto minùs fluxerat. nempe vigil permanebat, & præter rationem loquebatur. Prætereà, quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per conferentes locos; rectè vniuersaliter dictum, ab eo quod nunc factum est, fidem accipit. Memoriæ prætereà mandabis quod in tertij diei enarratione est dictum: capitis grauitas, quòd copia in ipsum ascenderit. Memoria quoque tenebis sanguinis eruptionem quarto die, qui indicatorius est, cœpisse: quinto autem perfectè, vbi sanguis eruperat, sudaueratq́;, esse iudicatum. Hæc autem latiùs in libris de indicatorijs diebus tum culta tum exarata habebis. Quod autem in calce totius

tius

tius historiæ ab ipso scriptum est: in hoc recidiua non erat, sed sæpiùs sanguis etiam post iudicium erupit. ob id est dictum, quòd sine vrinarum coctione est indicatus. Constat autem ex hoc libro coctiones celeritatem iudicationis ostendere, & securam salutem: cruda verò & incocta & quæ in malos abscessus conuertuntur, vel acrisias, vel dolores, vel mortem, vel diuturnitatē, vel recidiuas. Verùm cruda quidē erant & incocta, non tamen in malos abscessus cōuersa erāt: abscessus itaque ipse docuit, optimos quidē esse qui per emissionem fiunt: secundo loco, qui longissimè à partibus affectis fiunt, & in partibus corporis inferioribus.

Erasinum qui iuxta Bowtæ torrentem habitabat, ignis à cœna corripuit, nocte turbatus, primus dies quietus, nox laboriosa. Secundo die omnia proritata sunt: noctu vacillauit mente. Tertius dies laboriosus fuit, mente vacillauit. Quartus implacidissimus, nocte nihil dormiuit, insomnia, ratiocinationes: deinde deteriora, magna, & intempestiua, timor, implaciditas. Quinto die manè reductus est, sensit prorsus: ad meridiem verò valde insaniuit, continere nō potuit, extrema frigida, & sublinida, vrinæ incoctæ, circa occasum Solis defunctus est. Huic febres ab initio ad finem vsq; cum sudore, hypochondria sublimia, cōtensio cum dolore, vrinæ autem nigræ,

pende

pendentia rotunda continebāt, non subsidebant, à ventre deiecta sunt stercora, sitis perpetuò non magna, conuulsiones multæ cum sudore, & circa noctem perpetuæ.

Erasino huic διὰ τέλεος, id est, per totum morbum sudor erat sine iudicio, hypochondria prauè habebant, vrinæq; erant nigræ. Quęnam itaq; salutis spes ipsi erat? Quare tametsi quis non sine ratione autumauerit frustrà esse scripta quæ de hoc homine dicuntur, quòd futura in eo omnibus sint perspicua: fortè tamen ægrum hunc celeris interitus exemplum scripsit. Nempe cùm in prognostico prædixisset: Febrium iudicationes eisdem numero diebus fiunt, & ex quibus homines euadunt, & ex quibus moriuntur. deinde simplicissimas ac signis firmatas securissimis quarto die vel antè desinere: deinceps dixit: Malignissimæ verò & quæ cum grauissimis signis fiunt, quarto die vel antè perimunt. Erasinus itaque quanquam grauia omnia haberet, ad diem tamen quintum productus est, quòd primo die mediocriter haberet, scripsit siquidem in eo ad verbum ita: Primus dies quietus. Quintus itaque dies quo defunctus est, quartus est, si primum non connumeraueris.

26

Critoni in Thaso pedis dolor cœpit valenter à digito magno, cumq; obrectus obambularet, die eodem iacuit, horridus, nauseabūdus, parum subcalescens, nocte

desip

desipuit. Secundo die tumor toto pede, & circiter talum, subruber, atque cum contẽ-sione pustulæ nigræ, (φλυκταινίδια Græci vocant) febris acuta, valde insaniuit, ab aluo mera, biliosa, plura exierunt, expirauit secundo ab initio die.

Aeger hic dignus est vt memoria teneatur, propter mortis celeritatem. quod si mortis modus adscriptus fuisset, tunc nos sermo perfectè adiuuisset. Nunc ex his quæ scripsit copia multa fuisse videtur, quam natura à principibus partibus ad crus reijcere cupiuit: cùm autem pars ea superfluum omne excipere nequiret, quod reliquum erat in caput ascendit, quodq; malignum hoc esset, vehementem desipientiam procreauit. Argumentum malignitatis superflui erat, quod pustulæ nigræ super talum fierent. Admiratione igitur dignum quidnam causæ fuerit, cur homini huic non statim incipiente morbo, secta fuerit vena, sed non ignoramus Hippocratem ad plurimos quos scripsit ægrotantes iam morbo progresso accitum esse.

Clazomenium qui prope Phrinichidæ puteum habitabat, ignis prehendit, dolebat autem ab initio caput, collum, & lumbi, confestim surditas, somni non erant, febris acuta prehendit, hypochõdrium intumuit, contensio exigua, lingua arida. Die quarto noctu desipuit. Quinto cũ labore

omn

12

omnia proritata sunt. Circiter verò vndecimum parum sunt remissa, ventris deiectiones ab initio ad decimumquartum vsque erant multæ, tenues, aquei coloris, circa deiectionem placidè habebat, deinde aluus suppressa est, vrinæ per totum morbum tenues quidem, sed boni coloris, multumq; habebant quod pendebat, dispersum, non subsidebant. Decimosexto paulò crassius minxit, paucum erat sedimentum, parum leuatus est, sensit magis. Septimodecimo rursus tenues, secundum vtranque aurem tumor cum dolore somni non erãt, delira loquebatur, crura dolebant. Vigesimo febre liber, iudicatus est, non sudabat, omnino sensit. Vigesimoseptimo coxæ dextræ vehemens dolor subitò desiit, tumores secundum aures non consistebant, neq; suppurabant; dolebat primò & vigesimo, profluxit aluus multis aquosis & dysenteriosis, vrinas reddidit crassas, parotides sedatæ sunt. Circiter quadragesimum dexter oculus doluit, obtusiùs vidit, & sedatus est.

Homo hic & testimonium vel etiam exemplum est non paruum vniuersalium theorematum. Exordiemur autem ab vrinis super quibus vndecimo die scripsit: vrinæ per totum morbum tenues quidem, sed boni coloris, multumq; habebant quod pendebat, dispersum, non subsidebant.

Tanq

Tanquam enim ab initio tales ipsæ fuissent, permansissentq; ad decimumsextum vsque modo simili, ita narrationem fecisse videtur. Decimosexto die mutationem ipsarum indicauit, quòd tūc primùm incidisset, ita inquiens: decimosexto die paulò crassius minxit, paruum erat sedimentū. Constat igitur tenues quidem vrinas, sed boni coloris, ob coloris bonitatem salutem indicare: tenues verò tempore ad cōcoctionem indigere. At eorum quæ contristarent non vna erat species, nempe posteà quàm decimosexto die mutationem vrinarum prædixisset, deinceps ait: die septimo rursus tenues. Eodem autem die ait ipsi abscessus post aures excitatos, qui si cum crassis vrinis fuissent, vigesimo die optimè habuisset, cùm septimusdecimus vigesimi index sit. Eo itaque die planè est indicatus, non tamen iudicatio certa fuit, imò abscessus post aures, neque resederunt, neque ad suppurationem ducti sunt: dolebat prætereà, cœpitq; diarrhœa cū dysenteriosis, id est, ramentosis deiectionibus, quæ acritudinis abeuntiū humorum notæ erant: atque cùm vrinæ vnà cum ipsis crassæ fuissent, abscessus post aures resederunt, quæ cùm ita progrederentur, absoluta morbi mutatio die contigit quadragesimo. In talibus itaque iudicationibus memoria tenebis non vltimum solùm diem qui in circuitu iudicatoriorum dierum fit, sed eum etiam qui in medio est. Iudicationes enim in omnibus ægris, non in his solis.

iudicatorijs diebus videntur esse facta: diebus etiam iudicatorijs abscessus post aures sunt excitati. Septimo nanque decimo parotides extiterūt. Die vigesimoseptimo coxæ dextræ dolor inuasit, natura quidem superfluitatem deorsum expellente, necdum per aluum excretionem facere queunte, quā in sequenti quaternario excitauit. Quòd autem & vigesimo die iudicationem habuerit comminutam, anteà audiuimus: quapropter in ægris iudicatoriorum dierum circuitus ab his quæ euidenter apparent fidem accipiunt.

28 Dromeadæ vxorem quæ filium pepererat, cæteris omnibus ex ratione factis, postridie prehēdit rigor, febris acuta, cœpitq; primo die circa hypochondrium dolere, anxia, horrida, implacida, sequentibus diebus non dormiuit, spiritus rarus, magnus, & statim reuulsus. Secundo à rigore die stercora bene à ventre deiecta, vrinæ crassæ, albæ, turbidæ, quales fiunt ex subsidentiis cùm diu depositæ returbantur, non subsidebant, nocte non dormiuit. Tertiò die circiter meridiem superriguit, febris acuta, vrinæ similes, hypochondrij dolor, anxia, nox implacida, non dormiuit, sudauit per totum corpus sudore frigido, sed citò recaluit. Quarto die dolor quidem hypochondrij parum leuatus est, sed capitis cum dolore grauitas fuit: subsopita est, parum

rum à naribus stillauit, lingua arida, sitibunda, vrinæ paucæ, tenues, oleosæ, parum dormiuit. Quinto die sitibunda, anxia, vrinæ similes, ab aluo nihil, circa meridiem valde delirauit, confestímque parum resipuit, surrexit, sopita est, parua refrigeratio, nocte dormiuit, delirauit. Sexto die manè riguit, intercaluit, sudauit per totum corpus, extrema frigida, delirauit, spiritus magnus, rarus. Paulò pòst conuulsiones à capite cœperunt, celeriter defuncta est.

Hæc primo statim die laborare acutè videbatur. Die secundo ex his quæ dixit symptomatis, prægressis in vrina signis, iure quis morituram breui eam expectasset. Prauæ siquidem admodùm sunt returbatæ, & nullo pacto subsidentes vrinæ: imò die tertio vrinæ & symptomata perseuerauerunt, mortis expectationem stabilientia. Quarto autem cùm stillatio è naribus superuenisset, vrinaq; oleosæ apparerent, ratione optima sexto expirauit die. Fuisse autem & in ea spiritum magnum & rarum dixit, qui delyraturam indicabat.

Homo quidam cùm incalesceret, cœnatus est, bibitque liberaliùs, vomuit omnia, nocte febris acuta, hypochondrij dextri dolor, phlegmone, ex partibus internis subinanis, nox inquieta, vrinæ

ab initio rubræ, craſsitiem habentes, depoſitæ non ſubſidebant, lingua arida, non val de ſitibundus. Quarto die febris acuta, omniū dolores. Quinto minxit læue, oleoſum, multum, febris acuta. Sexto die circiter occaſum valde mente vacillauit, nocte nihil dormiuit. Septimo omnia exacerbata ſunt, vrinæ ſimiles, verba multa, contiñere ſe non potuit, venter proritatus humida & turbida reddidit cum lumbricis, nox laborioſa. Manè riguit, febris acuta, ſudauit multum, ſine febre eſſe viſus eſt, non multum dormiuit, ex ſomno perfrictio, frequens ſcreatus, veſperi multum delirauit, paulò poſt vomuit nigra, pauca, bilioſa. Die nono perfrictio, valde delirauit, non dormiuit. Decimò crura doluerunt, omnia ſunt exacerbata, delirauit. Vndecimo obiit.

Narratio hæc primùm quidem nos docet operæprecium eſſe, vt ſtatim ab initio morbis inuadentibus mentem attendamus, & cibum non temerè & citra obſeruationem exhibeamus, etſi morbi parui videantur. Nunc igitur homo hic intempeſtiuè cœnatus, cùm principio exigua febris eſſe videretur (nempe hoc declarabatur per verbum incaleſceret) læſus eſt, quòd intempeſtiuè cibum ſumpſiſſet: imò & liberalius (inquit) potauit, principium magni morbi eſſe inſcius. Iurè

igit

igitur vomuit quidem hæc, febris verò acuta cum symptomatis non contemnendis erat, imò & intolerabilibus, vrinæq; crassæ & non consistentes. Die quinto videbatur manifestè moriturus, cùm à prædictis symptomatis vrinæ quoque oleosæ excretæ essent: quas & die septimo mixtas ait modo eodem. Obijt autem & hic die iudicatorio vndecimo.

Mulierem quæ in littore habitabat trimestri fœtu grauidam ignis prehendit, statimq; lumbis dolere cœpit. Die tertio colli dolor capitisque secundùm clauiculam & dextram manum, citò lingua obmutuit, dextra manus cum conuulsione paraplectico modo defecta est, prorsus delirauit, nox inquieta, non dormiuit, venter turbatus est, biliosis paucis & meris exeuntibus. Quarto vox linguæ defecit, eadem conuellebantur, dolores omnium permanebant, hypochondrium cum dolore contrahebatur, non dormiuit, prorsus delirauit, venter turbatus est, vrinæ tenues non boni coloris. Quinto die febris acuta, hypochondrij dolor, mente prorsus vacillauit, deiectiones biliosæ, sub noctem sudauit, à febre immunis. Sexto resipuit, ab omnibus est læuata, circiter clauiculam sinistram perseuerabat dolor, sitibunda, vrinæ tenues, non dormiuit. Septimo tremor, aliquantulum

30

ſopita, parum delitauit, dolores clauiculæ & brachij ſiniſtri permanebant, reliqua leuata ſunt, prorſus ſenſit, tres dies abſque febre. Vndecimo reuerſa eſt, riguit, ignis prehendit. Decimoquarto vomuit biliosa, flaua, ſubmulta, ſudauit, à febre immunis, judicata eſt non ſine dolore ex his ipſis pathematis.

Seruata eſt hæc; quanquã vehemẽtes dixerit morbos omnes, atq; etiam periculoſiores, ducorq; admiratione quòd nihil de ipſius ætate ſcripſerit. Atqui meminiſſe eorum quæ dicta ſunt conuenit, vt cognoſcamus raro ſeruari talibus ex morbis prægnantes citra fœtuum corruptionem. Iam illud quoq; meminiſſe conuenit, fœtum trium vel quatuor menſium præ alijs maximè reſiſtere, quod non ignorans Hippocrates ipſe in aphoriſmis inquit: Grauidas purgari ſi materia turget, à quarto menſe ad ſeptimum vſque oportet, minus verò has: minores & ſeniores cauere oportet. Nempe fœtus vincula quibus vtero cohæret imbecilla minoribus ſunt, corpusq; fœtus omne molle exiſtit: Qui verò prope partum ſunt, quòd magni ſunt, ideò multo indigent alimento: quo deſtituti ſæpius in morbis acutis corrumpuntur. Qua efficitur ratione, vt bene cibum laborantibus his inſtituere difficillimum ſit, ſi cum fœtu fuerint: nam ſi parcè nutris vt non grauidas, fœtus tabeſcit: ſi verò fœtum obſeruans, liberalius eas cibas.

in periculum prægnans ipsa adducitur. Ob hæc trimestres & quadrimestres præ alijs magis seruantur. Propositæ igitur in oratione mulieri, cùm vel vrinæ albæ & non boni coloris essent, propter tamen naturæ robur seruari contigit, quæ nocte per sudores febrem placauit. Nec verò fieri poterat, vt certus esset morbus sequentibus diebus ad vndecimum vsque, qui rursum vbi cum rigore rediýsset, vomitu & sudore perfectè iudicatus est. Nempe à quinto ad vndecimum vsque quæ facta sunt symptomata, neruosi erant generis, & non venarum vel arteriarum. In septimo igitur (inquit) tremor, subsopita, parum mente vacillauit. Quæ verò in venis erant, meliùs à quinti diei iudicio coquebantur. In sexto itaque scripsit: vrinæ tenues: adiecto, non boni coloris. Hæc quidem meminisse vtile existit: & quod quinto die infert, certaminis scilicet plena iudicia. Nempe paulò antè ægrum aliũ per sanguinis iudicauit eruptionem, & præsentem mulierem per sudores: quanquam illo die vtrisque morbus incoctus esset, quare neque perfectam fecit iudicationem,

Melidia quæ prope Iunonis sacrum iacebat, dolere cœpit vehementer capite, collo, & pectore, statimque febris acuta prehendit, muliebria parum apparuerunt, dolores omnium horum continui. Sexto comatosa, anxia, horrida, malarum

31

rubor, parum delirauit. Septimo ſudauit, febris intermiſit, dolores perſeuerauerũt, reuerſa eſt, ſomni parui, vrinæ per totum morbum boni quidem coloris erant, ſed tenues: deiectiones bilioſæ, mordentes, valde paucæ, nigræ percurrerunt: vrinis ſubſidentia alba & læuis, ſudauit. Vndecimo perfectè iudicata eſt.

In hac etiam principiò quidem vrinarum formam ſcripſit. Nempe in calce narrationis inquit: vrinæ per totum morbum boni quidem coloris, ſed tenues: exactè ſiquidem tenues, coloris bonitatem ſecundùm naturam habere non poſſunt. Nam vrinæ boni coloris, mediocriter pallidæ ſunt: exactè verò tenues, ſunt albæ. In quantum verò fieri poßit, vt vrinarum tenuitati conueniat coloris bonitas, in tantum audire ipſum oportet dicentem: vrinæ per totum morbum boni quidem coloris erant, ſed tenues. Videtur autem & hæc mulier ob naturæ robur ſeruata.

Finis Commentarij Tertij in Primum Epidemiorum.

GAL

GALENI IN

TERTIUM EPIDE-

MIORUM COMMEN-

TARIUS PRI-

MUS.

***

PYTHION qui prope telluris sacrum habitabat.

Præscriptam per se vbi intellexeris orationem hanc: Pythion qui prope telluris sacrum habitabat, initio altero narrationem eorum quæ ipsi contigerunt lege, satius siquidem est existimare ita scriptam fuisse orationem, quàm statim ab initio figuram solœcam commisisse de industria Hippocratem, cùm nullam aliam huiusmodi in toto libro scripserit figuram, neque cùm ægros neq; cùm pestem exponit. Quidam verò in dandi casu scripserunt: Pythioni qui prope telluris sacrum habitabat, de solœcismo quæstionem vitare volentes.

Cœpit primo die tremor à manibus, febris acuta, delirus.

Primo statim die duo ait fuisse Pythioni cũ acuta febre symptomata, tremorem manuum & leuem quandam desipientiam. Quantitatem siquidem desipientiæ aliàs alijs nominibus osten-

dere consueuit ipse Hippocrates, ληρῆσαι & παραληρῆσαι, & παραφρονῆσαι, & παριεχθῆναι inquiens, id est, nugari, delirare, desipere, mente transferri : vel rursus παρακόψαι & ἐκστῆναι, μανῆναι & ἐκμανῆναι, id est, furore percitũ esse, mente moueri, insanire, & valde insanire. Si igitur delirus fuerit Pythion, mediocriter desipuisse eum constat. Causam autem tremoris imbecillitatem virtutis musculorum esse didicimus: desipientiam verò fieri cerebro oblæso vel propter inflammationem, vel biliosi succi abundantiam, atque acutã febrẽ putredini humorũ succedere. Si itaq; quæ morbum prægressa sunt, veluti in alijs scripsit, ita & in Pythione scripsisset: forsan ex illis demonstratio quædam præparationis ad morbũ nobis fuisset: quia verò nõ adiecit, ex his solis quæ adscripsit, tentabimus & nos eã inuenire, cùm & ex eo quòd nihil de morbum prægressis scripserit, fiat dispositionis corporis ostensio. Nam si vel ex intempestiuis gymnasijs, vel potu, vel venere (vt scribere consueuit) vel ex alio quodã quod à cõsueta victus ratione permutatũ sit, febrire cœpisset Pythion, hoc non tacuisset, cõstat igitur longo tẽpore affectionẽ latenter collectã fuisse. Cùm itaq; tremores causam habeant (vt quispiã dixerit) continentem virtutis imbecillitatẽ, illa autẽ imbecilla fiat aut propria ratione, aut ob grauantem copiam: qui offensam virtutis sequitur tremor, nunquam in morbi principio fit citra validã ægrotationem

tionem, vel famem, vel laßitudines, vel vigilias, vel curas, atq; ad hæc immoderatam venerē, quorū si aliquid fuisset, planè Hippocrates idipsum in scriptura quomodo consueuit memorasset: quia verò nihil tale scripserit, vt vires ob copiam grauari existimemus, rationi est consentaneū. Quia autem & manuum tremores essent, neruis earū ex ceruicali medulla principiū habētibus, quodq; & homo deliraret, id cerebrum etiam ipsum iam prauum quendam succum excipere est argumēto. Oportebat autem & Hippocratem intellecto hominis periculo ad venæ sectionē deuenire, aut primo die si nullus incoctus cibus in ventre contineretur, vel prorsus secundo: atque adhuc magis, quòd à primi diei expositione ipse scripserit.

Secundo die exacerbata sunt omnia. 3

Videtur siquidem augeri morbus non vt paruus, neque ex contemnenda affectione ortus: sed tum magnus, tum causam habens non spernendam. Quoniam verò non in Pythione solùm, verùm quoque & in alijs multis ægris qui sectione venæ indigere videntur, ex nostra de his quæ ipse scripsit coniectura adiecisse eam non reperitur: vt alterum è duobus suspicemur est necesse, vel hominibus illis non esse detractum sanguinem, vel prætermissam esse remedij narrationem. Quòd verò nulli indigentium secta fuerit vena, impersuasibile est, tanto existēte viro illi hoc remedio, vt in germanißimis ostendit libris,

libris, tum aphoriſmis, tum libro de victus ratione in morbis acutis, tum in libro de articulis, atque in ipſo hoc epidemiorum tertio in ægro quodam ita ſcribens: Octauo die cubitum ſecui, multumq́; vt debebat fluxit. Nam cùm octauo die venam illi ſecuerit, multò vtique magis præcedentibus diebus hoc vſum eſſe auxilio conſtat. Quòd autem in ſingulis ægris non ſcripſerit quibus auxilium eſt adhibitum, cùm de eo minoribus mentionem fecerit ad balani etiam adiectionem vſq;, incredibile eſt. Si igitur oratio modo vtroq; abſurda ſit, minùs abſurdum eſt deligendum. Exiſtimo equidem adhibitum eſſe in multis auxiliū: ſed prætermiſſum in narratione tanquam manifeſtum, ad quod me agit maximè quod antè ſcriptum eſt in eos quibus octauo die ſanguis eſt detractus: videtur ſiquidem hoc tanquam rarum ſcripſiſſe, ſed tanquam conſuetum ante diem octauum prætermiſiſſe. Nam ſi in germanis libris magnis fatigantibus morbis venæ ſectione perpetuò vtitur, ſimul cum ea duo hæc ſola reſpiciens, ætatem ſcilicet & ægri vires, atque in his ipſis epidemiorum libris quendam cui octauo die ſanguis miſſus ſit eſſe ait: nihil aliud exiſtimari poteſt, quàm quòd adhibitum quidem auxilium in ægris ſit, ſed prætermiſſum tanquam dilucidum in narratione. De venæ itaque ſectione quòd ſermo ægrorum omnium communis ſit, ſemel dixiſſe ſatis erit, veluti & alijs quibuſcunq; communib

munibus, de proprijs autem singulorum expositio nobis erit, principium à Pythione, vt instituimus, facientibus.

Tertio eadem. Quarto ex ventre pauca, syncera, & biliosa deiecta sunt. Quinto proritata omnia, tremores manebãt, somni tenues, venter constitit. Sexto sputa varia, & subrubra. Septimo os est distortum. Octauo omnia sunt exacerbata, tremoresque rursum permanebant, vrinæ circa principia quidem ad octauum vsque diem tenues, decolores, sublime petens nebulosum habentes. Decimo sudauit, sputa subcocta, subiudicatus est, vrinæ circa subiudicationem subtenues. Quadragesimo à iudicatione die posteà suppuratio facta est, & stranguriosus abscessus.

Cætera quidem dictionis huius, symptomatũ expositionem habent & dictione & intelligẽtia conspicuam, fieri siquidem sæpius consueuerunt acutè ægrotantibus: quorum vires, tũ in prognostico, tum in horũ epidemiorũ primo didicimus: dicta sunt & in secundo non pauca ad ægrorum explicationem vtilia. At cùm quæ sexto contigerunt die exponit, inquiẽs: sputa varia & subrubra: quòd Pythiona, neq; pleuriticũ neq; peripneumonicum adiecerit; peruestigandum nobis reliquit, vtrùm[illegible] aliàs fieri talia sputa poßint

acutè ægrotantibus, an solis peripneumonicis & pleuriticis: videturq; arbitrari etiam aliàs talia fieri confluentibus quidem ad pulmonem prauis succis, sed paucis prorsus, ita vt viscus non inflãmetur, nempe quòd neque peripneumonicus, neq; pleuriticus fuerit, ex eo patet, quòd neque meminerit, neque nominatim perstrinxerit affectiones huiusmodi Hippocrates, imò nec vllum earum inseparabile symptoma, nempe vel doloris lateris, vel difficultatis spirandi mentionem fecisset. Nec verò ab affecto capite visa aliquando sunt talia sputa: cum tussi verò, spirandi difficultate & lateris dolore sputa huiusmodi interdum videntur; Vidi ego & duos sine febre, qui sputa talia reijcerent & colore pallida cum tussi, sed alterum sensim febricula prehendit, productusq; in longum tempus affectus, permanentibus febribus, tabidum ostendit hominem: alterum sine febre cùm talia paucis deinceps diebus eiecta essent, nihil absurdi est consequutum. Primas itaq; thoracis partes, quibus cum vltimis ceruicis vertebris coniungitur, affluentiam non multam excepisse par est, ex qua neque spirandi difficultas excitaretur, quòd nihil quod conspicuũ sit ad functionem respirationis conferat primum intercostale spatium. Cùm verò nerui ob vitium in radicibus neruorum ad manus pertinentium factum degrauarentur, tremulas fecisse manus, verisimile est, ex primo siquidem intercostali spatio

& sup

& superiacentibus vertebris nerui qui manuum musculos mouent, enascuntur. Fidem autem & his faciunt, & quòd tremores vnà cum sputis quæ superuenerant, permanserint, & quòd vbi signum aliquod concoctionis apparuit, non amplius facti sint tremores, morbusq; sublatus sit, iudicio per sudores consequuto: & quanquam vrinæ crudæ essent, sputorum tamen concoctio iudicauit indicationemq; attulit, vt neutrum signum quod iudicare natum est, fefellerit. Nam cùm gemina esset in ægro adfectio, vna quidem febrilis ex venarum succis, altera verò quæ nuper in thorace dicta est: priorem quidem contigit non planè sudoribus placari quòd adhuc incocta esset, remitti verò alteram, quòd in thorace nihil reliqui prorsus mansisset. Scribit itaque hoc pacto: Decimo sudauit sputa subcocta, indicatus est, vrinæ circa indicationem subtenues, quæ in prognostico de tenuibus vrinis, quæ geminæ sunt, scripsit, indicantes. Primæ quidẽ hæ sunt: Quoad fulua tenuisq; vrina fuerit, crudus erit morbus. alteræ verò hæ: Qui tenues & crudas diutiùs mingunt vrinas, atque alia qualia resurgẽtium signa adfuerint, in his abscessum ad inferas septo trãsuerso sedes expectare oportet. Ob id igitur in calce eorũ quæ Pythioni cõtigerunt, ad verbũ ita scripsit. Quadragesimo autem à iudicatione die posteà suppuratio circa sedẽ, & stranguriosus factus est abscessus. Quia verò & tremoris manuũ

& momentanei delirij in primo confestim die meminit, & in cæteris deinceps scripsit: exacerbata sunt omnia, atq; adiecit in septimo: os est distortū: definire oportet, an increscente circa cerebrum malitia, an deorsum migrante os detractum sit. atqui ex sequentibus ad inferas magis migratio facta esse non cōmuni ipsarum ad cerebrum adfectu videtur, forsan quidē detracto homini sanguine, atque ob id insigniter adiuto. Præterea primis diebus ne paruum quidem adhuc sputum apparebat, fatigante latus adfectione, non propter ipsius malignitatem: constat siquidem quamgrauißimas esse & peripneumonias & pleuritidas, quæ prorsus sputū non habent, quo pacto & ipse ostendit Hippocrates. Sed in Pythione non ob morbi grauitatem nihil sputi primis diebus redditum esse est existimandum, sed quòd circa primum intercostale spacium tantùm adfectio esset: quòd si & grauis & in eo tantùm loco esset, neq; quippiam ob id expueretur. Reuulsis itaq; inibi redundantibus venæ sectæ auxilio humoribus, potuit coctionis principium fieri affectioni sexto die in quo sputa commemorauit. Quod autem super decimo die recensendum distuleram, id est: Neq; in his epidemiorum libris quispiam planè decimo die est iudicatus, neque ipse vsquam asseruit decimum diem iudicatorium esse, quomodo vndecimum non rarò asseruit. Habes autem dictiones ipsius omnes aceruatas in commentarijs de die-

bus

bus iudicatorijs, vbi & quadragesimus morbos iudicare ostēditur, non quadragesimussecundus, vt quidam existimauerunt, dierum iudicatoriorum circuitus septimanis integris fieri putantes. Quòd si ob id solùm quis putet morbum non absolutè iudicatum, quòd decimo die sudauerit, nō vndecimo Pythion, non rectè iudicat. nam iudicationis defectus ex eo quòd non coctus sit morbus, necessariò accidit. Multos siquidem & Hippocrates ipse scripsit, & nos contemplati sumus diebus iudicatorijs nō integrè iudicatos ob solam vrinarum cruditatem. Concurrentibus verò vtrisq; & ægri in decimo die imbecillitate & cruditate vrinarum, non debuit forsan homo iudicari, aut non bene & iudicatoriè. Sed fortaßis scriptum vndecimo & non decimo, statim ab initio est vitiatum: quomodo & alia multa vitiata esse videntur, quæ ab his qui primùm hæc scripserunt, neglecta, perpetuò manent. Sed de die decimo hæc sufficiant. Iam verò considerare & non obiter est melius, quódnam enæorema, id est sublime petens nubilosum esse est existimandū. Nēpe in prognostico scriptum est: Nubes quæ in vrina peruehūtur, si albæ, bonæ: si nigræ, malæ. Neq; igitur vrina nubilosa, neq; enæorema in prognostico dictum est, quanquam exactè omnem in eo libro docuerit ex vrinis in acutis morbis prænotionem. Neque verò eorum qui præsentem exposuerunt librum quisquam explanauit quidnam

esse vrinam nubilosam velit Hippocrates: at ego quæ mihi videntur de ea re perquirenti recensere non cunctabor. Nubis nomen ab aëre per metaphoram in vrinis Medici dicere consueuerunt, siue Hippocrates appellationem hanc primus de specie aliqua vel enæorematum vel vrinarum dixerit, siue alius quispiam indiderit. Quo igitur modo in continente nos aëre interdum quidem caliginosus fit status, vbi nigris addensatus fit nubibus: interdum verò syncerus & nubibus vacuus, videnturq; nubes quædam per ipsum disperse, ac tunc aër nubilosus dicitur, quo tempore nubium colorem neque nigrum exactè neque lucidum videmus, sed inter hos medium: sic vrinam & enæorema nubilosum mihi videtur appellare Hippocrates, quod neque album est colore, neque iam nigrum exactè, sed inter hæc medium. Tale igitur enæorema Pythioni factum esse est suspicandum. Nam si album fuisset, imperfectam iudicationem non fecisset, quemadmodùm si nigrum, non probam: quoniam verò inter album & nigrum esset, ob id quidem bona effecta est iudicatio, sed incompleta. Quod verò superfuit, quadragesimo die in geminum transijt abscessum, quem non putant rectum, magisq; neque rectum ipsum putant, quòd stranguriam Pythioni factam esse consensu abscessus in sedem existiment, cùm Hippocrates interdum quidem scribat simpliciter factam stranguriam, interdum

dum verò non simpliciter, sed ipsi adijciat abscessus appellationem, vt in secundo statu primi epidemiorum, cùm ita scribit: Vnum autem ex signis quæ fuerunt tum vtile tum maximum, tum quod à maximis vindicauit periculis: his fuit quibus ad stranguriosum facta est conuersio, atque in id abscessus fierent: appellante siquidem eo abscessus tum eos qui per contristantium humorum emissionem facti sunt, tum eos qui per repositionem, & meritò. Vt autem in alijs ad dysenteriam, ita & nunc ad stranguriam abscessus fuisse dixit, cùm mali humores qui in venis continebantur, per vtranque expurgarentur emissionem; quod sanè in statu ipso secundo paulò ante dictionem quam nuper in medium attuli, scripsit hoc pacto: & cum strangurія, non nephritici, sed his alia pro alijs, id est, pro malis venarum succis, febribusq;, consequentibus purgationes fiebant, prauis humoribus per vesicam excretis, veluti interdum per intestina. Morsus igitur ab acribus excrementis profectus, stranguriam pariebat. Vesica siquidem (vt est demonstratum) in stranguryjs ad excretionem vrinæ proritatur, priusquam insigniter ab ipsa repleatur, geminam ob causam, vel quòd ipsius iamiam mordentis non ferat qualitatem, vel quòd propter imbecillitatem grauetur, priusquam aceruetur, etiamsi pauca prorsus fuerit. Talem igitur quendam Pythioni iam factum

abscessum ait, nec scripsit simpliciter ita quòd strangurиosus factus sit, sed quòd abscessum haberet adiecit. Verùm talia plerique interpretes (nam è duobus alterum) vel prætereunt vel perperàm exponunt, protrahuntq; non necessariò, de quibus semel hoc in loco disserere proposui. Ego equidem satius esse ducebam, longo à me quæsita tempore, & cum iudicij securitate inuenta sola scribere citra omnem eorum qui perperàm exposuerunt reprehensionem: sed quoniam nonnulli prorsus rudes atq; ab omni disciplina alieni vbi in quorundam scriptorum peregrinas expositiones inciderunt, solo hoc peregrino capti eas extollunt, ob id satius esse putaui semel de his qui ita exponunt agere, cùm etiam & ipse Hippocrates dixerit: Peregrinum nondum intelligentes, magis laudant quàm consuetum, quod iam nouerũt quia vtile, atq; alienũ magis quàm apertum. Quocirca præmoniti qui commentarios legunt, vt vitiosos expositionũ modos cognoscere queant, prolixiùs hoc loco de his omnibus scribere institui. Nemo verò sermonis prolixitatem vitio vertat, ad vitiosarum expositionum dignotionem adiutorem perpetuò ipsum habiturus. Vitiosarum itaque expositionum genus vnum est quod in præsenti ægro quidam fecerunt, è quibus dictionem vnius adscribam nominibus ipsis, ne quis me hominem falsò incusare existimet. Terræ ve- «
rò sacrum fortasse ad demonstrationem causæ ob «
quam

» *quam manuum tremor factus, morbusq; ipsi in-*
» *ciderit, positum est, veluti mulieri ob mensium*
» *suppreßionẽ, quòd, vt par est, pars ea otiata esset.*
In sexto iterũ narrat: profectò peregrè viro otia-
tam parte mulierem, collectis in os menstruis,
barbam aluisse. quod quid aliud existit, quàm
fœminam in virum mutatam? Pythion itaque
dum sese à coïtu continet, ob eam quam circa sa-
crum curam habebat, morbum incurrit. Hæc
quidem vnius interpretum est oratio, qui sese ex
eo obruit, quòd sæpiùs quidem Hippocrates do-
micilia nominatim perstringat, non omnium ve-
rò horum sed paucißimorum prorsus enarratio-
nem scribat. Nam si non otiosè ægrorum domici-
lia conscripta sint, sed aliquid quod arti commo-
detur commonstrent, non rectè fecit qui in pau-
cis vim eorũ explanauit, in cæteris verò vel mul-
tis prætermisit, vt statim in primo ægro quem in
primo epidemiorum scripsit: Philiscus siquidem
(inquit) prope mœnia habitabat, deinde rursus:
Epicratis vxor quæ apud Archegetem accuba-
bat. Erasinus item qui iuxta Bowtæ torrentem
habitabat. Deinceps Clazomenium qui iuxta
Phrinichidæ puteum iacebat. Mox de muliere
quadam: Dromeadæ (inquit) vxorem quæ fi-
liam pepererat. Deinde de alia rursus muliere
quæ in littore iacebat. Atque in hoc ipso epi-
demiorum tertio plerosque alios reperias scri-
ptos ægros cum domicilijs in quibus habitabant,

quæ nullo exponunt pacto. Cherion (inquit) qui habitabat iuxta Demenetum. Ab hoc deinceps: Furyanactis filiam virginem ignis prehendit. Deinde Cynanchica apud Tabionem. Post hanc rursus: Adolescentulus qui in foro mendacium habitabat. Sed quid multa adscribere oportet, cùm totus ferè liber scriptura eiusmodi refertus sit? Sed ad propositum reuertendum. Nempe cùm multi ita sint ægri, domicilia omnium explicare oportebat aut nullum. Sed quidam eorum qui libros interpretantur vsqueadeò auditores contempserunt, vt ego aliquando in Alexandria explanationem huiusmodi audierim cuiusdam ægri in primo epidemiorum descripti in ea dictione cuius initium est: Silenus qui in Platamone habitabat. nempe in his quæ huic contigerunt, cùm talem quandam dictionem scripsisset Hippocrates: nocte haudquaquam dormiuit, verba multa: his acclamauit interpres, nempe σεληνιὸς, id est, lunaticus erat. Discipuli verò exilierunt, clamaueruntq; superadmirabundi. Quidam verò interpretes vsqueadeò superfluè morosi sunt, vt quærant an in Platamone Silenus habitaret, alij quidem in Platamone per m, alij verò in Platanone per n. Pari modo quærunt huiusmodi expositores, vbi Hippocrates dixit: habitabat in theatro, ánne satius sit scribere theetrum vel theatrum. At hos quidem qui in talibus tempus conterunt, vituperant: alios

verò

verò qui per ea quæ in prorrhetico & Cŏïcis prænotionibus scripta sunt, exponunt quæ in ægris horum librorum euenerunt, plerique admirantur. Vitium verò in plurimis eorum quæ in prorrhetico scribuntur, per illos qui in librum illum confecti sunt commentarios demonstrauimus. Videtur siquidem libri autor ex vno vel duobus particulatim ab ipso visis conficere vniuersales enuntiationes. nempe & concursiones multas ex diuersi generis signis aceruatas scribere eum ostendimus, tantamq́; esse in ea doctrina multitudinem, vt connumerari non possit. Præter hæc quoque est declaratum à nobis in eorum expositione quæ autor prorrhetici scripsit, doctrinam reperiri meliorem non posse ea quæ ab Hippocrate facta sit, docente scilicet seorsum singulorum signorum vires, neque aliter fieri posse, vt concurrentibus multis quippiam cognoscatur. Qui ergo librum vtrunque legerunt, & prognosticum & prorrheticum, ijs clara esse quæ nunc dicta sunt omnia, nō ignoro. Quòd si & nostros in libros eiusmodi commentarios legerint, poterunt & absque his quæ nunc dicta sunt, prauitatem ex me talis interpretationis cognoscere. Verùm eos qui non legerunt, priùs ad illos accedere velim, deinde huc reuersos tum intelligere tum sententiam de his quæ à me dicta sunt ferre. Accepto siquidem nuper quodam ex commentarijs, quem Lycus

Macedo in præsentem librum confecerat, reperi in Pythionis enarratione dictiones tres ex prorrhetico scriptas. Is in prima quidem ita ad verbum dicebat: Tremulæ, obscuræ, blandæq; & contrectabiles desipientiæ, valde phreniticæ, vt & Didymarcho contigit in Cõ. In secunda hoc pacto: Tremores ex sudore effecti redire consueuerunt. In tertia verò ad verbum ita scriptum erat: Vrinæ in turbulentis vigilibusq; decolores cum nigris enæorematis delirium nunciant. Dictiones hæ ex prorrhetico à Lyco sunt adscriptæ, tanquam Quintus in expositione huius Pythionis ita dixisset. Mihi verò qui perperàm scripta redarguere conatus sim, quanquam superioribus commentarijs ab ea re temperauerim, talium expositionum prauitatem declarare satius esse arbitror. Primùm itaque prorrhetici dictio non quadrat his quæ in Pythione dicuntur: neque enim phrenitidem cum silentio incurrit, neque valde phreniticus fuit. Ostendimus autem in expositione prorrhetici quænam sint cùm silentio desipientiæ, & quam ob causam valde phreniticas esse dixerit: quorum neutrum in Pythione fuit. neque enim absque silentio delirauit, neque modica correptus phrenitide. Secunda dictio qua dicebatur: Tremores ex sudoribus facti redire cõsueuerunt, contrarium his quæ Pythioni contigerunt ostendit: non enim posteà fuerunt, sed ex principio quidem simul inuaserunt. posteà verò

decimo

decimo die sudauit, vt non ex sudoribus tremores facti videantur, sed ex tremoribus sudores. Dictio reliqua tertia qua dictum est: In turbulentis vigilibusq; vrinæ decolores cum nigris enæorematis delirium indicant: conuenienter à Lyco accepta fuisset, si Pythion quidem primum vigilasset non sine turbatione, vrinamq; excreuisset cum nigro enæoremate, deinde posteà desipuisset. Verùm quoniam neque minxit talia (nubilosum siquidem enæorema à nigro, magno distat interuallo) neque ex vigilijs turbulentis phreniticus factus est, sed confestim à primo die delirauit: perperàm est adducta. quid enim prohibebat quominùs enæorema nigrum ipse diceret? deinde vigilantiam quidem primo vel secundo die, post hæc verò primo rursus die, deinde desipientiam? Præterea Lycus ipse cùm exponit vocem ἐπινέφελον, id est, nubilosum, quòd ab ea nigrum significaretur, non est ausus pronuntiare. Superuacaneè itaque hæc adiecit (si superuacaneè adiecta, non solùm ad propositum inutilia, verùm quoquè & falsa dicere oporteat) contemplaríque quæ ab Hippocrate præcipuè admodùm dicta sunt, neglexit: quænam scilicet tremorum affectio sit, quæcunque sedes ex manuum tremore adfecta sit, aut vnde varia sputa, & plurima hæc consequentia, quæ ego percurri. Nihil siquidem horum prorsus contemplatus, tanquam peruestigandum quod

prorſus perueſtigandum non ſit, ſibi ipſi obijcit ad verbum ita: Septimo die os diſtortum eſt. videtur hiſtoria ipſa pugnare, cum eo quod ita in aphoriſmis eſt enunciatum: In febre non inter- « mittente ſi labrum aut naſus, aut oculus, aut « ſupercilium peruertitur, vel non videat vel non « audiat, iam infirmo corpore quicquid horum fue- « rit, prope eſt mors. Hæc eſt Lyci dictio qui ſibi obijcit veluti quæſtionem, quod penitus ambiguitate caret. nempe in aphoriſmis dixit: Infirmo iam corpore. Pythioni verò non infirmo os eſt diſtortum. Præterea ſoluens Lycus quod ipſe obiecerat, nihil aliud ad ſolutionem dixit, quàm quod nunc eſt dictum. Quod itaque clarum erat, id tanquam dubium obiecit: Ex cæteris verò nihil quod ad artem vtile eſſet, quæſiuit, neq; quiſnam adfectus Pythioni eſſet, ob quem oborta eſſent præſcripta ſymptomata: quis item locus aut quinam eſſent adfecti. Imò neque quod de venæ ſectione prætermiſſum erat indicauit. Humorum temperamentorumq; non ſolùm nunc non meminit, vel cœli ſtatus, ſed neque in vlla alia ægrorum expoſitione, quæ maximè debuit conſiderare qui librum Hippocratis exponit: non ſecus quàm ſi Aſclepiadem exponeret, poros & tumores, & incompacta elementa, & ad tenuitatem lationem dicere ipſum oportebat. nempe ad hæc principia ille reducit omnia. Calidum verò, frigidum, humidum, & ſiccum

cauſas

causas statuit Hippocrates, quomodo aërem in animantium corporibus. Sic & humores quatuor temperamento inter se distantes causas ait & sanitatis & morborum: sanitatis quidem, cùm moderatè intèr se habuerint: morborum verò, cùm vel exuperauerint, vel defecerint, vel ex peculiari loco in alienum transierint. Ad hæc item principia qui Lyco Quintoq; superiores librum Hippocratis aliquem explicauerunt, empirici prorsus reducere tentant, quomodo in actibus dramaticis quidam solam indutæ personæ simulationem seruant. Nempe vt qui Erasistratum exponit, rectè abstinet vt de humoribus vel temperamentis dicat, ita qui dicere aliquid in Hippocraticum librum aggreditur, rectè facit, si ad vocem illius scopum explicationis dirigit. Sed forsan Lyco tanquam notho Hippocratis sectæ æmulo indulgere in his quibus delinquere videtur, est melius: nisi quis hoc ipso incuset, quòd cùm enarrationes scribere non possit, dramaticum agat. nempe id huic simile est, si comœdiam aggrederis, & agere nequeas. Si verò ad eos qui se Hippocraticos nominant, quis accesserit, non iure optimo ipsis veniam dederit, vbi nothorum peregrinorúmque sectæ Hippocraticæ æmulorum instar aberrauerint. Cùm verò horum errores non solùm ab Hippocratis mente, sed etiam ab ipsa rerum veritate abscesserint, dupliciter eos, quis

incusauerit. Optimum siquidem est, si vtrunque hunc scopum habuerit consentaneus expositor, vt scriptori consentanea dicat, & vera: Qui alterum tantùm seruat, ex eo est culpandus, quòd dimidium totius labefactauit. Expositor verò qui neque vera neque autori consentanea loquitur, summè peccare est existimandus. Sabinus igitur, atque eius auditor Metrodorus quanquam diligentiores superioribus Hippocraticis esse visi sint, tamen & Hippocratem ipsi sæpiùs perperàm explanare videntur. Atque statim in præsenti ægro ita ad verbum inquiunt: vt enim conuulsio tum à vacuatione tum repletione fit, ita & tremor, qui parua est conuulsio, à contrariis absoluitur. De causa igitur qua eiusmodi fiant symptomata, dogmaticorum virorum, non empiricorum disserere est: vt tamen cognoscant ea, atq; alterum ab altero discernant, empiricis est necesse. Videtur autem primùm in ea re Sabinus circumuentus, quòd tremorem, paruam esse conuulsionem dixerit. nempe vt functionum offensas vel pathe vel symptomata appelles, toto genere refert. Non enim affectiones quadàm in solidis animalis particulis existunt, vt œdema, phlegmone & scirrhus: sed vt functiones suam essentiam in eo quòd fiunt adsumunt, non autem quòd stabiliter & constanter sint: sic & earum pathemata. Nempe cùm motus omnis in eo quod fit suum esse assequatur, sitq; in animanti-

bus

bus voluntarius quidam motus, veluti non voluntarius & naturalis: voluntarij offensæ in agitationibus musculorum fiunt, à quibus & naturales perfici non ignoramus. Sed quod in eis secundum naturam est, vnum & simplex existit: quod verò præter naturam est, in primis quidem duabus est differentijs, aut præter propositum aut cum proposito. Est quidem non secundum naturam: sed si ex impetu dicas vel ex voluntate, quantum ad præsens attinet, nihil interest. Ex motionibus autem quæ citra arbitrium fiunt, in his instrumentis quæ ex voluntate moueri nata sunt, alia quidem conuulsio appellatur, alia palpitatio, alia rigor, inuicem differentes. Sed de his in vniuersum vno integro est dictum volumine. Motionis verò secundum arbitrium & non secundum naturam, vna est species quæ tremor vocatur: de quo impræsentiarum quoniam & de alijs huius gratiâ dictum est quippiam, de necessitate est differendum. Fit igitur tremor non solùm ex laborantibus tum musculis tum neruis: verùm quoque & valentibus, vbi supra vires quis graue aliquid aggreditur, vel manibus portans vel humeris gestans. Cernuntur itaque adolescentes quidam validissimi, dum prægraue quippiam gestant, cruribus obtremiscere, & præsertim vbi scalas ascendere tentauerint: quod illis ex grauissimo pondere, senibus verò atque aliter imbecillis ex

minore

minore accidit nempe & hoc imbecillis graue existit. Sunt & quidam animi adfectus qui tremorem pariunt. Nam, vt in libro de humoribus est narratum, transeunti per præceps aliquod crura obtremiscunt, quòd timor vires dissoluat: veluti si et quispiam alius metu correptus sit, vel aggredientem bestiam contemplatus, vel lationes, vel hostes. Iure igitur optimo in commentarijs de tremore, conuulsione & rigore tremorem ex virium infirmitate perpetuò fieri demonstrauimus. At quoniam interdum quidem virtus ipsa per se imbecilla sit, interdum ob animi adfectum, atq; etiam quòd nullo modo sua propria ratione adfecta ex graui pondere hoc patiatur, tres causarum ipsius asseruimus esse differentias, instrumentorum scilicet arbitrio deputatorum intemperiem, pathos animæ, & graue onus. Si igitur neque metuenti neque graue onus gestanti tremor fiat, è duobus alterum existit: nempe est vel instrumentorum intemperies, vel graue quippiam in corpore fatigans circa musculos aut neruos. Sed quidam sermoni subest error, de quo in commentarijs de tremore, conuulsione. palpitatione & rigore diximus. nempe quidam videntur & manibus & capite tremere, membra agitare non proponentes, atque ob id falsò dictum esse videtur, quòd proponentibus agere quippiam eueniat. Verùm vbi intellèxeris reclinato ceruicali collo tremorem capitis desistere, manúsque illuc delatas

latas non amplius tremere, credes non temere dici quibus quiduis otiatur, prorsus huic tremorem non fieri: si verò sustulerint, vel sublatum ipsum seruauerint, tunc fieri symptoma. Tanta siquidem musculorum requie indigent qui ita agunt, vt exaduersùm inter se positos musculos vnà moueant: Vt in manu & qui sustollunt, & qui partem relaxant, eam tum extendunt tum flectunt, fortioriq; est opus virtute his qui manum in angulum ductam sublimem seruant, quàm qui extendunt, vel flectunt. Nempe qui extendunt, vno musculorum genere ad id rei deputato operantur, tunc otiantibus qui eam flectunt: qui verò flectunt, operantur quidem his qui flectere possunt: otiantibus qui extendere valent. Si quis verò sublatam in angulum & sublimem habuerit manum, neque extendens neque flectens, vtrisque æqualiter musculis operatur, vt in appellatis tetanis. Non minore igitur est opus robore his, qui in eiusmodi figura vel crus, vel collum, vel manum seruant citra vllam solidi corporis fulturam membrum tum vehentis tum portantis. At cùm mouens virtus grauitate vectarum partium longè superior fuerit, facilè quidem attollit, facilè quoque & sublatas seruat: cùm verò inferior multò fuerit, veluti in resolutis, nullo pacto attollere potest: quòd si æquè polleat, vicissim sigillatímque vincitur, vincens siquidem, in tali figura seruat

consti

constitutam manum: victa verò, deorsum elabi sinit. Intellige autem fieri id perpetuò, ita vt vincens hæc membrum sustollat: victa statim ab eorum grauitate quæ sursum toluntur, permittat ferri deorsum: vincens verò rursus & illa simul, virtutem eorũ vendicans, rursum attollere aggrediatur. Deinde cùm vicißitudo hæc breuissima fiat inclinatione, vt quod infrà est, suprà confestim retrahatur: quod membrum attollit, statim exaduersùm deorsum ducatur: neque exactè tum inconcussum tum stabile permanensq; seruetur membrum: sed neque motus habeat in vtranque partem effatu dignos, vtpote qui breuibus tum temporum tum locorum interuallis seruentur. Tremor sanè talis quædam existit motio; vt paucis complectar quæ latiùs in antedicto libro narrata sunt. Quæ verò in morboso rigore partium fit concußio, absq; arbitratu perficitur, atq; magnis contrariarum motionũ sibi inuicem succedentium interuallis cum sensu frigoris. Simile quodammodo huic pathemati existit aliud tum musculorum tum neruorum, quod conuulsio appellatur, simili quidem per totum atque per organa ipsa existente in ipsis motione, quæ & in eo quòd ex arbitratu ipsa mouentur, fit: sed hoc solo differt, quòd dum conuelluntur, non ex arbitratu mouentur. De palpitatione hoc in loco disserere superuacaneum puto, ne & de pulsu dicere cogar, qui communitatem quandam

cum

cum palpitatione habere videtur. Iam enim satis de tremore protracta est mihi præter arbitratum in explanatorio libro oratio. Qui verò exactè volet dictorum omnium symptomatum perdiscere, tum dignotionem tum generationem, is librum potest legere, in quo de omnibus his perfectè disserui: quando & de gutture, & tußi, & sternutamento, & aliis quibusdam talibus agitationibus à me quidem in symptomatum causis est definitum, cùm & dignotiones, & differentias motuũ, atque earum causas à quibus proficiscuntur, percurrerem. Sabinus autem in talibus omnibus plus vel minus aliquid neglexit: quapropter & modo altero, tum Quintum, tum Lycum tanquã eo prudentiores probare oportet, quòd neque de talibus quippiam referre sunt aggreßi, sed tanquã experimentarias explanationes fecerint: tametsi ex empiricis quidam (vt dixi) velut in dramate indutam agant personam, Hippocraticum quidē exponentes librum vt Hippocratici, sed Erasistrati, Herophiliq; & Asclepiadæ, atque aliorum ab illis cuiusq; sectæ existentes. Quod itaq; semper dico vbi nunc dixero, ad aliud pergam. Nam singulorum quæ Medicum scire oportet, vbi doctrinam seorsum feceris, ita ad librorum Hippocratis explanationes accedes. conclusiones quidem in horum singulis demonstrandas recordatus: sed demonstrationes ipsas non commemorans, id quod nos quidem fecimus, sed nemo ex

his qui Hippocratis libros enarrauerunt alius, cæterùm lapsi sunt omnes. Alia siquidem quæ res ipsas docet, est institutio, non compendiosa: sed exspatianti exactè constans oratione: ab ea verò differt quæ in exponendis libris consistit: neque idem habet vtraque propositum. nam eius quæ longa lataq; constat oratione, scopus est veritatis inuentio: in enarrationibus verò senis opinio cognoscenda. Qui ergo singula exactè perdidicerit, vt posteà ad librorum veterum expositiones deueniat, oportet: habeatq; hoc primùm, vt mentem senis inueniat: secundò, an rectè, an non rectè dicta sint quæ sunt scripta, idq; faciat, demonstrata in tractationibus de singulis Medicis theorematis in memoria habens. Qui autem ex interpretibus demonstrationem per ea quæ dicunt inferre non possunt, loquacitate hi auditores obtundunt, & à scriptoris opinione recedunt, suis dictis fidem adhiberi volentes: atque ob id à dictionibus ad dictiones transeunt, nihil sanè eas ad propositum conferentes. Quòd autem fieri non poßit, vt scientificorum sermonum demonstrationes in enarrationibus conscribantur, ex his quoque quæ dicta nunc sunt, liquidò constat. Nempe cùm Hippocrates non in Pythione modò, verùm quoque & ægris multis dictorum symptomatum meminit, si in omnibus quidem quis citra demonstrationem quæ videntur enuntiauerit,

rit, nullam quæ scientiam pariat doctrinam animis discipulorum infundet: si verò in ægris quibusdam demonstrationes tradiderit, in alijs verò conticuerit, in primo quidem epidemiorum si ita contigerit, eas omnes dixerit: in cæteris verò ad illas remiserit, quod à nobis dictũ est efficiet. Nempe in libro vno sermonem cum demonstrationibus absolutißimum faciet, in alijs verò conclusa scribet. Nam in primum epidemiorum vbi quis eum exponat, primùm de necessitate quinquaginta commentarij erunt scribendi, duo autem vel vnus in singulos alios. Quapropter si quis vel prognosticũ vel aphorismos legere voluerit, vt priùs quinquaginta libros illos primum epidemiorum librum exponẽtes legat, est illi necesse. Pari modo si ab alio quodam scribere commentarios cœperit. in illum quidem scribet quinquaginta: qui verò librum alium legere volet, legisse priùs quinquaginta illos libros necesse erit. Atqui problematum vnumquodque vel theorematum, vel quouis modo quis appellare voluerit, seorsum scriptum habere satius est, atq; ad illud reuerti, cùm quis de scriptis in eo scientiariè doceri voluerit. Ob id sanè & nos vt de tremore, conuulsione, palpitatione & rigore, ita de alijs omnibus seorsum commentati; conclusionibus demonstratorum in explanationibus vsi sumus. Sabinus verò qui neque demonstrauit quónam pacto quatuor hæ affectiones differant, tremor, palpitatio,

conuulsio, & rigor: neque hic rationem vllam etsi non compertò veram demonstratiuamq; sed probabilem dixit, principiò quidem asseruit tremorē paruam esse conuulsionem: pòst paulò autem procedens, speciem conuulsionis tremorem esse dixit. Verùm vt celeriùs ab his quæ præter mentem sunt desistamus reprehensionibus, aduersus prauos interpretes conquesti, statuamus tremorem conuulsionem esse, aut conuulsionis speciem, discamusq; ab eo quónam modo in Pythione factus sit. nam stomachus (inquit) homini afficiebatur; manusq; ex eo affectus participatione tremebant. Quòd verò stomachum ipsius nullus fatigaret affectus, quis ostendere potest, cùm nullum ex dictis in exponendo quæ Pythioni contigerunt, affectionis indicium nobis facere poßit: neque quòd societas quædam stomacho ad manus sit, demonstrauit. Nempe societates consortionesq; ait tribus fieri modis, aut propter viciniam, aut propter vel generis, vel operis familiaritatem, generis quidem cùm neruosum neruoso, venosum venoso, & arteriosum arterioso affectu consentit: operis verò, cùm mammæ & thorax genitalibus compatiuntur partibus. Sed in nulla harum communitatum consortionumq; manus stomacho affectu consentire poßunt: neque enim opus aliquod ipsis commune est; neque in neruis societas, ob quam neruosum in manibus ad stomacho affecto condolendum perueniat.

ad stomachum enim perueniunt ex sexto cerebri coniugio nerui: ad manus verò ex dorsalis medullæ regione circiter sextam, vel septimam, vel octauam vertebram. Vt ergo partes quæ ex sexto coniugio neruos habent, stomacho compatiantur, & non manus, rationi est consentaneum. De tremore autem hæc effutiunt qui Pythionem ob venereorum abstinentiam aceruasse multitudinem putant. Atqui venus quidem quanquam ex vacuatione non sinat plethoram subaliı (demus siquidem hoc ipsis) stomachum tamen abundè exoluit, cùm veneris abstinentia robustissimum ipsum efficiat, etsi multitudinem aceruet. Putare autem eum qui moderatè viuit, multitudinem sibi aceruare, est valde absurdum. non enim his sed in ocio degentibus aceruatur multitudo. Si quis verò, abacta venere, ita exercetur vt athletæ, fossores, messores, aut manuariam aliquam artem agentes: humorum copiam non sibi aceruat. Verùm quia quæ norunt conticere nequeunt, contingit serò discentibus, vt pugnantissima promant, dum intempestiuè nugantur. Quid enim necesse fuit Democritum quidem dixisse, coïtum epilepsiam paruam esse: Epicurum verò, nunquam prodesse veneris vsum, acquiescendum autem, si non offenderit? In ægris siquidem ob immoderatam venerem, dici hos sermones oportebat: non autem in his qui aduersam sibi instituerunt viuendi formam.

scripsit hæc Sabinus non animaduertens pugnantes sermones. Delirasse autem Pythiona propter abstinentiam à venere, est absurdißimum. Ait enim aceruatam in cerebro genituram grauantẽ ob multitudinem, desipientiæ symptoma efficere: vt os consueuit in capitis fracturis opprimens, & manus nostra desipientiam procreare, in quo rursus se nulli qui perforatus fuisset, adfuisse ostendit. Vbi autem vel digitis cerebrum cum mẽbranis quis presserit, vel per vocatas membranarum custodes, vel & ante perforationem os suppuratum partes has oppresserit: desipientiæ quidẽ non fiunt, sed profundæ ad somnum delationes, sensuúq; priuationes contingunt, valde interdum soporatis ita affectis, vt in vehementibus apoplexijs. Cùm autem & varia sputa ob genituræ retentionem facta esse dicant, non est bonum illis contradicere. nam qui studiosè studio indigna reprehendit, is sese afficit contumelia. Atqui non hæc solùm, verùm quoque & alia multa his similiter dicta sunt, inter quæ hoc vnũ est. Aiũt enim factum Pythioni abscessum ad sedem propter loci quo genituræ excretio fit, vicinitatem: propter verò sedis abscessum, consequutam stranguriã. Præterea & alia quędã dicunt, ex quibus suspicatus quispiã fuerit venereorũ abstinentiã, neq; paucorũ neq; prauorum morborum causam esse. Scribunt hæc quoque ipsi in propositorum ægrorum expositione, Democritum Epicurumq;

nihil

nihil cōmodi ex venereis fieri dixiſſe admonētes: atq;(quod omnium ſapientiſſimum) vt conuulſio (inquiūt)ex repletione & inanitione oritur, ita libidinem continentiamq; conſequuntur ſymptomata communia affectorum,tum cogitationis,tū neruorum. Nos igitur ſapientia horum admoniti, verumq; aſſerere confidentes, neque athletas ipſos à concubitu temperare ſinemus, ne ex ea re vel conuellantur,vel deſipiant. Hæc nimirum omnia,atq; etiam alia quæ in expoſitione ſcripſit Hippocrates, Pythioni facta fuiſſe aiunt,continentiam venereorum morbum ipſius prægreſſam eſſe penitus confiſi:quanquam ab initio dixerint veriſimile eſſe,vt Pythioni facta hæc ſint ob abſtinentiam concubitus,quam illi ἀποχὴν *vocāt. Deinde quod moderatè ab initio dixerant æquū eſſe obliti,prorſus etiā de re facta faciunt ſermonem. Et ſanè ſi prope ſacrū Terræ Pythion habitaſſet, quænam erat ipſi neceſſitas vt à venereis temperaſſet, qui neq; ſacerdos, neq; æditus Deæ eſſet. Nempe prorſus de eo Hippocrates tale quippiam plenius ſcripſiſſet,quàm quòd prope ſacrum Terræ habitaſſet : imò ſi & æditus fuiſſet, non erat ipſi neceſſe vt perpetuò à venereis abſtineret , quomodo ſi Dianæ vel Palladis ſacerdos eſſet. Sed (quod modo dixi) ſtudiosè redarguere quæ ſtudio indigna ſunt, inter abſurda cenſetur. Iam ergo ab his quæ in Pythione perperàm ab interpretibus dicta ſunt, deſiſtens,*

deinde ad ægrum Hermocratem transiens, ex peculiariori mihi consuetudine expositiones aggrediar, non admodùm de his solicitus quæ quidam perperàm scripserunt, nisi magna quædam occasio meme solicitet. Sed priùs de characteribus aliquid dicam.

DE ADSCRIPTIS vnicuiq; ægro characteribus.

NEscio quo pacto factus infelix fuerit liber hic quomodo & alij multi Hippocratis libri, quorum alij quidem aliter digesti dispositiq;, alij verò quippiã ab eo scriptis adiectum habent. Sed forsan meliùs dixero librum non infelicem fuisse, sed nos lectores ipsos qui tẽpus in re inutili perdimus. Adscriptus igitur est in calce expositionis eorum quæ Pythioni contigerunt, primùm quidem character πτ rectam habens mediam lineam, vt quidam scribunt, nongentenorum notam: deinde scriptus est π literæ character nihil in medio continens: post hunc, ου, mox μ, postremò υ. Peruestigare itaque quidnam hi characteres significant coacti sumus, nesciõ an Hippocratis sint, an alius quispiam talia ægro vnicuiq; adscripserit, atqui hoc ipsum peruestigare coacti, tandem intelleximus. Nam si veluti hoc in libro characteres huiusmodi cõperimus, ita & in alijs omnibus libris scripti in eorum expositione quæ ægris euenerunt, comparuissent: fortasse quòd ab

Hippoc

Hippocrate scripti essent, dicere consentaneum erat rationi. At cùm neque in alijs libris comperti sint, imò neque in hoc tertio per omnia æquè exemplaria: suspitio quædam non absque ratione inuasit non nos modò, verùm quoque & superiores nostros, vt tales à quodam adscripti sint, qui fortasse obscura discipulis inculcaret, vt tanquam magnum quippiam ex horum singulis significatum declarare posset. Forsan quoque & quis soli sibi auxilij in vno quoque ægro epitomen fecit. Protinus ergo in ipso Pythione antescripto character in medio lineam habens πτ, πίθανον, id est, probabile significare videtur: qui deinceps est π, πλῆθος, id est, abundantiam: à quo deinde ου scriptum, οὖρον, id est, vrinam significare videtur, vt ex vtrisque πλῆθος οὔρων, id est, vrinarum abundantia ostẽdatur. Posteà μ quadragesimum diem nos admonet, υ verò ὑγιέιαν, id est, sanitatem: atque ex vtroque quòd homo quadragesimo die sanatus sit, admonemur. Collecta autem ex characteribus omnibus sententia talis existit: Probabile est ob abundantiam excretarũ vrinarum morbum solutum esse, atque hominem quadragesimo sanatum die. Quòd itaque non in omnibus exemplaribus hoc pacto adscripta reperiantur, dictum anteà. Dico quoque & nunc, nec in quibus reperiuntur, in his omnibus primum ægrum talem quendam characterẽ habere. Quòd igitur exemplar characteras habet in calce expo-

sitionis Pythionis adscriptos, in hunc habet modum, πτ, π, ου, μ, υ. Quòd autem rationabile sit vnumquemq; characterem id quod nuper dixi significare, fidem faciunt alij alijs in ægris adscripti. nam vbiuis adiacet πτ, lineam intermediam habens: ad calcem verò his qui conualuerunt, υ adiectum est, ὑγιείαν, id est, sanitatem demonstrans: qui verò obierunt, his θ est appositũ, quod θάνατον, id est, mortem indicat. Principio itaque cùm talia quidem significare videantur quæ dicta sunt, media autem probabilia existant, ita vt dictis ab Hippocrate in ægris ipsis accommodari poßint: nobis quidem vanus est expeditus labor in Pythione, expedieturq; in alijs, tempus frustrà conterentibus. Sophistæ autem & ob talem explicationem, tanquam vates quidam, discipulis sunt admirationi.

Hermocratem qui prope nouũ murum habitabat, ignis prehendit. Cœpit ille capite lumbisq; dolere, hypochondrium molliter intendebatur, lingua principiò exusta, confestim surditas, somni non erant, siticulosus non admodùm, minxit crassa & rubentia, quæ posita nõ subsidebãt, ex aluo exusta non pauca deiecta sunt. Quinto die tenues excteuit vrinas, enæorema habebant, non subsidebant, nocte desipuit. Sexto auruginosus, omnia proritata sunt, mente non constabat.

Nugari hoc in loco non desistunt quidam libri huius expositores, aiuntq; ob id scriptum esse: qui prope nouum murum habitabat, quòd nuper calce illitus hominem offenderat: Cæteri his contradicentes, studiosè ostendere contendunt non propter calcem, noui muri meminisse Hippocratem, sed quòd præter consuetudinem exclusi essent venti, domusq; in qua Hermocrates habitabat perflatione careret, morbus prehendit hominem. De loco quidem satis, ac potiùs (vt verum dicã) superfluum. De his verò quæ ægro contigerunt, est considerandum, reuocatis ad memoriam his quæ alibi sunt demõstrata. Inter quæ id est: tria prima febriũ genera esse, vnũ quidem earũ quæ diariæ appellantur: alterum hecticarum: tertium verò earum quas acutas vocant, quæ ex putrescentibus fiunt humoribus. Quòd ex tertio harũ genere febris Hermocrati fuerit, statim liquet ex eo quòd in enarrationis initio dixerit Hippocrates: ignis prehendit, nempe vt in alia narratione scripsit: incalescens homo cœnauit, vt hoc nomine incalescens moderationem febris cœnato factæ indicaret: ita hoc loco ignem, vehementem febrem appellauit. Caput præterea cœpit ille dolere cum surditate, quo liquet subuectam ad caput humorum copiam esse. Quòd autem humores, tum frigidiores, tum pituitosiores consequantur & Carus & lethargus: calidiores verò & mordaciores, tum vigiliæ, tum dementiæ, est

demo

demonstratum. Cùm igitur vigilantia huic fuisset cum surditate capitisq; dolore & lumborum, quòd mordaciores humores caput repleuissent, suspicari rationabile erat. Contingit autem ex huiusmodi vbi cum febre calida & vrente caput offenderint, sequi (vt didicisti) dementias, vbi autem duos, vel tres, vel quatuor dies symptomata perseuerauerint, certiùs adhuc desipientiam prænoueris. Quo sanè modo & nunc in Hermocrate factum extitit, scripsit siquidem Hippocrates in quinti diei enarratione desipuisse hominem. Quòd autem & febris ea fuerit quæ nunc dicta est, ostendit & linguæ symptoma. quid enim ait? lingua principiò exusta fuit. Nomen hoc siccam prorsus fuisse indicat: potest quoque & nigram ostendere. Ex tali autem lingua taliq; febre, si non vehementer sitiuerit, ex duobus alterum indicat, vel læsam ægri mentem, vel naturalem ventris facultatem, qua maximè cibos appetimus, cadaueratam: adiecta autem & narrationi huic tali oratione: hypochondrium molliter intendebatur, febrilis affectionis principium ex hepate factum esse est existimandum; nempe quòd singulari appellato numero hypochondrium dixerit, liquet quòd alterius solùm, & non vtriusque intensio fuerit. At quoniam necessarium est vt hypochondrium, vel dextrum, vel sinistrum intelligamus, verisimilius est, vt dextrum intendi

existimemus, propter excellentiã qua alteri præstat nempe talia citra adiectionẽ & limitationes dicunt, prætereà & modus ipse febris, & linguæ ipsius inustio, hepatis affectionem ostendere satis potest. Quæ autem molliter in hypochondrio fuisse intensio dicta est, quòd veluti inanem ostendat, est declaratum, nempe inane ἐκ τοῦ λαπαροῦ, id est, ex molli significatur: huic verò opponitur τὸ μετὰ ὄγκου, quod cum tumore est, vt contensum laxo: tanquam ita dixerit, hypochondrij dextri contensio, tumor autẽ nullus, vel quòd non fuerit magna phlegmone hepatis, vel in sima solùm, quæ ventrem complectitur, gibbâ nondum cũ ipsis tumefacta. Prætereà & quòd venter exusta deijciat, ignescentiæ visceris huius indicatorium existit. Quapropter si ab his vrinæ lethales contigissent, celeriter homo interijsset: quoniam verò vt talibus mediocris esset, possibile est vt quispiã sperauerit morbum producendum, bonæ siquidẽ vrinæ in dicta affectione non fiunt: Rubræ verò tẽpore quidem multo hominem ægrotaturum prorsus ostendunt, non tamen prorsus moriturum, vt & in prorrhetici commentarijs & his de iudicijs est demonstratum, vbi libri huius scriptorem redarguimus: nam quæ ob alterum quippiam ægris contigerunt, in alterum referens errat. Dicta autem à nobis fusiùs in commentarijs illis & propria phrenitidis indicia, & quòd in confessis Hippocratis esse legitimis libris, quo è numero

est prognosticum, singulorum signorum facultas exactè per se ab ipso dicta sit. De rubris itaque & valde rubris vrinis nihil dixit: sed subrubræ cùm meminit vrinæ, valde rubrarum etiam facultatem demonstrauit. De subrubris autem vrinis ita his verbis scribit: si verò vrina subrubra fuerit, hypostasisq; subrubra, morbum hæc quidem quàm prima diuturniorem significat, sed valde salubrẽ. Cùm itaq; subrubra salubris quidem in his maximè sit, sed quàm prædictæ longè diuturnior, quas celeriter solutionem habere dixit; quæ valde rubræ existunt, longius quidem indicabunt tempus, non verò mortem ex se, neque desipientiam. Si vtique flauam ob bilem in cerebro redundantem desipientiæ fiũt, veluti & cùm exusta sit vt iam in nigram transeat, maniosæ: Sanguinem verò redundare crudiorem serosioremq; indicat rubens vrina, qui videlicet in venis continetur, quæ, tum in hepate, tum in medio corporis existunt: veluti & flauam bilẽ, fuluæ & nigræ. Quidnã itaq; tũ alios, tũ Lyceũ mouit, vt eum qui in prorrhetico scripsit approbarent: surditas, atque vrinæ valde rubræ, non subsidentes, enæorema habentes, desipientiam ostendunt, talibus morbo regio capi bonum. Videtur siquidem ex his, quæ hic scripta sunt, de Hermocrate libri illius autor vniuersale aliquod theorema composuisse: sed valde deuiat & à rei ipsius natura, & ab Hippocratis mente, & ab his quæ in

ægris apparent. Nempe rei natura ostendit siccos temperamento & qualitate mordaces humores in cerebrum euectos, causas tum vigiliæ tum phrenitidis esse, vt & in commentarijs de affectis locis demonstraui. Hippocrates autem tales nouit humores, tum flauam, tum atram bilem, humidum verò frigidum succum pituitam, immordacissimum verò & maximè nobis familiarem sanguinem: prætereà & quòd humorum in venis contentorum serum vrina sit, nos docuit ipse. Quapropter rationi est consentaneum, vt cùm sanguis copiosior & semicoctus per vrinas expurgetur, rubras has efficiat: atque ob id quòd longus quidem futurus sit morbus, sanguine ad concoctionem longiori tempore indigente; si ex tempore concoctiones fiant, ac neque vnquam futurus sit lethalis talis morbus, quantum ex his sit vrinis, neque phreniticus. Sed non est hic prolixiùs insistendum, quòd nos iam talium sermonum absurditatem in prorrhetici commentarijs demonstrauerimus. Quoniam verò & crassas ostendit fuisse vrinas & non subsidentes, prorsus quidē tales inter returbatas turbidasq́; collocantur, vt appellare hic consueuit: sunt autem perpetuò tales turbationis crudæ, quæ multum flatuosum spiritum habeat, significatoriæ, veluti mustum: Ob id vtique & capitis dolores tales vrinas meientibus contingunt, spiritu vnà cum calidioribus succis in caput elato, à quibus vt vigiliæ

aug

augeantur par est: & periculum delirij futurum sit, si humores acrimoniam quandã obtinuerint. Hæc statim ab initio omnia tum symptomata tum signa fuisse Hermocrati vbi percurrit Hippocrates deinde nihil scribens de sequentibus diebus, ad quintum vsque diem permansisse omnia hæc ostendit, & tunc primùm ab aliorum expositione cœpit, vbi mutatio quædam in ipsis facta sit. Quinto itaque die (inquit) tenues excreuit vrinas. Quare ad illius expositionem iam transeamus: Quinto excreuit tenues vrinas, enæorema habebant, non subsidebant, ad noctem delirauit. Vbi primum & vrinarum ab initio facta est mutatio, & delirauit homo, scripsit Hippocrates, quinto die, præterita (vt dictum est) tum secundi tum tertij tum quarti expositione, tanquã eadem permansissent in ipsis symptomata. Reuocemus itaque ad memoriam quod de vrinis tenuibus dixit in prognostico, hac dictione: « Qui diutiùs vrinas tenues & crudas reddunt, si alia « vt conualituris adfuerint, abscessus his ad par- « tes septo transuerso inferiores expectandus: qua- « re secundum alterum modum crudus esse morbus « significatur per tenues vrinas, sicuti & per cras- « sas, vbi non subsident. Nam turbatæ quidem sed « depositæ subsidentes, concoctionis cuiusdam initium ostendunt, & maximè vbi citò subsideant: quæ verò non subsidunt, præter flatuosam turbationem craßitiem incoctorum humorum significant.

tant. Ex his quidem iam manifestum est morbum protrahi, atq; item periculosum esse propter malitiam febris, & quòd ad noctem homo desipuerit. Quæ deinceps sunt videamus, si consequi hæc videantur. Sexto auruginosus, omnia exacerbata sunt, non mente constabat. Distinctio hic sit tibi intensionis hypochondrij ab hepate profecta. Fit siquidem interdum flauæ bilis in totum corpus diffusio iudicationis ratione, vt in aphorismorum commentarijs est dictum, in illo libri loco vbi ait: Icterus ante septimum diem, malum. Sis autem memor te priùs quàm morbus concoqueretur, sæpiùs audiuisse neque alium quendam abscessum fieri commodè, neque icterosum: talis enim abscessus bilem ne ex viscere expurgetur & per ventrem vacuetur, impedire significat, vel propter obstructionem ipsius vel inflãmationem. Cocto autem morbo, interdum iudicatoriè ad cutim corporis natura quod superfluit tum ex alijs humoribus tum ex flaua bile, reijcit (nihil enim interest hoc in loco vel flauam vel pallidam vocare.) Quòd autem & hepatis affectione adaucta, icterosa affectio facta sit, ostendit sexto die omnia proritata fuisse, cum eo quòd non mente homo constaret, id est, desiperet.

Septimo inquietatio, vrinæ tenues, similes, consequentibus similiter diebus. Circa vndecimum diem leuata omnia visa sunt.

Quæ quinto die cœperunt deteriores fieri vri-

næ, perseuerauerunt, malitiam ad multos dies seruantes: non enim in septimo solùm die, verùm quoque & in sequentibus ad vndecimum vsq;, in eisdẽ fuisse tum symptomatis tum signis Hermocratem ait. Circa vndecimum diem leuata omnia visa sunt. Bene autem dixit, visa sunt. neque enim potuit ex periculosissimis signis confestim ipse in meliorem venire statum, eadem humorum permanente cruditate, cum eo quòd neq; quippiam iudicatorium circa vndecimum apparuisset, quod sæpiùs apparere consueuit, natura vel per sanguinis excretionem, vel ventrem, vel vomitus, vel sudores, vel parotida, aut impetuosum aliquem lapsum ex periculo hominem vindicantem. Considerabimus deinceps quæ in vndecimo contigerunt die.

Cωma cœpit, vrinæ crassæ, subrubræ, deorsum tenues, nõ subsidentes, paululum mente constitit.

Vnus totus factus est liber ab his qui quod significatur ex voce Cωma, exposuerunt: in quo ostenditur, in somnum delationem ita vocare Hippocrates. In somnum dico καταφορὰν, id est, delationem, cùm vigilare quidem non poßint ægri, non apertis oculis: sed conniuentibus, vel profundis somnis, vel tenuibus, vel vigilijs detineantur. Et ideo opus est distinctione, multa etiam prudentia & exercitatione, vt cognoscas quo ex

affe

affectu comatosius æger fiat. Sæpius enim ob humiditatem multam primæ partis sensu præstantis, in qua & somnum fieri rectè demonstrauit Aristoteles, consequitur Coma, vt nonnullis euenit inebriatis: sæpius autem ob solum frigus & interdum propter vtrunq; contingit profundus et comatosius somnus: prætereà & ob virtutis imbecillitatem talis fit affectio, ita ad extinctionem properantis vt palpebras sublatas seruare non possint: contingitq; ita habentes vt posteà quàm oculos clauserint, vel nullo pacto, vel parùm somno correpti, vigilent, qui neq; tunc palpebras attollere possunt: quam affectionem ab ea quæ ob humiditatem & frigus fit, distinguunt maximè pulsus tum languidissimi, tum tardi, tum rari, & parui facti. Atq; hanc theoriam si Hippocrates exposuisset, cæteris similiter, pulsuumq; speciem in ægros scripsisset, diligentiorem ita & nos earum quæ ipsis contingunt affectionum haberemus cognitionem: quam quoniam prætermisit, veluti quidam vrinarum theoriam, ex his quæ scripsit, de ægrotis est coniectandum. Pituitosum itaque succum in cerebrum vndecimo peruenisse die non est rationabile in morbo sicco & calido, statim inter initia inuadenti, nempe linguæ inustio, & vigilia, & febris valida existens, & in sexto die icterosa effusio, excrementaq; consta, igneam per totum corpus affectionem esse demonstrant, cum eo quòd etsi copia aliqua

ſucci collecta in hepate ſolo & ipſius venis fuiſſet, nō hæc in toto cōtinebatur corpore, demonſtratum ſtatim ab initio propter vrinarum craſſitiem. Relinquitur itaque vel vehemens frigus in cerebro, vel imbecillitas virtutis cauſa comatis Hermocrati die vndecimo fuiſſe: vtrum autem horum fuerit, ſummè eſt pernicioſum. nempe talia frigora inſanabilia demonſtrata ſunt, vbi calidos & ſiccos morbos conſequuta fuerint. Iure itaq; ſcripſit Hippocrates viſa omnia leuata eſſe. nempe cùm grauiſſimum ſignum ex comate principium vndecimo die cepiſſet, fieri non potuit vt tunc corpus ſalubrem habitum recuperauerit: neque tamen media quædam eſt in talibus affectio: at ſi à ſalubri ſtatu deſciuerit talis febris forma, in contrariam peruenit pernicioſam, in qua calidum natiuum extinguitur. Facto itaque die vndecimo comate ita pernicioſo ſymptomate, mentem ad vrinas conuertamus. Nam ſi & ipſæ pernicioſæ apparuerint, moriturum breui hominem indicabunt: ſi verò mediocres, in longius tempus tracturum, nempe fieri non poteſt vt vrinæ in tali affectione optimæ fiant. Sed quænam de ipſis dicat audiamus. Vrinæ (inquit) craſſiores. Copulant autem hîc quidem poſt coma, prius dictum verbum, cœpit, vrinis adijcientes. ipſum enim in medio ordinatum, & comatis & vrinarum, vtriq; quis attribuere poteſt, vt gemina ſit lectio: vna quidem eiuſmodi coma cœpit: alia

talis

talis, cœpit meiere craßiora. Nempe verbo οὖρει, id est, minxit, secundum indicatiuum appellatum modum dicto, literam ν, adijciunt, & scribunt οὐρέειν cum ν, iuxta infinitiuum appellatum, vt verbo, cœpit, consona fiat scriptura: sed credibilius est verbo ἤρξατο, cœpit verbum adiectum, nunc ipso primo incipiente, nempe vrinæ crassæ statim ab initio erant. Nam in primorum dierum expositione scriptum est his verbis: vrinæ crassæ erant, rubræ, & depositæ non subsidebant, quare fieri non potest, vt ipse nunc dicat cœpisse vrinas crassas fieri, cùm ab initio ad quintum vsque diem factæ tales fuissent. Nempe quinto die mutatas, tenues ait ipsas factas: deinde & septimo quòd tales ipsæ essent memorauit. Vndecimo itaque iure dixit: minxit craßißimas, comparans ipsas his quæ à quinto die ad hunc vsque, tenues fuerant. prætereà subrubras ait ipsas fuisse, & deorsum parua habere quæ subsiderent. Mediæ itaque tum bonarum tum perniciosarum videntur fuisse vrinæ. Quod in calce ab ipso dicitur, bifariàm legunt: quidam ita: non subsidebant ἡσυχῇ, id est, paulula, adijcientes τὸ ἡσυχῇ non subsidentibus vrinis: alij autem ita: subsidebant: & rursum altero principio: ἡσυχῇ κατενόει, id est, paululum mente constitit, quod videtur potiùs intelligentiam habere, nempe ἡσυχῇ, etiam prædicto quòd vrinæ subsideant, ex more ita dicunt Græci: verùm in non subsi-

dentibus talia nomina non valde adijciunt. Quæ itaque vndecimo die facta sunt tum symptomata tum signa, hæc sunt. Videamus autem deinceps quæ de decimoquarto scripsit.

Decimoquarto absque febre, non sudauit, dormiuit, prorsus mente constitit, vrinæ similes.

Frustrà adiectum videtur, non sudauit: simile est, non erupit sanguis, non vomuit, non parotidas habuit. Sed vt paulo antè dixit: circa autem vndecimum diem omnia leuata esse visa sunt, qui cùm potuisset quidem dicere simpliciter: leuata sunt omnia, sed adiecit, visa sunt, vt ad memoriam reuocaret quæ alibi ab ipso scripta sunt: his quæ non ex ratione leuant, fidendum non est: Ita & hic non cunctatus est ex abundantia adijcere: non sudauit, vt nos leuationis infidelitatem admoneret. nam si quod decimoquarto die cõtingere solet euenisset, hominem seruasset. Ex eo itaque quod non factum sit, malitiæ morbi nos admonuit. Ignorant autem Medicorum plerique tales adfectiones, lætanturq; ex eo quòd ægri meliùs habere videantur, etsi ex perniciosis prioribus tum signis tum symptomatis hoc fuisse contigerit: nescientes huiusmodi affectiones contingere natura ad mortem, & calore natiuo ad extinctionem properante, partibus similiter in tumorem ex maligna destillatione eleuatis, vbi natura infirmata nullo pa-

cto

cto humoris tumorem parientis coctionem aggreditur. Nempe circa generationes puris (inquit) dolores fiunt & febres, permutationem subeuntibus ab caliditate natiua tumorem parientibus humoribus. Cùm itaq; caliditas ipsa natiua non ampliùs concoctionem propter imbecillitatem aggreditur, neque dolent neque febriunt nisi valde parùm. Ex suppuratis itaque, pure excreto, pars in quam fluxus decubuerat, salua manet: vbi verò neque suppuratio, neque dolor aliquis insignis, neque febris fiat, pars putrescit, vt aliquando ipsam omnino præcidere necessarium nobis sit. Simile aliquid huic contigit, & his qui ex lethalibus signis non febricitantes sum absq; signis tum absq; ratione sunt facti. Quòd autem talis affectio esset Hermocrati, & Cwma vndecimo die factum ostendit. Nempe cum febre vrente, & humorem habente videlicet tum mordentem tum acrem, symptoma repentè habere, quod humores humidos, frigidos & mordacitatis expertes consequatur: quòd non desierit prior affectio ostendit, cùm nihil iudiciarij factum sit, sed calor natiuus tum mortificatus tum extinctus fuerit. De his itaque alibi fusius dictum est. At nunc quoque summatim semel satis sit dictum esse de his, qui præter rationem in morbis difficilibus sine febre sunt facti. Quanto enim perniciosioribus prægressis signis meliùs habere videantur, tanto morbum perniciosiorem

habent. Nempe (vt Sabinus dixit) morbus insidians veluti fera aliqua vel homo nequam (nempe mentem habentis animalis est insidiari) repentè iam inuadit inopinatos eos qui ab ipso insidijs obsidentur. At verba ita dicta iure quis nugas dixerit: nihil enim dicit quod scientiarium sit, sed nugatur solùm, putatq; propositum per exemplum demonstratum esse, nihil simile cum comparatis habens. Hoc itaque relicto, nos ipsi quod propositum est iam absoluemus: & mihi hîc mentem exactè attende, & mirari desine quomodò sæpiùs ego quempiam perniciosè habere dixerim, qui mediocriter bene repentè haberet, vt & lauaretur: ridererq; non solùm ab idiotis, sed & à Medicis, & in prædictione manerem: & postea cùm in morbum reuerteretur, qui bene habere visus fuerat, deinde moreretur, ex Diuinatrice non Medica theoria prædixisse sum existimatus: & hæc miris his Medicis nusquam scripta esse ipsa dicentibus. Vnde ergo quòd circa vndecimum diem vel morituros aliquos, vel iudicandos prædixi, scripsi abundè & de talibus prædictionibus, & in libris de diebus iudicatorijs, & in libris de iudicijs: & omnium horum princeps est admirabilis Hippocrates. Sed alia quidem in nuper dictis libris excolui, & quibusdam alijs: In præsenti verò his qui illa legerunt, manifestum de præsentibus faciam sermonem. Vndecimo siquidem die visus est Hermocrates leuatus esse:

Decimo

Decimo verò quarto die perfectè liberatus. Vbi autem iam definitum erat, & præcognitum recidiuam fore, & periturum ipsum: consequens erat vt decimusseptimus ex his quæ vndecimo & decimoquarto euenerant, recidiuam inferret, quòd morbi mutatio in diebus decretorijs contigisset, didicimus siquidem & in prognostico, & in aphorismis circuitus dierum per quaternarios in vigesimum, & non vigesimumprimum deuenire: atque ob id vndecimum quidem decimiquarti indicem esse, decimum verò septimum vigesimi. Reuersurum itaque Hermocrati decimoseptimo morbum maximè rationi erat consentaneum, cōsequuturam quoque & aliam vigesimo permutationem. Neque tamen iam adhuc nobis legentibus quæ ab Hippocrate scripta sunt, constat, qualísnam vigesimo die futura sit mutatio: quoniam neque quomodo vires ægri haberent sciebatur, & quòd neque ipsarum certissimum signum scriptum esset. nempe cum harum cognitione facile erat dicere, siue vigesimo die æger obiturus esset, siue morbus esset in longius tempus producendus: quòd si non cognoscantur, incertum existit. Audiamus itaque quæ ipse dixit de decimoseptimo & vigesimo.

Circiter decimumseptimum reuersus est morbus, sequentibus diebus incaluit, febris acuta, vrinæ tenues.

Alia quidem symptomata recidiuæ sunt:

vrinæ verò tenues morbum crudum esse significant. Quare etsi non magnopere exitiosa apparerent signa, neque ob id fore incolumem hominem dicere poßis, cruditatem vrinarum decimoseptimo die conspicatus. Ipse etenim dixit in talibus periculum esse, ne æger tempori morbi sufficere non poßit.

Rursus autem vigesimo iudicatus sine febre, non sudauit.

Quo secundum rationem die debuisset febris proritari, si natura prorsus coctionem humorum aggressa fuisset, vel solùm vrinæ (vt ostendi) tenues permanerent, in hoc perfectè placata est febris. Neque enim decimoseptimo ratione caliditatis natiuæ facta est; sed sola putredinis ratione, excalfactis febriliter humoribus. Feruor itaque humorum ipsorum perspiratus immunem à febre hominem reddidit: sed manentibus exitiosis symptomatis, vt posteà dicet, manifestum erat moriturum Hermocratem. Quo autem modo in decimoquarto die scripsit: non sudauit, ita & vigesimo ipsum adiecit, ad memoriam reuocans factum absque signis leuamentum. Quòd autem permanerent symptomata properantis ad extinctionem naturæ ægri, liquidò constat ex his quæ deinceps scripsit in vigesimi diei enarratione: quibus iam mentem attende.

Toto tempore cibos auersabatur, mente

te constabat, loqui non poterat, lingua superarida, non sitiuit, dormiuit parùm, comatosus.

Dicta omnia iam properantis ad extinctionem vitalis facultatis sunt signa: vt confestim ciborum auersatio inappetentiam significans, quæ interdum fit propter os ventris ob alienam quandam humorum qualitatem affectum, interdum verò & propter virtutis ipsius cadauerationem: cuius, cùm æger valeret, opera erant tum actionem sentire, tum quæ ipsam curatura essent appetere: eiusdem opus est & humidæ substantiæ indigentia & impletio. Quo itaq; habuit modo circa hæc, manifestè ostendit Hippocrates, inquiens: non sitiuit, & ab hoc: toto tempore cibos auersabatur, deinde scripsit: mente constabat, atq; ab hoc: lingua superarida, non sitiuit. mente constabat quidem ad communem vtriusq; distinctionem adsumpsit: non sitiuit verò ad alteram. Communis verò distinctio hoc ait: non sentiebat indigentiam substantiæ neq; humidæ neq; siccæ, non quòd non consequeretur, sed quia properaret ad extinctionem ipsius facultas. Orationi verò huic: lingua superarida, adiecit: non sitiuit, vt distingueret quòd non ob humiditatem homo non sitiuisset, vt nonnulli eorum qui tum humidum tum frigidum aceruauerunt humorem: sed quòd quanquam affectio siticulosissima esset: virtus nõ sentiret emortua: non potuisse etiã loqui ab eadẽ

factum

factum est malitia. Si igitur symptomata hæc & vigesimo die, & per totum ferè morbum ipsi adfuerint, manifestum quòd extincta naturali caliditate febris vigesimo die placata sit. Accedit his & quòd dormiuit parum, comatosus. Non enim vt secundum naturam habentes, dormiuit: sed propter imbecillitatem facultatis vltrò oculos claudebat, vt apertos habere non posset, ipsosq; inclinabat, & parùm dormiuit. adiecit enim verbo dormiuit aduerbium, parùm: quoniam & hoc signum erat imbecillæ virtutis, non somnorum secundum naturam. Ob id itaque ægro hoc tempore somniculosum coma fuit magis, quàm propter primi sensus instrumenti humiditatem. Mirari itaque licet, non quòd perierit Hermocrates, sed quòd ad vigesimum vsque septimum suffecerit. rationabile siquidem erat non multò pòst vigesimum accessuram ipsi mortem. Quòd itaque iuuenis quidam esset, & natura valde robustus, liquidò constat: atque ob id resistebat paulatim marcescens. licet enim ex omnibus quæ ipsi contigerunt, conijcere vocatum à recentioribus Medicis marasmum retorridium fuisse. Peremit autem ipsum vigesimoseptimo febris, quæ ob humorum putredinem vigesimoquarto excitata fuerat, quam sequenti dictione manifestauit. Dignum autem indicatu existit propter quid in præsenti dictione scripsit: mente omnino constitit. videtur siquidem non omnino mente constitisse,

cum

cum ipse Hippocrates dicat ipsum in quinti diei enarratione desipuisse, & rursus postea sexto die adiecerit: non mente constitit, & rursus decimoseptimo: desipuit. E duobus itaque alterum, vel quòd solis his diebus delirauit, alio verò tempore mente constiterit, significare volens, scripsit: mente prorsus constitit, vel quòd vigesimo die cuius interpretationem in præsenti dictione scripsit: prorsus mente constitit, id est, ne paululum quidem delirauit. Quare autem hoc adiecit, paulò antè dixi. Nempe cùm quidam in morbis non sitibundi & non appetentes fuerint, aut propter delirium non sentiunt quæ patiuntur, vel propter facultatis naturalis ventris mortificationem: quoniam autem ita patiantur citra delirium, relinquitur virtutem ipsorum extinctam esse.

Circa vigesimum & quartum diem incaluit, aluus liquida, fluentibus tenuibus multis, sequentibus diebus febris acuta, lingua combusta est. Vigesimoseptimo obiit.

Huic ægro quartus & vigesimus inter periodicè iudicatorios, vt demonstratum est, & vigesimusseptimus multò magis in hoc quasdam innouationes ex proportione attulerunt. Nempe vt septimodecimo die reuersus est morbus, vigesimo die melius habere visus est, non ita tamen habens secundum rei veritatem, sed opinionem multis præbens extinctæ caliditatis natiuæ, sine

febre

febre factus est : eodem modo die vigesimoquarto cùm ex putredine reliquorum humorum febrire incepisset, deincepsq́; deorsum multa deiecisset, & tenuia & maligna, vigesimoseptimo die obijt, facta febre ipsa tum acuta tum sicca, per quæ & lingua combusta est.

Huic surditas per totum morbum permansit, vrinæ vel crassæ vel rubentes, non subsidentes, aut tenues cum enæorematis decoloribus. gustare non valebat.

Post vigesimi expositionem deinceps adscripsit quod nunc dictum est: gustare non valebat, quod idem voci ἀπόσιτος existit, id est, cibos auersatus. Vrinas autem à decimoseptimo die ad vigesimum factas tenues ait. Prædixerat autem (si quippiam meminimus) & de his quæ rubens & non subsidens enæorema haberent: nunc verò repetitis simul omnibus quæ ostenderat, virtute hoc ait, quòd minxit aliàs aliam, commodam verò exquisitè nunquam vllam. Prætereà quòd per totum morbum permanserit surditas, non dictum anteà, iure nunc adiecit. Quo autem modo nihil de icterosa effusione dixerit, haud scio: sequens enim erat vt de hac ageret, sed forsan vt manifestum quòd perseuerauit tacuit. Nempe quòd nondum sudor Hermocrati fuerat, neq; per ventrem, vel vrinas, vel vomitus biliosorum vacuatio cõsequuta erat, impoßibile erat placatum esse icterum. Ex omnibus itaq; dictis videtur fuisse hepar

hepar validè affectum ipsi, quod est principium tum nutricis tum naturalis appellatæ animæ, cuius quatuor esse virtutes demonstrauimus, attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem, per quas corpora tum nutriuntur, tum augentur: qua affecta graues prehendunt inappetẽtiæ, vt mori potiùs æger velit, quàm aliquid gustare.

DE ADIECTIS CHA- RACTERIBVS.

VEtustiora quidem exemplaria principium adiectorum in ægris characterum habebant à muliere circa Bitonis anginosa, septima ab initio descripta. Et sanè qui interpretati sunt adscriptos huic libro characteras, ab illa omnes inceperunt, dicentes primis ægris ipsos non esse adiectos. In nonnullis verò exemplaribus quæ nunc in manus nostras peruenerunt, reperiuntur & primis ægris adiecti characteres, vt et Dioscoridis editio ipsos adiectos habeat. Atq; huic vtiq; Hermocrati primùm quidem subscriptum est πτ, lineã in medio habens characterum omniũ quos in ægris omnibus diximus reperiri adscriptos: deinde τὸ ε, scriptũ est, & pòst ipsum τὸ Δ, lineã rectã deorsũ reflexã habẽs: veluti τὸ υ, præscriptũ: deinde post ipsũ υ, et ζ, et post hæc τὸ θ, in hũc modũ: πτ, ε, Δ, υ, ζ, θ. Prim⁹ itaq; character vt anteà πιθανὸν. i. credibile significat: veluti & litera vltima interdũ

quidem

quidem v, interdum verò θ, scripta, sanitatis quidem v, mortis verò θ, signum est: character verò qui hunc antecedit, numerum dierum indicat, in quibus vel obijt homo, vel perfectè sanatus est: qui in medio existunt, modum habent, in quo seruari hominem contigit vel interire: & nunc characterem ε, cum Δ deorsum reflexo scribens, credibile esse ait retentis deiectionibus vigesimoseptimo die perijsse Hermocratem. Quidam interpretum quòd venter vigesimoquarto die fluxerit, mortem ipsi adfuisse aiunt, ex prorrhetico dictionem quæ ita habet expromentes: Surditas « & vrinæ valde rubræ, non subsidentes, & sublime « petens habentes, delirij signum: hos ictero cor- « ripi malum, mala quoque & ex morbo regio fa- « tuitas: hos voce quidem priuari, sed sentientes « contingit: venterq́; (arbitror) his copiosè fluit, vt « Hermippo factum est, vnde obijt. Hæc quidem ex prorrhetico est dictio, de qua dictum est, cùm librum illum exponeremus. Nunc verò tantùm dicere sufficiet rursus, memoriæ gratia, & quæ in illis exposuimus, & quæ in hoc libro hucusque. Contigit siquidem Hermocratem neq; per ventris retentionem, neque per excretionem perire, sed hæc quidem affectionis symptomata apparuisse, vt & cùm anteà excreuit combusta, vtrisque & hepatis affectiones consequentibus, vt ostendimus, tum in alijs quibusdam, tum in commentarijs de locis affectis. Videtur autem &

ipsi mors aduenisse, maximè quidem ob hepar, iam verò & quòd caput non secundùm naturam haberet. Adhuc autem ægrum irrationabiliùs exponunt, qui ob id scriptum solùm aiunt, vt iudicatoriorum dierum vires peruestigaremus, tanquam non omnibus quidem ægris communiter hoc obseruetur, sed singula seorsum iuxta eas quæ ipsis contigerunt affectiones.

Qui in Dealcis horto iacebat.

Rursùs & hoc in loco Sabinus hortum adiectum ait morbi concausam homini factum, scribitq; ita his verbis: ob id enim & hortum nunquam apposuisset, atq; hinc febri occasionē fuisse manifestans non enim herbiuorum animal est homo, quapropter ex alieno victu vt innouationem quandam sustinuit. Hoc in loco quidem ille scripsit. Sed quoniam in hoc commentario præter meam ipsius voluntatem ad alienarum expositionum cōfutationem ab amicis scribere aliqua sum adductus, & nunc pauca adijciam idem genus habentia. Primùm itaque neque perpetuò hominem habitare dixit in Dealcis horto, sed iacere solùm scripsit: qui anteà quidem cùm rectè valeret, alibi habitare potuit: morbo verò correctus, cōuenientioris diuersorij indigus, tale in Dealcis horto habuerit. Secundò, non necesse est eum qui in horto diuersorium habeat, oleribus perpetuò vesci vt herbiuorum animal: vt neque si prope eos fueris, qui caprinam vel ouillam vendunt, hac

quotidie comedas, vt qui oratoriè loquuntur. Neque enim si vicinus his fueris qui carnes vendunt, propterea necesse est tibi, vt & plurimas has ingeras, vt athletæ. Tertium ab his est, quòd cùm multam sermonis vbertatē haberet ad aëris qui in hortis est accusationem, hanc quidem totam partem prætermisit, & ad olera conuersus est. Poterat & cloacas commemorare quæ ferè excrementa ad hortos repurgant, omnemq; talem graueolentiam, atque adhuc ab oleribus arboribusq; & fruticibus exhalationem, ita brassica, careo & buxo. nam circunstans aër manifestè ab horum præsentia prauus redditur. Sed iam satis de harum expositionum contradictionibus dictū est. Ad ea autem quæ commodant digressus, dictiones Hippocratis prosequar.

Brassica caro et buxus inficiunt aerē circumstantem.

Diutiùs capitis grauitate affectus, dextroq; tempore dolens: cum occasione autem igne est prehensus, iacuit.

Ignem quidem Hippocrates febrem appellat, veluti à me sæpiùs est iam demonstratum. Præterea & quòd propriùs, veluti & hominibus omnibus, consuetum est paruas causas προφάσεις *appellare, ita & ipse interdum appellat, & hoc est demonstratum. Nempe quædam per se quidem morbum committere non possunt: præexistenti verò morbosæ præparationi appropinquantes, totius morbi causam habere visæ sunt, veluti in nunc proposito ægro. Nam quòd caput diutiùs*

grauare

grauaretur tempúsq; doleret, adfectionem quandam morbosam homini genitam esse ostendebat. Et certè probè fecisset, si priusquam ob leuem aliquam externam causam ægrotasset, quæ ipsius idoneitatem ad affectionem ostenderat, Medico sese credidisset, qui à futuro morbo præseruare potuisset.

Sexto die ex sinistra paucus merus efflu xit sanguis.

De quo prædixit tanquam dolente, fluxisse huic ait ex sinistra paucum merum, ἄκρατον autem, id est, merum, vbi quidem de flaua vel nigra bile dicatur, vel æruginosa, manifestum habet significatum, vt sæpiùs iam est dictum. Nempe vbi familiarem, tum colorem, tum substantiam quiuis humor veram seruauerit, tunc vacuari ipsum merum dicimus. De sanguine verò forsan modo contrario merum ab ipso dici est intelligendum, acsi dicat κακόκρατον, id est, perperàm mixtum. Constat autem colorem sanguinis naturalem rubrum esse: decolorem verò non talem, sed vel nigriorem, vel fuluiorem insigniter, & frequentiùs quidem consueuimus sanguinem nigrũ dicere merum, qui confestim & crassus secũdùm consistentiam existit. Quòd itaque propositus æger sectione venæ indigebat, si vires valerent, est manifestum: quòd autem nihil de auxilio hoc scripserit Hippocrates, eadem tibi quæstio erit huic, quæ in primo ægro scripta est.

Ab aluo stercora probè exierunt.

Hoc solum ipsum videtur moderatum in mor bi principio fuisse: cætera omnia praua, quæ in sequenti dictione scripta sunt.

Vrinæ tenues, varia habentes enæoremata minutatim dispersa,& veluti crasiorem farinam geniture similem. Terio die febris acuta,deiectiones nigræ,tenues,spumosæ,hypostasis nigra deiectionibus,subsoporatus est,circa surrectiones ægrè habebat,in vrinis hypostasis nigra,subuiscosa.

Quòd omnia dicta,tum symptomata,tum signa praua in ipso facta sint,his qui meminerunt eorum quæ in prognostico dicta sunt, est manifestum. Dicta sunt & non pauca in ijs qui super primum sunt confecti commentarijs.

Quarto vomuit biliosa,flaua,pauca, atque parum intermittens æruginosa, ex sinistra paucum merum effluxit,deiectiones similes,non dissimiles vrinæ,sudauit circa caput clauiculamq;,lienis intumuit,femoris dolor secundùm rectitudinem, hypochondrij dextri contensio submollis,nocte non dormiuit,parum delirauit.

Sunt & hæc omnia dicta symptomata praua,præter eum qui in lienem & femur sinistrum videbatur abscessum.

Quinto deiectiones plures, nigræ, spumosæ , hypostasis nigra deiectionibus, noct

nocte non dormiuit, delirauit.

Hæc quoque perniciosa sunt omnia. Ad sequentia itaque mentem conuertamus.

Sexto deiectiones nigræ, pingues, spumosæ, tenaces, graueolentes, dormiuit, mente magis constitit.

Mitiora hæc sunt, alia verò praua.

Septimo lingua superarida, sitibundus, non dormiuit, delirauit, vrinæ tenues, non boni coloris. Octauo deiectiones nigræ, paucæ, constantes, dormiuit, intellexit, siticulosus non valde.

Hactenus videntur omnia ipsi symptomata fallacia & incerta.

Nono superriguit, febris acuta, sudauit, infrigidatio, delirauit, dextro oculo distortus, lingua arida, sitibundus, vigil. Decimo eadem. Vndecimo prorsus intellexit, sine febre, sudauit, vrinæ tenues ad iudicium.

Visus est validus quidam homo hic fuisse viribus, quòd maximo morbo luctãtes ipsæ resisterent. Nullo siquidem bono hactenus ipsi facto, videtur nono die rigore indicatorio facto, & post ipsum (veluti consueuit) acuta febre, & post febrem sudore, non confestim quidem febre vacuus fuisse propter morbi magnitudinem: verumtamẽ cùm eadem permansissent (inquit enim: decimo eadem) vndecimo die statim febre vacuus esse visus est. Quòd verò in iudicio, tum delirauerit,

tum oculo dextro distorto fuerit, ex his est quæ in iudicijs fiunt. Neque enim subita quædam ipsi visa est contigisse in nono die iudicatio, sed ad vndecimum vsque extendi, in quo iam ait: prorsus intellexit. Adiecit autem: vrinæ tenues circa iudicationem, ne ipsi credamus, & certam esse existimemus, at citius morbum citò reuersurum expectemus. Nempe tum propter alia, tum propter ipsius magnitudinem, talem expectationem habere erat rationabile.

Duos intermisit dies febre vacuus, reuersa est decimoquarto confestim nocte non dormiuit, prorsus delirauit.

Completo, tum imperfecto, tum infideli circa vndecimum diem iudicio, duos ipsum intermisisse ait dies, hoc est, & duodecimum & decimumtertium: deinde rursus reuertisse decimoquarto, rursus & similibus diuexatum symptomatis.

Decimoquinto vrina turbulenta, vt fit ex his quæ subsederunt vbi returbantur, febris acuta, prorsus delirauit, non dormiuit, genua & tibiæ dolebant, ab aluo ex balanorum appositu stercora nigra exierunt.

Ad celeritatem acutiemq; febris rursus reuersus peruenit, & ob morbi magnitudinem, quem ab initio habuit, & quòd in vndecimo die in quo prima fuit iudicatio, nondum coctionis signa in vrinis essent. Dolores verò, tum genuum, tum tibiarum, vergentiæ humorum morbum parien-

tium

tium ad inferas partes signa existentia, inter bona existunt. Balani appositu nigræ deiectiones stercorosæ, malum, propter colorem.

Decimosexto vrinæ tenues, enæorema habentes nubilosum, delirauit.

Hæc quoque prehendentis ipsum secundò celeritatis sunt, tum signa, tum symptomata, si memoria tenuerimus ea quæ in prognostico demonstrata sunt, & in primo epidemiorum. Me enim sexcenties eadem dicere opus non est.

Decimoseptimo manè frigiditates extremæ, vestimentis integebatur, febris acuta, sudauit per totum corpus, leuatus est, intellexit magis, non sine febre, sitibundus, vomuit biliosa, flaua pauca, ab aluo stercora exierunt, pòst paulò nigra pauca, tenuia, vrinæ tenues, & non boni coloris

Videtur rursus decimusseptimus sudorẽ quendam fecisse, qui morbum soluere non potuit propter humorum cruditatem, ex quibus morbum contraxisse homo videtur.

Octauodecimo non mente constitit, comatosus. Decimonono eadem.

Nihil prorsus insigniter decimusseptimus hominem adiuuisse visus est: nihilominùs tamen naturalis ipsius facultas aduersus morbum visa est pugnare, & forsitan victura.

Vigesimo dormiuit, prorsus mente constitit, sudauit, absque febre, non sitiuit. Vigesimoprimò parùm delirauit, subsitiuit, dolor hypochondrij, & circa vmbilicum palpitatio perpetua. Vigesimoquartò vrinis hypostasis, prorsus mente constitit. Vigesimoseptimo ischij dextri dolor, vrinæ tenues, & habebant hypostasim, cætera habuit mitissima. Circa vigesimumnonum oculi dextri dolor, vrinæ tenues. Quadragesimò deiecit pituitosa, alba, subfrequentia, sudauit multum per corpus totum, perfectè iudicatus est.

Tertia quidem est hæc iudicatio, qua & natura aggressa est morbum soluere per sudorum excretionem in die iudicatorio, veluti & in superioribus: erant siquidem & illi iudicatorij. Addidi autem hoc nullam aliam ob causam, quàm quòd multi ex non rectè scriptis in prorrhetico errauerunt, ab Hippocratis mente valde recedentes, & ea quæ in ægris fit prænotione & ob id logiatri quidem sunt, ita siquidem vocant multi ex doctis eos qui indecorè se in operibus gerunt. Medici verò non sunt, qui ægris in prorrheticis & coacis prænotionibus fidē adhibentes, in aliud referunt testimonium eorum quæ probant, expromentes quæ in prorrhetico vel coacis prænotionibus perperàm dicta sunt, atque omittentes dicta in prognostico aphorismisq́; & epidemijs catho-

lica theoremata: & quæ in prorrhetico & coacis prænotionibus vera scripta sunt, hæc ab his qui libros hos scripserunt, ex aphorismis & prognostico, & epidemijs in ipsos tralata sunt, vt demonstraui & in his qui à me confecti sunt in prorrheticum commentarijs. Lycus autem nescio quo pacto & ipse talis plenus prauitatis, in Quintum ipsam referat, tametsi cum Quinto ne annum quidem integrum fuerit conuersatus. Satyrus & Phecianus plurimùm cum ipso versati, nullam talem expositionem referunt. Haud exactè enim scio hoc ego, quanquam vtroq; præceptore sum vsus

***

Commentarij primi in Tertium epidemiorum, Finis.

t 5

GALENI IN

TERTIVM EPIDEMIORVM LIBRVM, COMMENTARIVS SECVNDVS,

***

Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

***

NVLLVS à me vnquam scriptus est liber, nisi hoc quidam expostularent amici, & potissimùm qui in longam contenderent peregrinationem, tum eorum quæ à me ipsis dicta essent, vel eorum quæ & in dissectionibus animalium & in ægris demonstrata essent, commentarium habere rogantes. At quoniam inuulgati quidam aliis quoque studio digni esse visi sunt, qui & ipsi me sunt exhortati, vt omnes artis Medicæ partes complerem, eodem modo vt quibusdam dedi, etiam id feci. Cognoscens autem meipsum in omnibus quæ conscripseram perpetuò mentem Hippocratis exposuisse, simul & opportunissimas ipsius dictiones citasse, superfluũ esse existimaui, si expositiones in singulis dictionibus comm

commentariorum à principio omnium ipsius librorum ad finem vsque scriberem. At quoniã & has quidam amicorum habere expostularent, à maximè legitimis commodissimisq; libris Hippocratis incepi, eodem seruato libris scopo, quem & in superioribus feceram. Est autem hic, quòd quæ perpetuò vel vtplurimùm in ægris visa sunt, hæc sola scribenda, non confutando eos qui vel rara scripserunt, vel quæ nullo pacto videntur, & falsa prorsus existunt. Imò & commentarij in librum de fracturis, & librum de articulis atque etiam in librum de vlceribus, & librum de vulneribus capitis, in aphorismosq; & prognosticum ita scripti sunt. Post hæc amicos solari cupiens, commentariòs scripsi in librum de victus ratione in morbis acutis, prius quidem in libri partem vsque ad balneorũ vsum, quæ pars maximè legitima credita est: deinde & in aliam ab ipsa, nempe & hæc videtur multa in se habere iuxta Hippocratis mentem theoremata: Post hanc, expositiones libri de humoribus feci paucis, & diebus non multis, properante ad peregrinationem qui me scribere ipsum rogauerat. Cùm autem & hi bene habere viderentur (emanauerant enim in multos) ex hoc contigit, vt non solùm amici, verùm quoq; & alij ex amicis Medicis multi ad expositiones in omnes libros Hippocratis faciendas rogarent, & sanè iam feci in librum de Chirurgia, in primum & secundum

epidem

epidemiorum: à quibus cùm incepturus essem expositiones in tertium, contigit vt valde abundanter à quibusdã rogarer, vt in prorrheticum iam expositiones facerem. Fuerat autem hæc rogatio, cùm aliquando sermo nobis incideret in obambulatione de dictis in prognostico & aphorismis. Demonstrabam siquidem omnia hæc magnam habere in ægris virtutem, & siquis vt vniuersalibus, scriptis in prorrhetico omnibus mentem intenderit, valde erraturum. Talia autem esse & plurima in coacis prænotionibus demonstrabam, remixta quibusdam quidem eorum quæ in aphorismis dicta sunt, vel prognostico: alijs autẽ quæ in epidemijs, quæ & sola eorum quæ in libris illis scripta sunt, vera existunt: alia omnia perperàm habent in prorrhetico & coacis prænotionibus. Interseruntur itaque nonnulla in secundo & sexto epidemiorum, veluti & in aphorismis ad calcem alia verò omnia & in secundo & sexto Hippocratis sunt, non pauca quidem in commentarijs reperta, alia verò & cogente ipsa adiectore. Erat autem is inter filios Hippocratis probatissimus nomine Thessalus, qui exactè patris mentem est assecutus. In primo & tertio epidemiorũ, aut nihil, aut pauca prorsus quis suspicetur interserta. Vniuersalia autem in his libris theoremata prorsus pauca scripta sunt, nuda in illis eorum quæ contigerunt existente narratione, vel communi multis in statibus epidemis, vel singulis

priuat

priuatim. Completis itaque in ſecundum librum commentarijs, tres intereà vt ſcriberentur contigit, propter eos qui me rogauerunt (vt dixi) commentarij in prorrheticum: per quos demonſtraui plurima in libro illo perperàm dicta, multa quidem vt vniuerſalia, quanquàm rarò exiſtentia: multa verò & indefinita, definitionibus indigentia. Claritatis verò gratiâ, reuocabo ad memoriã vnum ex his quæ perperàm ſcripta ſunt à quibuſdam, & in prorrhetici commentarijs, & his qui in ægros epidemiorum ſcripti ſunt. Scripta itaq; in prorrhetico tali quadam dictione: febres ex hypochondrijs malignæ, nonnulli qui librum expoſuerunt, nos admonẽt ægros qui in epidemijs deſcripti ſunt, illos ſolos proferentes qui obierunt, in quibus contenſionem hypochondriorum fuiſſe ſcribit Hippocrates, tempore morbi, vel dolorem vel palpitationem, vel tale quippiam, ſubticentes ſeruatos. Hippocrates autem vt cætera in acutis morbis vtilia in prognoſtico ſcripſit, ita & de hypochondrijs in illa libri parte quæ hoc incipit modo: hypochondrium optimum eſt indolens, molle & æquale, tum in dextra, tum in ſiniſtra, hoc quidem eſt principium totius dictionis, quæ lõga eſt, in qua de hypochondrijs docet Hippocrates. Qui verò febres ex hypochondrijs malignas eſſe ſimpliciter pronuntiat, citra conuenientes limitationes quas in prognoſtico ſcripſit Hippocrates, manifeſtè errat. Nempe longè verius erat

dicer

dicere:febres ex cerebro affecto malignæ,febres ex cerebri membranis affectis malignæ,febres ex pulmone adfecto malignæ:atque etiam his magis,febres ex corde adfecto malignæ,quàm febres ex hypochondrijs malignæ,si propriè quidem intelligamus hypochondriorum appellationem,inter febres acutas leuißimæ sunt : si verò non propriè,sed cũ appellatione comprehenderimus ventrem, hepar, lienem, & septum trãsuersum,nonnullæ quidem ipsarum malignæ,aliæ mites,vt in commentarijs de affectis locis est determinatum. Hoc quidem vnum tibi sit exemplum eorum quæ non rectè in prorrhetico scripta sunt,& eorum qui(vt nuper dixi)libros inuicèm exponũt. In prorrhetico quidem ita explicant, bene inquit : febres ex hypochondrijs malignæ,nempe in epidemijs hic & ille videntur perijsse affectis hypochondrijs:In epidemijs verò cùm ad ipsos ægros venerint, rectè hũc ægrum aiunt perijsse, nempe dictum est vniuersaliter in prorrhetico:febres ex hypochondrijs malignæ. Si autem ita exponere oporteat, primùm quidem licet enuntiationem contrariam ei quæ in prorrhetico est,dicere : febres ex hypochondrijs moderatæ.Secundò ab hac ægros in epidemijs seruatos ostendere affectis hypochondrijs. Vnũ quidem hoc est exemplum(vt dixi)prauarum expositionum:alterum autem implicatarum inter se affectionum , quo & ipso frequenter vsus videtur qui prorrheticum scripsit, vt in commentarijs

ipsius

ipsius demonstraui. Implicatas dico adfectiones, in quibus plures sunt affectæ partes. potest siquidem idem homo nō in thorace affici solùm, verùm quoq; & in pulmone, & capite: fieri autem potest, vt & his adiectum sit & in ventre & in hepate. Si itaq; aliquando scripserit symptoma phrenitidis significatorium, deinceps autem & ipsi adiecerit symptoma aliud peripneumoniæ proprium, phlegmonesq́; hepatis, vel ventris, vel cuiuspiam ex alijs: deinde difficiliorem dicas disciplinam hominibus illis quibus duæ vel plures afficiuntur partes, prauam faciet disciplinam.
» *Erit siquidem sermonum modus talis: Qui inter*
» *initia comatosi fiunt, cum capitis, lumborum, hy-*
» *pochondrij, colli dolore vigilantes, ánne phreniti-*
» *ci? Naris in his stillans perniciosum, tum aliàs*
» *tum si quarto cœperit die, ventris valde rubens proluuies. Hepaticum est aliquod hoc symptoma, potens quidem & cum prædictis esse, veluti si & pleuritis vel peripneumonia comatosis illis contigerit: sed non eiusdem affectionis signum existit. Si verò quis voluerit & quæ in prorrhetico perperā scripta sunt, atq; eos qui inuicèm exposuerunt, & quæ illo in libro scripta sunt, & ægros in epidemijs, redarguere, legat cōmentarios in prorrheticū. Ego itaq; ægros tū in primo tum in secūdo libro scriptos exposui anteà, citra confutationē eorum qui perperàm exposuerunt. At quoniā multi amicorū rogauerūt me, vt in paucis*
ægris

ægris nonnihil de perperàm exponentibus indicarem, coactus sum in tres ægros solos vnum explanatorium librum conficere pro ea re. Nunc puto rursus melius esse, vt eodem exponam modo reliquos, quo & anteà iam in primo epidemiorum exposui. Periclitor siquidem in alterum incidere vitium eorum qui commentariorũ tum magnitudinem tum longitudinem odio habent.

In Thaso Philistes diu capite doluit, atque etiam aliquando subsoporatus iacuit. Ex potibus autem cùm febris cõtinua fuisset excitata, dolor nocte exacerbatus est, primùm incaluit. Primo die vomuit biliosa pauca, flaua prima, pòst æruginosa plura, ab aluo stercora exierunt, nox implacida. Secũdo die surditas, acuta febris hypochondrium dextrum distentum est & ad interna procedebat, vrinæ tenues, pellucidæ, habebant enæorema genituræ simile paruũ: circa meridiẽ valde insaniuit. Tertio die implacidus. Quarto conuulsiones, exacerbata sunt omnia. Quinto manè obiit.

Tanquam memoria tenentibus quæ & in prognosticum, & aphorismos, & prorrheticum, & quæ adhuc in primũ & secundum epidemiorum exposui, ne longiùs sermonem protrahere videar, ita faciã sermonem. Hic homo rectus ægrotabat, capite dolens, vt qui ante ipsum descriptus est.

est. Sed in hoc quidem non paruum adiecit symptoma, quòd interdum ipse soporaretur: atque ab illo morbi initium adiecit: Huic quidem ex errato magno, ait accidisse: affecto siquidem valenter capite maximum malum est vini potio liberalis. In illo autem ex manifesta causa morbum cœpisse ait, vt in illo quidem nondum cerebrum existimet affectum fuisse, solius autem in capite redundantiæ humorum symptomata esse. Philistæ verò huic & cerebrum ipsum tempore affectum fuisse affectione praua: superueniente autem ex potu læsione, morbus ita magnus & validus effectus est, vt quinto die hominem rapuerit. Quæ autem in his diebus scripsit Hippocrates Philistæ affuisse symptomata, alia quidē celeritatis morbi sunt, tanquā & cerebrum nihil oblæsum fuisset: alia verò cerebri ipsius. Celeritatis itaq; morbi sunt & in vomitibus symptomata, & vrinarū qualitas: Ipsius verò cerebri & surditas, & conuulsio, & valde insanire. Quod verò ita dictum ab autore est: hypochondrium dextrum distentum est, & ad interna procedebat, fit quidem vbi à diaphragmate trahantur quæ in ipso sunt. Diaphragma verò ipsum tenditur, interdū quidem in pleuritide propter magnitudinem phlegmones costas succingentis mēbranæ, interdū verò propter principium neruorum retrahens ad se eos qui ad diaphragma pertinēt neruos propter propriam phlegmonē. At nunc ex tribus his ratio-

nabilius est propter neruorum tensionem retractum ipsum, retraxisse hypochondrium. Vt plurimùm itaq; & vtraq; hypochondria in talibus affectionibus intrò procedunt. Contingit autem nonnullis alterum solum, vbi principij neruorum altera quidem pars fortius fuerit affecta: altera verò vel nullo modo vel moderatè.

Chærionem qui apud Demænetum habitabat: ex potu ignis prehendit, confestimque capitis grauitas cum dolore: non dormiebat, aluus turbulenta quibusdam subbiliosis. Tertio die febris acuta, capitis tremor, & maximè labri inferioris. Paulò pòst rigor, conuulsiones, prorsus desipuit, nox inquieta. Quarto quietè habuit, parùm dormiuit, delirauit. Quinto cũ dolore, omnia exacerbata, delirus, nox inquieta, non dormiuit. Sexto eadem. Septimo superriguit, febris acuta, sudauit per totum, iudicatus est. Huic perpetuò à ventre deiectiones biliosæ paucæ, meræ, vrinę tenues, boni coloris, enæorema nubilosum habentes. Circa octauum minxit melioris coloris vrinas, quæ haberent sedimentũ album paucum, mente constitit, sine febre intermisit. Nono reuersa est. Circa decimũquartum febris acuta. Decimosexto vomuit biliosa, flaua, submulta. Decimoseptimo superriguit, febris, absq; febre iudicatus est, vrinæ

vrinæ post reuersionem & crisim boni coloris, sedimentum habentes, neque in reuersione delirauit. Decimooctauo paulùm incaluit, subsitiuit, vrinæ tenues, enæorema nubilosum, parùm delirauit. Circiter decimumnonum sine febre, collo doluit, vrinis subsidentia. Vigesimo perfectè est iudicatus.

Homo hic ex multitudine & maximè biliosorum ægrotasse videtur. Si autem in ipso inquisiueris & quæ diebus iudicatorijs demonstrata sunt, & quæ de vrinis, reperies conuenientem iuxta rationem ipsum vigesimo die perfectè liberatum. Quædam verò exemplaria non habent in calce narrationis adscriptum: vigesimo, quanquam probatißima quæque ita scriptam dictionem norint.

Euryanactis filiam virginem ignis prehendit. Hæc per totũ morbum nihil sitiebat, nulla edulia adsumebat, ab aluo pauca, vrinæ paucæ, tenues, non boni coloris: incipiente febre circa sedem dolebat. Sexto die sine febre erat, non sudauit, iudicata est, quod circa sedem erat parùm suppurauit, & vnà cum iudicatione erupit. Post iudicationem septimo die riguit parum, incaluit, sudauit. Post iudicationem octauo riguit non valde, postea extremitates perpetuò frigidæ. Circa decimum post sudo-

rem factum delirauit, & rursus citò mente constitit, ferebant autem quòd racemũ gustasset: hæc pati. Intermittens autẽ duodecimo, rursus valde delirauit, aluus turbata est biliosis exeuntibus, paucis, meris, tenuibus, mordentibus, frequenter desurgebat. Septimo die à qua postremò delirauit, defuncta est. Hæc incipiente morbo fauces dolebat, & perpetuò ruborẽ habebat, gargareo reuulsus, fluxus multi, parui, tenues, acres, tussiebat, maturum nihil efferebat, omnia edulia fastidiebat toto morbi tempore, nihil concupiuit, sine siti, non bibebat aliquid effatu dignum, tacebat, nihil loquebatur, mœsta, de spe deiecta erat. Erat autẽ aliquid tabidosum innatum.

Posteà quàm enarrauit quæ huic laboräti ad mortem vsque facta sunt, morbi totius occasionẽ ipse adiecit, ex qua conuenienter interijt. Ait siquidem à capite ipsi ad pulmonem factas fluxiones malas faucibus & gargareoni nocuas. Adiecit autem & narrationi: erat autem aliquid tabidosum innatum, quod memoria tenere oportet, & non credere sophistis nullum esse affectũ, congenitum dicentibus: sed hoc quidem ipsum per se solum non tam citò ipsam interfecisset. sed implicata huic affectui naturalis facultatis extinctio citò moriendi causa fuit. significata autem ipsa est per totã dictionem. Erat autem sine siti perpetuò

petuò, edulia non adsumebat. De malignitate horum symptomatum dixi in libro qui hunc antecedit, & Hippocrates ipse ad calcem narrationis rursus indicans, vt consueuit, quæ ægris tum salutis tum mortis causæ fiunt, adscripsit: omnia edulia fastidiebat per totum morbi tempus, neq; aliquid concupiuit, sine siti, summum ciborum odium ipsi adfuisse indicans, vt neque in desiderium rei alicuius perueniret, quale habent nonnulli eorum qui omnem cibum respuunt ex recordatione, vbi anteà aliquando suauiter cibarentur. Videmus siquidem quotidie nonnullos eorum qui in morbis non appetunt, simul vbi quippiam gustarint, ipsum auersari: alios neque gustare ausos. Attamen ex his plerique interrogantibus ipsos si quippiam desiderent, respondent edulia quædam, memores eorum, quibus anteà id facientes oblectarentur. Et maximum vtique signum tibi sit facultatis ciborum desideratricis in perfecta positæ extinctione, si parata hæc quæ se desiderare dicunt, simul atque gustarint, tum culpent tum non ampliùs ingerant: his etiam pessimè habentibus, deterius adhuc habent qui nihil desiderant, summam extinctionem naturalis virtutis indicantes, qua tum cibos tum potus appetimus. Ob hæc itaque defuncta muliere, non est vltrà nobis opus consideratione differentiarum exemplarium, & de dierum inquisitione discutiamus. Nullum enim ipsis habentibus ordinem,

quoniam, à capite destillatio, & congenitum tabidosum causa essent mortis, ob id & exemplarium discordiam, iudicatu difficilem simul & superfluam existimans, prætermisi.

Anginosæ quæ circa Bitonis habitabat, primùm à lingua cœpit obscura vox, lingua rubens, inaruit. Primo die horrida, incaluit, rigor, febris acuta, œdema subrubrum, durum: colli, & in vtranque partem pectoris, extrema frigida, liuida, spiritus sublimis: potum per nares reddebat, deuorare non poterat, deiectiones & vrinæ substiterunt. Quarto cuncta sunt exacerbata. Quinto anginosa periit.

Neque in omnibus exemplaribus ita reperitur scriptus finis dictionis, neque ab interpretibus libri omnibus cognitus videbitur. Sed horum quidam pro quinto septimum scribunt, alij autem octauum. Capito autem nescio quidnam ipsi visum sit, & diem & anginosam sustulit, atque ante hæc aliquid, nempe hoc: quarto omnia exacerbata sunt, sine quarto scribit, finem totius dictionis talem efficiens: deiectiones & vrinæ substiterunt, omnia exacerbata sunt, obijt. De meliori itaque scriptura posteà considerabimus. Priùs autem ex dictis in ipsa explicabimus quæ manifesta non sunt. hoc siquidem est, quod maximè proposui in explicatorijs libris. Videtur autem oratio: spiritus sublimis, non esse manifesta.

Nimirum

Nimirum Sabinus de ipsa in hac dictione scri-
» *psit: Sublimis autem erat respiratio, id est, per*
» *summam narem respirabat, propter arteriæ phle-*
» *gmonem præclusa via, vt spiritus attractio ad*
» *pulmonem non amplius fieri posset. Obscura au-*
tem est & Sabini ipsius oratio, vt interprete rur-
sus altero indigeat. Videtur autem mihi velle
indicare illos summa nare respirare, qui cùm re-
spirant, pinnas ipsius naris mouent. Multos si-
quidem ægros ita respirantes videmus, vt in in-
spirationibus quidem ipsas dilatent: contingitq́;
hoc ijs qui ob anginam strangulantur, vel perip-
neumoniam, vel empyema: contingitq́; & his qui
imbecilla sunt virtute. Quo itaque modo in ægris
fiat, nunc non est necesse dicere: at quónam pacto
propter angustiam respirationi deputatorum or-
ganorum fiat, nunc dicam, confestim & propter
quid sublimem appellauit spiritum Hippocrates
talem, simul expositurus. Videntur siquidem ita
affectis summæ thoracis partes ad omoplatas v-
que moueri: & rationabile est hoc, dici nunc ab
ipso fieri sublimem spiritum, non solùm in cy-
nanchicis, verùm quoque & in peripneumonicis
& empyicis appellatis affectibus: fit autem &
citra febres impropriè appellatis orthopnoïcis,
& asthmaticis, de talibus siquidem acciden-
tibus nomen vtrunque affectui huic est imposi-
tum, asthma quidem propter solicitantem respi-
rationem, quæ & velociter currentibus fit:

orthopnœa verò,quoniam quòd iacentes suffocentur, sese rectos figurent, alij autem & coguntur, & planè exurgunt. Scriptum autem & in prognostico in dictione quæ ita dicitur: Cynăchæ au- « tem grauißimæ quidem sunt, & celerrimè ene- « cantes, quæ neque in faucibus quippiam mani- « festum faciunt, neque in collo, sed dolorem pluri- « mum præstant, & orthopnœam. Eadem itaque « causa & orthopnœam parit strangulantibus affectibus, & appellatum nuper sublimem spiritum. Nempe secundum naturam habentes, vbi in requie omnium fuerimus voluntariarum actionum, solis thoracis partibus quæ ad septum sunt transuersum, respiramus, vt in commentarijs de respirationis causis demonstratum est: ampliore autem inspiratione indigentes, & continuas infernis simul mouemus: vbi verò plurima indigemus, & partes in omoplatis mouemus, omni thorace violenter operantes. Sed hoc quidem sanis nobis fit, vbi celeriter cucurrimus, aut quouis modo vehementer moti sumus, propterea quòd ampliori indigeamus inspiratione: in peripneumonijs verò, & suppuratione plenorum eductionibus, vel affectibus, & orthopnœis cum febre, propter angustiam respirationi deputatorum instrumentorum tantam aëris substantiam excipere non valentium quanta animal opus habet. Non satiatus itaque respirationis vsus periculum inducit suffocationis, atque ob id coguntur

tum

tum aßiduè tum toto thorace moliri respiratio-nem. In angina verò quæ in pulmonibus sunt spi-ritus conceptacula quibus respiramus, non obse-pta existunt: & pura: sed musculis gutturis in-flammatis, angustia fit in primum externi aëris ingressum, quem per inspirationem attrahimus, vt & nunc in altera quidem causa fit. Similiter autem & incompletus fit respirationis vsus, vt fit in asthmaticis, suppuratione plenis, & peri-pneumonicis. Ob id qui suffocantur, ad surrectio-nē excitātur, & ad externum aërem toto thorace violenter attrahendum. Hac quidem ratione anginosis sublimem appellatum spiritum ratione quis dixerit. Fieri autem potest, vt & quia sese erigere velint, ita dicantur, idem significāte sub-limi spiritu quod apud prognosticum orthopnœa. Scriptum est autem & in enarratione præsentis in hoc sermone anginæ: quòd & potus ad nares propulsabatur. Fit autem id deuorare ipsum ne-queuntibus, vel propter angustiam meatus ad stomachum, vel propter ipsius mortificationem & resolutionem, pernitiosum summè vtrunque existens, veluti & quod ita ab ipso præscriptum est tertio die: extrema frigida, liuida. Præfatus siquidem: tertio rigor, febris acuta, subintulit: ex-trema frigida, liuida. mortificationis autem & extinctionis calidi natiui signum est extremorū tum frigiditas tum liuiditas in acutis febribus facta. Sic itaque contigit ægrotanti & deiectio-

num & vrinarum retentio, tanquàm iam mortificatis functionibus omnibus: & ideo credibile est neq; septimo die neq; nono perijsse hominem, neq; enim virtus ad tantum tempus sufficere poterat, quæ iam tertio die & symptomata & signa haberet naturæ refrigeratæ: consuetusq; Hippocrates in ita acutis morbis quæ quotidie fiunt, scribere, non prætermisisset aliquid de quinto & sexto diebus dicere. At quoniam ex cōpleta tertij diei enarratione, quarti solius meminit, omnia in ea exacerbari asserens, & magis adhuc est manifestum, quòd impossibile esset ad septimum vsque vel octauum mulierem vixisse. Admirabiles siquidem transmutationes quæ rarò fiunt propter robur naturæ, & nos sæpiùs vidimus, & Hippocrates ipse in ægrorum enarratione scripsit: simulq; hoc ipsum significauit, & demonstrauit melius ægrum habere: sed nunc tertio die cum febre acuta extremis tum frigidis tum liuidis factis, retentusq; & his quæ meiuntur, etsi non adscripsisset: quarto omnia exacerbata sunt, prorsus circiter diem quintum obijsset. sed quoniam & hoc adscripsit, atq; adhuc magis quis cōfisus affirmauerit ita habentem non ad sextum diem viuam peruenturam, & minùs quidem in septimum vel octauum accessuram. Dignum igitur admiratione quomodo subscripserit qui primus characteras subscripsit, ita vt ipsa octauo die perijsse significaretur: atq; hoc adhuc magis, quomodo

Zeno & Herophilus vir non contemnendus præscriptos in tertio epidemiorum characteras exponens, & ipse anginosam octauo die defunctam ait, atq; hoc significari per tales characteras: πτ, δ, ε, κ, θ. Horũ characterũ primus quidẽ πιθανὸν, id est, credibile significat, per πτ literam scriptus mediam rectam lineam habens, vtrinque alijs lineis æquè distantibus, veluti quidam scribunt numerum nongentesimum significari, & perpetuò in omnibus ægris hoc significat, omnibus sequentibus characteribus præscriptus. Character autem ad finem ipsorum scriptus, hic quidem mortem indicat, litera θ significante: in alijs autem ægrotantibus litera υ, ὑγιείαν, id est, sanitatem indicante. Character verò qui ante vltimum scribitur, numerum dierum perpetuò significat, in quibus ægrotauit propositus vbiq; in sermone æger. Characteres verò in medio tum huius tum primi omnium, causam indicant qua seruatus æger fuerit, vel perierit: veluti in anginosa hac duo sunt characteres, alter quidẽ qui primum omnium sequitur, qui per medium rectam lineam habens scriptus est πτ: atq; ab hoc deinceps alius atq; alius. Qui itaq; primum omnium sequitur cuius medium linea obtinet, est elementum δ, habẽs à media quæ deorsum est linea suiipsius lineã alterã rectã ad infernas partes actã, vt ι scribim⁹: sequẽs character est ε litera. Ex hiis autẽ deinceps Zeno ait διαχωρούντων ἐπίσχεσιν, id est,

id est, deiectionum retentionem significari, reflexo ∂ ad inferas partes, quouis modo deiecta significante. Nempe & ipsum ait sudoris esse signum, non solùm vrinarum vel deiectionum: ε verò ἐποχὴν vel ἐπίσχεσιν, id est, retentionem ipsarũ, vtrouis modo appellare volueris, vt tota signorum intelligentia talis sit: credibile est deiectionibus retentis octauo die periisse cynanchicam. Demiror itaque (vt dixi) cùm exactiora exemplaria habeant quintum diem, consentiente scriptura & litera ε (vt paulò antè demonstraui) & ipsum Zenona octauum diem scriptum agnoscere, & contradicentes ipsi nonnullos de hac re quidem nihil dixisse, sed de characteribus ipsum redarguere, quòd secundam literam permutauerit, & fecerit reflexum ∂, non ita habente in tertio epidemiorum scriptura, sed post primum characterẽ ϛ scriptum, velut illi inquiunt. Sed iam hoc in loco reliquus longus quidam & multus irrepit sermo. existimabit enim quispiam ab Hippocrate adiectos ægris characteras, si qui contradicunt Zenoni, τὸ ϛ dicant scriptum esse, non deorsum reflexum ∂: at si quis legerit libros contradicentium Zenoni, qui neque Hippocratis dicunt esse characteras, librumq́; aliquem repertum Ptolemæi appellati Euergetis, qui haberet ipsos collectos à quodam Medico Pamphilo, generis ex ciuitate Indica, sed de Cleophantij secta. Audias autem & causam ob quam libro inscripsit chara-

ra

racteras hos Mnemon, à quo discedere ad se visi sunt qui Zenoni contradicunt, neque Hippocratis esse, neque ita scriptos characteras, vt ipse exposuit, asserentes. Videntur itaque & hucusque dicta superflua esse, & nihil commoditatis allatura ad opera artis, his qui lecturi sunt, ad quæ eum festinare oportet, qui in ipsa exercetur. At quoniam quòd ipsi scripti essent, visum est amicis (quibus credens, in primo libro confutationes quasdam scripsi eorũ quæ perperàm in ægris exposuerunt) vt aliquid dicerem & de his characteribus semel in hoc libro: quod vt facerem animum induxi, non ignorans quod perpetuò dico, quæ à recentioribus Medicis in cõmentarijs scripta sunt, tempus quidem nobis consumere, medicinale verò docere nihil, propter quos & ego medicinales tractationes seorsum per se feci. Quas verò aduersus sophistas paraui, quoniam & his recentiores indigere video qui ab ipsis peruertuntur, has ipsas rursus per se, vt siquis ex abundantia occasionem nactus fuerit ipsas euoluat, vt aduersus sophistas hostes paratus sit. Sic itaque & nunc cùm res inutilis sit ad probè sanandum quod ex his est characteribus, non cunctabor tamen totum persequi, quoniam amicis ita visum sit. Erubescerem autem ad tales conuerti nugas, nisi priùs in tractationibus multis omnia quæ ad medicinalem artem spectant vtilia persecutus, ita ad Hippocraticorum librorum explanationes

nes

nes venirem: in quibus nihil quidem discere possunt, qui artem discunt absq; his quæ in medicinalibus tractationibus per decursum manifestè scripsi, ita vt qui mente obtusi sint, quæ dicuntur assequi possint: narrationis verò cognitionem obtinebunt, ob quam pleriq; hominum demirantur interdum quosdam ex his qui artes tractant, existimantes eos qui multa legerũt retinuerũtq;, statim & artis theoremata dignoscere. Et nunc itaq; dicam omnem de characteribus historiam, quoniam hoc videtur & amicis & familiaribus melius esse, vt semel hic fiat. Quæ itaq; sum dicturus, à Zeuxide dicta sunt in primo in librum hunc commentario, & forsan erat melius (vt cõsueui in talibus facere) remittere volentes hanc historiam nosse, ad librum illum. sed quoniam Zeuxidis commentarij non ampliùs affectati, rarescunt, ob id voluerunt meipsos percurrere, principium ipsum à Mnemone faciendo. Nonnulli siquidem aiunt ipsum accepisse tertium epidemiorum ex magna Alexandriæ bibliotheca, vt legendum, & explicando characteras hos similibus tum atramento tum literis interseruisse: alij & & ipsum ex Pamphylia asportasse, & regẽ Aegypti Ptolemæum ita librorũ ambitiosum fuisse, vt & adpellentium omnium libros ad se deferri iuberet, & hos in nouas chartas scriberet, daretq; scriptos dominis à quibus adpulsis libri ad ipsum asportati essent, & aduectos libros in bibliothecis

repone

reponeret, essentq́; ipsis inscriptiones: Libri ex nauibus. Vnum autem aliquod aiunt repertum vel tertium epidemiorum inscriptum. Ex nauibus iuxta emendatorem Mnemona Siditen: alij autem non iuxta emendatorem inscriptum aiunt, sed simpliciter nomine Mnemonis: quoniam & aliorum omniū, qui vnà cum libris adpulerant, regq́ ministri nomen inscribebāt libris qui in apothecis recondebantur. neq; enim statim in bibliothecas ipsos ferebant, sed priùs in domibus quibusdam cumulatim deponebant. Quòd autem Ptolemæus ille circa antiquorum librorum comparationem ita solicitus esset, non paruum esse testimonium aiunt quod cum Atheniensibus fecit. Nempe dato ipsis pignore quindecim talentorum argenti, accepit Sophoclis, Euripidisq́; & Aeschyli libros, vt solùm scriberet deinde statim saluos redderet. Vbi autem magnificè in chartis optimis parauit, quos quidē ab Atheniensibus acceperat retinuit: quos verò ipse parauerat, ad ipsos misit, rogans vt quindecim talenta tenerent, acciperentq́; pro veteribus quos dedissent libris, nouos. Atheniensibus itaq; si & non nouos libros misisset, retinuisset verò antiquos, nihil aliud faciendum erat, qui vtiq; argentum ex tali conditione acceperant, vt ipsi hoc detinerent, si & ille libros detineret: atque ob id nouos acceperunt libros, & argentum detinuerunt. Mnemon itaque siue ipse librum asportauerit, siue ex biblio-

theca

theca accepto interseruerit, videtur quæstus gratia id fecisse. Solum enim seipsum scire asserens quæ characteres significant, lucrum ex ipsorum expositione faciebat: quod si ita haberet, credibilius est librum in bibliotheca repositum, ab ipso adornatum. longè siquidem maiorem erat habitura fidem ipsius expositio, bibliotheca regia habente characteras. Si autem librum è domo asportasset, suspectus fuisset. Non dubitarem referre scriptas demonstrationes ab Heraclio tum Tarentino tum Erythræo, quòd caracteres interserti essent, nisi mentem habentibus hoc compertum esse existimarem, & à tali multiloquentia celeriter liberari festinarẽ. Redeo itaque ad id quod vtile est, cuius gratia & ægrorum horum historiam ad memoriam reuocamus. Ridiculũ siquidem est ob id periisse existimare hominem, quòd deiectionum retentio facta fuisset: non enim propter retentionem periit, sed quòd ipsi contigit detineri ob id deiectiones, tendentibus ad extinctionem naturalibus functionibus. non enim quòd frigidæ & liuidæ extremitates tertio die fuerãt, ob id periit: sed quòd moreretur, & mortificaban tur hæ. Et Hippocrates ipse tanquam vaticinatus, ad calcem expositionis adscripsit: obiit anginosa quanquam ab initio statim prædixisset: Anginosæ quæ circa Bitonis habitabat. Sed adiectio ad calcem talem quandam habet demonstrationem: periit mulier hæc ob anginam. Scripsit

pſit autem ita & in prognoſtico de lethalibus anginis: Ipſæ enim eodem die ſuffocant, & ſecundo & tertio. Par erat igitur & propoſitam in hoc ſermone mulierem ob id tertio die perire, cùm extremitates frigidæ & liuidæ eſſent, & deiectionum retentio facta eſſet, quapropter conijcere oportet vires ipſius validas ad quintum vſque diem ſuffeciſſe: vt autem ad octauum ſuffeciſſent, fieri non potuit. Sed de his quidem ſatis. Intellexerit autem quiſpiam, quòd ſiue Hippocrates curationem mulieris huius ſuſceperit, ſiue vnà cum curante conſiderauerit, prorſus etſi nihil aliud, ſanè paruum cataplaſma impoſuit, aut diaclyſmation ipſi dedit. Probabile itaque erit prætermiſſa eſſe in narratione reliqua auxilia in ægrotante adhibita, & venæ ſectionem: ſolùm autem clyſterem & balani adiectionem non præſertim, ſed obiter ſcripta eſſe. Nēpe exponens & quæ meiuntur, & quæ vomuntur, & quæ per ventrem deijciuntur, adſcribens autem & retētionem ipſam, vbi nihil æger per ſe excreuit, in his obiter adiecit vnà cum qualitate excretorum, glandis vſum & parui clyſteris.

QVID SIGNIFICENT CHARACTERES SINGVLI.

VOlebam quidem me prorſus iam ab hac de characteribus loquacitate retrahere: ſed

quoniam amici sermonem totum absolui requirunt, atque à me bona pars nugarum harũ peracta sit, quod reliquum est, adijcere non cunctabor. Decreueram itaque, veluti consueui sermones nihil ad artem conferentes seorsum scribere, sic & rei huic librum vnum per se scriptum tribuere, vt qui in talibus inaniter laborare vellet, nugis inutilibus operam darent. Sed quoniam video secundùm hunc commentarium iam praeuenisse, & prolixitatem effatu dignam accepisse, vt non ampliùs possim in ipso reliquos aegros exponere, & pestilentem statum ab ipsis, scriptum addere, neque tamen status expositionem distrahere velim, vt pars quidem ipsius in hoc commentario scripta sit, reliqua verò in sequenti: ob id & sermonem de characteribus in hoc complebo, harum circũcidens nugarum multitudinem. Nã si quaecunque dicta sunt ab horum characterum scriptoribus, in inquisitionem agam, & quae rectè dicta sint, & quae aliter, dijudicauero: non vno ad hoc libro habebo opus. Antecedit itaque (vt dixi) omnes, qui mediam lineam habet πι, perpetuò indicans πιθανὸν, id est, persuasibile: character autem finem faciens, videtur litera scripta vel υ, vel θ: illa quidem ὑγίειαν, id est, sanitatem, haec verò θάνατον, id est, mortem significans. Ante autem characteras hos ponitur dierum numerus, in quibus aeger, vel laborauit, vel perijt. Medij autẽ characteres omnes quidem

sunt

ſunt ex literis quas vocis elementa ſignificant, præter δ deorſum reflexum. Quámnam autem intelligentiam ſinguli habeant, oſtendam. Memores igitur quòd qui præcedunt finem facientes characteras, à quibus mortem vel ſanitatem ſignificari diximus, numerum dierum indicent: de alijs qui in medio horum & principij ſcripta ſunt, faciam ſermonem, α quidem ἀποφθορὰν, ἀπώλειαν indicat, id eſt, corruptionem: γ verò vrinam genituræ ſimilem: δ reflexum, cuiuſmodi eſt quod deorſum hoc habet modo ſcriptum δ, ἱδρῶτα & διάῤῥοιαν & διαφόρησιν, id eſt, ſudorem, diarrhœam & euaporationem, & (vt ſummatim dicam) euacuationem, quamcunque ſignificare velint: ε autem ἐποχὴν indicat, id eſt, retentionem, ἕδραν, id eſt, ſedem: ζ autem ζήτημα, id eſt, quæſtionem: θ verò θάνατον, vt prædictum eſt, id eſt, mortem: ι verò ἱδρῶτα, id eſt, ſudorem: κ verò κρίσιν, id eſt, iudicationem, vel cœliacam affectionem: μ verò μανίαν, id eſt, furorem, vel μήτραν, id eſt vterum: ν verò νεότητα, vel νέκρωσιν, id eſt, iuuentutem vel extinctionem: ξ verò ξανθὴν χολὴν, id eſt, flauam bilem, ξένον τι, id eſt, peregrinum aliquid & rarum, & ξυσμὸν & ξηρότητα, i. ramentum & ſiccitatem: ο autem ὀδύνας vel οὖρον, i. dolores vel vrinam, aliqui autẽ aiũt quòd vbi υ ſuprapoſitum habuerit, vrinam tũc ſignificat ipſum ſcriptum, vt conſueuerunt ita ſcribere ῡ: π autem

indicat πλῆθος, *id est, multitudinẽ, vel* πτύελον, *id est, sputum, vel* πυρὸν, *id est triticum, vel* πυρετὸν, *id est, febrem, vel* πνεύμονος, *id est, pulmonis vitium:* π *verò habens in medio* ι *(vt prædictum est)* πιθανὸν, *id est, credibile oſtendit:* ρ *verò* ῥύσιν *vel* ῥίγος, *id est, fluxionem vel rigorem:* φ *autem* φρενῖτιν, *vel* φθίσιν, *id est, phrenitidem vel phthiſin:* σ σπασμὸν *vel* στομάχου *malum, id est, conuulſionem vel ſtomachi malum, vel* στόματος, *id est, oris:* τ *verò* τόκον, *id est, partum:* υ *autem* ὑγιείαν, *id est, ſanitatem, vel* ὑποχόνδριον, *id est, hypochõdrium:* χ *verò* χολὴν *vel* χολώδες, *id est, bilem vel bilioſum:* ψ *autem* ψύξιν, *id est, frigus:* ω *verò* ὠμότητα, *id est cruditatem.*

Adoleſcentulum qui in mendacium foro iacebat, ignis prehendit ex laſsitudinibus, laboribus, & curſibus præter conſuetudinem. Primo die aluus turbata, bilioſis multis tenuibus, vrinæ tenues, ſubnigræ, non dormiuit, ſitibundus fuit. Secundo die omnia ſunt exacerbata, deiectiones plures, intempeſtiuiores, non dormiuit, mens turbata, aliquantulum ſudauit. Tertio die inquietus, ſitibundus, anxius, multus proiectus, perplexus, delirauit, extremæ partes liuidæ & frigidæ, hypochondrij diſtentio ſubmollis ex vtriſque. Quarto non dormiuit, in deterius, Septimo obiit, ætate circiter vigeſimum.

Cæp

Cœpisse quidem ipsi morbum ait ἐκ κόπων, id est, ex laßitudinibus propter insuetas exercitationes ortis. Scimus enim quòd πόνους vocat gymnasia & exercitationes, sicuti & κόπους corporis affectionem, in qua si quis etiam parum moueatur, tensiuus sensus vel vlcerosus ipsius fit. Quia verò πόνοις, id est, gymnasijs cursus adiunxit, superfluè videtur πόνους adscripsisse: continentur siquidem vt genus in specie, in cursibus, ideò quidem pro πόνων, πότων scripserunt, permutantes primum ν secundæ syllabæ, in τ. Sequẽs omnis enarratio eorum quæ adolescentulo contigerunt, exemplum est acuti morbi in ætatibus facti, & maximè iuuenum. Cætera itaque symptomata acuminis morbi sunt, vnde autem quis periculum vel mortẽ præcognouerit, in primo quidem die dictum est: subnigræ vrinæ, in secundo: parum insudauit, tertio die: multus proiectus, in omnibus autem diebus nihil prorsus dormiuisse. Hæc itaque periculosa. Extremæ autem partes liuidæ & frigidæ tertio die factæ, in acuta febre lethales, atque adhuc magis in hac ætate. Hoc autem fit, vel propter excedentem magnitudinem phlegmones viscera obsidentis, aut naturali caliditate ad extinctionem properante. De hypochondriorum autem distentione submolli priùs diximus, Hippocratem tensionem citra tumorem indicare per dictam orationem. Ostendit autem distentio huiusmodi nullum ex corporibus externis

quæ in abdomine musculi sunt, phlegmone obsideri: sed vel septum transuersum, vel hepar, vel lienem, periculosa autem hæc sunt cum alijs. Mortis verò signum sufficiens est liuiditas frigiditasq; extremitatum tertio die, in febre acuta vigesimo ætatis anno facta. Ob id autem & ad septimum vsque diem suffecit adolescens, & forsan aliam ob causam, quòd viribus esset natura validis, & non solùm propter ætatem. Quæ itaque quis ex historia huius ægri cœperit vtilia, hæc sunt. Quærere autem in quánam ciuitate vocetur locus aliquis mendax, veluti apud Athenienses astutorum forum est ita appellatum, & quæ'nam talia in vnoquoque ægro quidam interpretes scripserunt, si quid in ipsis ad artis opera conferre viderem, non prætermitterem. Verbum ὀξύ, id est, acutum, in medio, tum præscripti ægri, tum præscribendi scriptum est, assignari vtrique valens, quòd vterque acutè ægrotasse videtur. Sed quoniam in præscripta ægra cynanchica, ad finem est adiectum, alijsq; quibusdam ægris ad finem expositionis adscriptum est quippiam tale, per quod vtilitas historiæ appareat, rationabilius est priori ægro adscriptum esse verbum ὀξύ. Forsan verò qui characteras adscripsit, & hoc adscripsit: sed pòst paulo in decimo ordine ægro de ita scriptis dicetur absolutè.

DE

DE ADIECTIS PRAESCRIPTO AEGRO CHARACTERIBVS.

Qvoniam verò melius sit vt pestilens status ad tertium seruetur commētarium, prædictis adijciā aliqua, quæ apud Medicos ambigunt, ex signis adscriptis adolescentis enarrationi, qui die septimo obijt. Nempe Zeno hos scripsit characteras: primum quidem omnium πι, lineam rectam in medio habens, quod πιθανοῦ, id est, credibilis perpetuò signum esse scriptum est. Secundum autem ξ, & tertiū ab ipso ζ, & quartum θ, πι, ξ, ζ, θ, ζ itaq; septimum diem significari: θ verò θάνατον, id est, mortem, sed hæc quidem in omnibus communia: ξ verò peregrinum signū vult esse. Ξένον autem, id est, peregrinum fuisse ait adolescenti in principio enarrationis, ex lassitudinibus & cursibus præter consuetudinem, in morbum incidisse ipsum. Quæ itaque aduersus Zenonem dicta sunt de primo signo πιθανὸν indicante, quoniam communia omnium ægrotantium existunt, paulò pòst, si videro, adijciam. Prius verò quæ in præsenti ægro priuatim quæruntur, consideremus, quoniam de re Medica controuersiam mouisse videatur, nempe cùm scripsisset (vt & anteà memini) non paruum volumen Zeno de characteribus: deinde alterum ipso maius Apollonius Empiricus aduersus

ipsum scripsisset:mox posteà rursus illi Zeno contradixisset, Appollonius cognomine Biblas, scripsit & ipse mortuo iam Zenone, librum de characteribus, non solùm apparatos reprehendens, sed superreprehensionem vocatam in Zenona conficiens. vt enim neque ipse probè à Mnemone apparata interpretari potuit, sed vbi sermone verisimili deficeret, characteras permutauit in expositionis abundantiam, ita contradictionem fecit, neque librum in bibliotheca regia inuentum, neq; ex nauibus asportatum, neque iuxta Bacchij publicationem habere inquiens, ita characteras vt Zeno scripsit in proposito adolescente. In hanc verò futilem loquacitatem nescio quo pacto Heraclides Tarentinus impulsus est, quanquàm perpetuò expositiones ad commoditatem reducere tentàuerit, sed nunc vtique cum Zenone magis contendere videtur, quàm vtilitati operam præstare. Facit itaque characterum expositionem, vt propter quid ʃ ante θ, quod in fine est, scriptum sit: alterum verò qui ante hunc ordinatus est, indicare aut quærendum esse, cur septimo die perierit, factu ipsi per dies pares exacerbationibus. Rationabile enim erat (vt ipse Hippocrates ait) indicationem morbi in diebus exacerbatiuis fuisse. Inquit enim : Quorum exacerbationes diebus paribus fiunt, horum & iudicationes in paribus: quorum verò in imparibus, horum iudicationes in diebus imparibus fiũt. Subiecta est autem

tem & generali indicationis significato mors. Ita quidem & Tarentinus de characteribus asseruit. Considerabimus autē siquis praeclari aliquid dicat. Nempe quòd mori quamplurimùm in diebus exacerbatiuis contingat, rarumq́; sit cō trarium, & confitendum est, & Tarentino vera dicere est permittendum: non tamen hic æger exacerbationes in diebus paribus habuisse videtur. In primo siquidem die scripsit Hippocrates quæ in morbi principio facta sunt: Secundo autem (inquit) omnia exacerbata sunt, ob morbi qui acutè mouebatur, ascensum: Tertio autem die morbum indicat auctum magis fuisse. Nempe cùm in secundo prædixisset: non dormiuit, mente turbatus erat, in tertij diei expositione scripsit: primùm quidem implacidè habuit, quod in primo die non scripserat, posteà: sitibundus, mox: anxius, deinde: multus proiectus, mox: perplexus, satq́; erat vnum horum si tertio die antè factum fuisset. secundo die deteriorem ipsum indicare, nempe non dormire vna nocte, & mentem turbatam habere, videntur aßiduè fieri in morbis acutis citra magnum periculum. Quæ verò in tertio scripta sunt, fuerunt periculosa omnia. Prætereà ob id asserit secundo deteriorem esse tertium, quòd in secundo mentis perturbationem scripserat: in tertio verò & alia quædam symptomata paulò antè dicta dixit fuisse, & mentem non simpliciter turbatam (paruum enim huiusmodi) sed de-

lirasse ait. Videtur siquidē & propter hoc ipsum symptoma tertius dies secūdo deterior fuisse, neq; tamen quòd in ipso adiecit hypochondriorū submollem distensionem non anteà existentem, subintellexerit quis ex hoc secundū ipso fuisse moderatiorem. Nempe quod viscus anteà affectu vacās, cœperit quodā affici die, illum ostendit prioribus deteriorem. Inter omnia autem dicta perniciosissima videntur hoc die fuisse symptomata, extremitatum frigus & liuor, vt (quod paulò antè dixi) mirari oporteat quónam pacto adolescens non quinto obierit die. At fortasse quis Tarentinū defendens dicat, consequenter ad dicta scriptum est: Quartus septimi index ab ipso Hippocrate dicitur, quòd factorum in ipso bonorum vel malorum exitus non minùs, imò & magis septimo quàm sexto fiat. Quomodo itaq; Tarentinus inquit, rationabilius erat adolescentem hunc sexto perijsse die, quoniam accessiones diebus paribus haberet? Nempe in tertio plurima dictorum symptomata ipsi fuisse videntur: in quarto verò aucta fuisse: suffecisse verò & restitisse ad septimum vsque diem, forsan quidem & quòd vires natura validas haberet, prætereà & propter ætatem, vt si hæc non ipsi adfuissent, quinto obijsset die. Videtur autē mihi aduersus Zenona habuisse contendens magis quàm rem exquisitè inquirens. Hoc idem passus est & Apollonius, qui & ipse ʒ literam secundo loco inter characteras

positam

positam exponit. Sequuti ipsum sunt & alij mul ti, & maximè quòd primùm quidem Medicum aliquod theorema absque characteribus commodum exponere dicat: deinde quòd & ipsis verum esse visum sit quod ab eo est dictum, ob id siquidem obijsse adolescentem ait, quòd præter consuetudinem in lassitudinibus & laboribus & cursibus fuisset. Ego verò labores quidem & cursus, si plures exercitationes hac appellatione significentur, pertinenter affirmauero nequaquā mortis causas fuisse, nisi in corpore morbosus apparatus antè fuisset. De potibus autem secūdùm aliquos (nempe ita transcripsisse quosdam dixi) nihil habeo quod manifestè dicam in hoc adolescente, quòd neque qualitatem neque quantitatem potuum cognoscam, cùm multa in ipsis sit differentia. nam & ipso tempore differunt potus: nonnulli quidem in duobus & tribus diebus, alij verò his multiplicatis fiunt: & quæ quotidie bibitur copia, non paruam habet differentiam: atque præter hæc potus qualitas, nempe alij meracius bibunt, alij aquosius, alij temperatum, alij quoque frigidum, alij calidum, & alij horum vtrunque, aut ex consuetudine, aut præter consuetudinem biberunt aliquando. Accedit & vinorum ipsorum non parua in genere & tempore differentia. non enim eādem parit affectionem vinum nouum & antiquum, neque crassum & tenue, neque album & nigrum, neque odoratum

&

& graueolens, sicuti neque austerum & dulce. Quapropter iure dixi me nihil certi posse enuntiare de facta adolescenti læsione. Commune tamen immoderatiori potui vinorũ omniũ est, quòd neruos feriat & mentem. Non tamen insignis dominata est in adolescentis morbo læsio. neque enim conuulsus est, neque tremuit: imò neq; phreniticus factus est: atque ob id arbitror & potuũ scripturam minùs rationi consonam esse. est enim rationi magis consentaneum cruditates adolescenti præcessisse, forsan quidem & in ventre, quod si non, saltem in venis omnino: in quibus collecta est non paucorum humorum multitudo, vt demonstrant vrinæ & deiectiones tenues quidem, non tamen biliosæ redditæ. Videtur verò & biliosus aliquis ipsi humor in toto corporis habitu contineri propter labores, à quibus rationabile est desipientiam quandam factam fuisse, & febrem.

Apud Tisamenum iacebat mulier, cui ileus cum implaciditate excitatus est, vomitiones multæ, potum continere non poterat, dolores circa hypochondria, & in inferno ventre dolores, tormina asidua, nõ sitibunda, superincaluit, summæ partes frigidæ perpetuò, anxia, vigil, vrinæ paucæ, tenues, deiectiones crudæ, tenues, iuuari non ampliùs potuit, obiit.

Perperàm nonnulli scribunt in muliere hac εἰλεώδια per υ, cùm ἰλεώδια per ι scribi debeat.

Ileus

Ileus enim vocatur adfectus, cuius symptomata mulieri fuisse scribit, multos vomitus, & potus continere non posse, & dolores circa hypochōdria esse, & tormina cum doloribus in ventre, quæ omnia cum ileosis simul sunt. Quod autem deinceps scripsit, non est eorum quæ simul cum ipsis existunt, sed eorum quæ in malignum tendenti superueniunt adfectui, & maximè summas partes esse frigidas perpetuò. Prauum est & anxiū esse. Præterea & vrinas adscripsit, quanquàm adfectus in venis & humoribus non esset, sed in intestinis. Nam cùm in his cœperit magna phlegmone, prædicta symptomata fieri consueuerunt. Vocatur autem adfectus ἰλεός. *Parua igitur ex vrinis vbi bonæ sint, vt ita habentes seruentur, est spes: non parua verò in exitium vergentia, si malæ fuerint. Periclitantibus enim ita laborantibus propter intestinorum phlegmonem, si & alia quædam in corpore affectio praua esse videatur, malum simul ægro augebitur. Ita igitur consueuit Hippocrates vbi circa aliquod deputatorum respirationi organorum adfectio fuerit, vrinas inspicere, nempe si habeant secundùm naturam, ex solis respiratorijs instrumentis est periculum: si verò & hæ prauæ appareant, perperàm habere ostendunt & cibi instrumentum quemadmodùm & nunc. Quanquàm venter patiatur, & ipsius adfectio ex deiectionibus cognoscatur, tamen & vrinarum meminit vt tenuium, quæ crudis*

cruditatem succorum in venis ostendunt. Sed de vrinis quidem sis semper memor, ipsas inspiciens & in vẽtris thoraciśq; affectibus, & pulmonis & neruorum: vbi quidem si bonæ apparuerint, magnam præstãt ad salutem inclinationẽ: si prauæ, iuuant & ipsæ aliquid ad periculum ægrotantis. Existẽte autem omni ileo periculoso, qui in sublimibus consistunt intestinis, his qui crassa occupant sunt deteriores, ad sympathiam, tum hepar, tum lienem deducentes. Dignosces autem ipsos & ex vomituum assiduitate & vehementia, & quòd neq; potũ continere possunt: atq; adhuc magis, quòd nihil infra deijciant, tormina autem & dolores commonstrant; vbi hi superiores partes occupant. Quòd si & stercus euomãt (fieri siquidẽ hoc videtur) euidentissimum sit tibi signum adfectorum tenuiũ intestinorũ. Est autẽ acutissimus adfectus, atq; ob id Hippocrates ipsum scripsit, vnaq; adscripsit quòd nihil adiuuari potuerit. Memineris autẽ & huius ad sectionis venæ sermonem. Nõ enim aliud quodpiã auxiliũ scripsit in horum librorum ægris, neq; illam, non vtique ægris nõ adiutis disiectis: sed quòd auxilia in singulis scribere opus non sit, nisi quid eorum quæ raro facta sunt contigerit, vt in eo cui octauo die vena secta est. Diem verò in quo periit ipsa ægra prætermisit, vt quæ secundo statim die obiit, aut quòd plurimùm tertio propter adfectionis celeritatem, quam in enarrando ostendit.

Muli

Mulierem ex abortiuo fœtu infantis circum Pantimidem primo die ignis prehendit, lingua arida, sitibūda, anxia, vigil, venter turbatus multis tenuibus & crudis. Secundo die riguit, febris acuta, ab aluo multa, non dormiuit. Tertio die maiores dolores. Quarto delirauit. Septimo obiit, aluus perpetuò liquida, deiectionibus multis, tenuibus, crudis, vrinæ paucæ, tenues, febris ardens.

Si propter externum aliquid mulierem sanè abortire contigisset, Hippocrates ipse significasset. constat itaq; abortionem ob morbum factam esse mulieri quæ prauos succos collegerat. Adiecit orationi huic: ἐξ ἀποφθορᾶς, id est, ex corruptiuo fœtu, verbum νηπίου, id est, infantuli, indicans (vt arbitror) per adiectionem hanc, paruum esse imperfectum fœtum egressum. vocant siquidem homines νήπια παιδία, id est, pueros non multò pòst conceptionem natos. Per metaphoram itaque par est Hippocratem valde paruos ex conceptis pueros ita appellasse: nam & hi potissimum corrupti egrediuntur. Febris celeritatem magnitudinemq; per id quod inquit: ignis prehendit, demonstrauit: & ex eo quòd adiecit: lingua arida, sitibunda: verbum verò: anxia, malignitatis factæ febris signum existit. Attende mentem diligenter ad deiectionum formā. Nempe vbi scripsit: aluus turbata, tenuibus multis,

cru

crudis, etsi ipse dixerit in calce expositionis Causum ipsi adfuisse, vocauerit autem & febrem quæ primo die cœperit, & in secundo exacerbata fuerit, adieceritq́; quòd lingua inaruerit, sitibundaq́; fuerit, tamen cruda ait fuisse quæ deijciebantur. Causum verò febrem ex biliosis humoribus fieri scimus. Par est itaque mulieri huic in tota corporis mole collectum fuisse biliosum humorem: in primis autem venis, mesaræi scilicet & simæ hepatis, cruda fuisse contenta. Præterea & vrinas ait ipsi fuisse tenues & crudas similiter crudis deiectionibus, crudis redundantibus humoribus non in primis venis solùm, sed & in gibba hepatis. Febris ardens, ad calcem huius ægrotantis in multis exemplaribus adscriptum est. Nonnulla autem non hoc solum habent scriptum, sed & τὸ α adiectum, quòd vel primã hanc ægram in Causo fuisse intelligere oporteat, vel primam speciẽ huius Causi esse, quæ deinceps ab ipso scripta est in secunda muliere, cuius principium ita est: Alteram ex abortiuo fœtu. Ego verò in octauo ægro, cuius principium: Adolescentulum qui in mendacium foro habitabat, absolutiorem dixi me facturum sermonem de ita adscriptis, cùm decimũ ægrũ exponerem. explicabo & nunc ipsum, ex duobus his suspicatus adscriptum esse verbum: Causus, id est, febris ardens, ab altero quodã non ipso scriptore, quòd primum quidem non vni vel duobus ægris ad finẽ narrationis morbi formam

adscri

adſcripſiſſet: ſed omnibus vel plurimis, ſi omnino & nos has docere voluiſſet, vt multi poſt ipſum fecerunt. Sed ille tanquam his qui morbum dignoſcere ſciuiſſent, eorum quæ ægro contigerunt enarrationem fecit. Videntur autem & alij veteres in ſuis operibus non eos conte͂plari, qui nuper ad libros acceſſerunt, ſed qui iam in ipſis habitum obtinent. Confirmat autem meam opinionem præter id quod prædictum eſt, ſecundum hoc quod in ſolo epidemiorum tertio adſcriptum eſt. Omnibus itaque qui hunc librum expoſuerunt viſum eſt, ab altero quodam qui adparatos nunc characteras illos adſcripſit, & hæc iure adſcripta. Nempe in cynanchica iure quis co͂ceſſerit ab Hippocrate ipſo adſcriptum eſſe: perijt cynanchica, qui mulierem ipſam vellet obijſſe ob cynanchen, id eſt, anginam: In hac quæ nunc dicitur obijſſe, non ita intelligere eſt poßibile. nam poſteaquam dixit: Septimo obijt, intulit: aluus perpetuò liquida, deiectionibus multis, tenuibus & crudis, vrinæ paucæ, tenues. & poſt hæc deinceps ſcriptum eſt: Cauſus, id eſt, febris ardens. Nonnullis autem & α adiacet: in aliquibus autem pro ipſo ſcriptum eſt πρῶτος, id eſt, primus: in alijs verò πρώτη, id eſt, prima. librum ſiquidem hunc prorſus contaminauerunt eiuſmodi adſcriptis plerique recentiores Medici. Manifeſtum itaque quòd non vt in cynanchica ad finem adſcripſit: obijt cynanchica, eodem modo conceden-

dum ſit & nunc adiectum eſſe : Cauſus. non enim dixit, obijt καυσομένη, id eſt, febre ardente, veluti in cynanchica: obijt cynanchica. ſed & verbum, Cauſus, recto caſu ſcriptum reperitur. In medio verò tum huius, tum obijt, eſt &: aluus perpetuò liquida, & quæ huic continua exiſtũt. Quoniam ergo neque obijt καυσομένη, imò neque deinceps hæc prorſus inter ſe cohærentia ſcripta ſunt, manifeſtum euadit quòd ab aliquo interſertum ſit, & non ab ipſo Hippocrate ſcriptum. forſan verò & quis adſcripſit ſuipſius gratia, veluti ad memoriam talia in marginibus adſcribere conſueuimus ; deinde aliquis eorum qui librum tranſcripſerunt, tanquam ipſius autoris eſſet, in texturam operis tranſtulit.

Alteram ex abortiuo fœtu circiter quintum menſem, Oeceti vxorem, ignis prehendit. Incepit autem comatoſa, & rurſus vigil, lumborum dolor, capitis grauitas. Secundo die aluus turbata eſt, primùm excretis paucis, tenuibus & meris. Tertio die pluribus & deterioribus, nocte nihil dormiuit. Quarto delirauit, metus, triſtitiæ, oculus dexter diſtortus eſt, ſudor circum caput paucus frigidus: extremitates frigidæ. Quinto omnia ſunt exacerbata, multum delirauit, & rurſus celeriter mente conſtitit, ſitis, vigilia, aluus multa deiecit & mera

toto

toto morbi tempore, vrinæ paucæ, tenues, subnigræ: extrema frigida, subliuida. Sexto die eadem septimo obiit phrenitica.

Mulier ante hanc scripta infantulum adhuc fœtum, corruptum eiecit. oportet autem intelligere νήπιον ἔμβρυον, id est, infantulum fœtum (vt dixi) vnius aut duorum mensium, aut longißimè trium. Præsens verò mulier trium mensiũ fœtũ abortiuit: neq; ipsa propter aliquam externarum causarum, sed ex corporis affectione. Mulieres etenim interdũ vbi vehementius salierint, vel vbi repētè viso aliquo quod illis terrori sit timuerint, abortiunt: interdum verò propter dolorem vel cruditatem fortē, vel pharmacosi cuiusdã esum, vel omnino pharmaci potum, vel quòd adsit aliquid ex his quæ fœtum corrumpunt: imò & propter venæ sectionem, sanguinisq; ex vulnere eruptionem, vel ex immoderata hæmorrhoïde abortierũt. Noui autem quasdam & ex ipso vteri collo sanguinē profudisse prægnantes iandiu, & mox deinde fœtum eiecisse, quorum quòd nullum fuerit mulieribus scriptis in hoc sermone ab Hippocrate, est manifestũ, quòd nõ adscripserit ipsorũ expositionē, & quòd talia ipse prætermittere nõ cõsueuerit. Non ergo contigit ipsis febricitare propter fœtus corruptionem, sed contrà abortiuerunt propter febrem. Videtur autē ex hac muliere excitatus qui prorrheticum scripsit, ita dicere: Qui comatosi inter initia fiunt cum capitis, lumborũ,

hypochondrij, & colli dolore vigilantes ánne phre nitici? potest autem ipse alterum vel alterum ita habẽtem vidisse. Mulierẽ autẽ in præsenti sermone propositam, comatosam & rursus vigilẽ fuisse ait, & capitis grauitatẽ habere, & lumborum dolorem: non tamen aliquid de collo adposuit. Ait & aluum perturbatã fuisse tenuibus & meris, nihil hîc de colore ipsorũ adijciens. Fieri siquidẽ potest, vt mera, pallida, & flaua, & fulua, & rubra, & æruginosa, & nigra deijciãtur, cognoscentibus nobis Hippocratẽ ipsum ἄκρατα, id est, mera vocare quæcunq; familiarem colorẽ habent cũ altero humore impermixtũ: vt siquis finxerit biliosa deiecta mera, id est, vel flaua colore, vel fulua. nempe æruginosa & nigra adiecto colore dicere mos est tum huic tum alijs Medicis. Et nos citra adiectionem biliosa deijci quædam dicere consueuimus, de flaua bile tali verbo vsi. Ex æruginosa verò vel nigra vel altera quapiam bile, non simpliciter biliosa dicimus, sed ipsi coloris discrimen ipsis adijcimus. Et hæc in omnibus consuetudo inualuit, quòd bilis tum pallida tũ flaua aßiduè tum vomatur tum deijciatur, non solùm ægrotantibus sed & bene valentibus: rarò verò aliæ, & solùm in his qui morbosam habent adfectionem. In enarratione autem tertij diei cùm dixisset: nocte nihil dormiuit, febrisq; ardentis non ampliùs meminit, demonstrauit nobis ipsam paulò pòst deliratúram. Iure itaq; consequenter inquit:

quit: Quarto delirauit, metus, tristitia, oculus dexter distortus est, sudor circũ caput paucus, frigidus: phreniticamq; iam hominem ostendit esse, atq; ad hoc praue valde habere. Cùm autem dictis tum signis tum symptomatis adiecisset extremitatum frigiditatem, magis adhuc quis ipsam mori expectauit. Et itaq; obijt consequenter dictis symptomatis, habens quintum & sextum diem. Quæ verò vt fidem his facientia in prorrhetico scripta sunt, etsi in commentarijs in librum illum factis praua esse priùs demonstrauerim, memoriæ tamen gratia reuocabo ad memoriam & ipsa, quanquam talia scribere negauerim. Cùm itaq; dictum sit in prorrhetico: ex lumborum recursione oculorum peruersio, ob id mulieris huius meminerunt & in ipsius sermone, dictionis prorrhetici. Sunt autem (vt demonstratũ est) talia omnia praua. scientibus nobis in vniuersali peruersionem oculorum non bonum esse signum, siue ex lumborum recursione, siue quouis modo fiat: malè præterea affectatam esse enuntiationem, & ab Hippocratis dictione longè alienam. Non enim dixit: ex lumborum recursione,
» *sed vt in prognostico, in dictione hac: qui cum fe-*
» *bre circa lumbos & inferas sedes fiunt dolores,*
» *si septum transuersum relictis infernis sedibus*
» *attigerint, lethales admodùm existunt. Neq; tamen potest quis in præsenti ægra ascensum ad caput ostendere redundantium in lũbis humorum*

atq; vt hæc temerè quidam interpretum dixerũt, sic & dictionẽ hanc perperàm ex prorrhetico inferunt nunc dictis ad expositionem præsentis ægræ, in qua inquit: Ventris valde rubens proluuies mala quidem in morbis omnibus, non minimè verò in propositis. cùm non dixerit Hippocrates valde rubentem mulieri huic fuisse ventris proluuiem. Absurdius autem adhuc & huius admonent dictionis: in febribus ardentibus cum aliquantula perfrictione, deiectionibusq; aquosæ bilis multisq;, oculorum peruersio signum malum, tum aliàs, tum si catochi fiunt. nihilq; referre aiunt vel catochon vel coma dicas, non cognoscentes Hippocratem distinguere profundum coma à comate vigili. Profundum itaq; coma communitatem habet ad vocatam catochen ab Archigene & Philippo: non tamen vigilans, quod huic mulieri fuisse aiunt in morbi principio, non quo tempore oculus est distortus. Mirari licet & quòd dictionem vtranq; scripserunt in expositione præsentis ægræ, in qua inquit: ventris valde rubens proluuies, & vbi inquit: deiectionibus aquosæ bilis. neutram etenim ipsarum in muliere hac scripsit Hippocrates, neq; quòd vtram scripserit explicant: præter id quòd neq; eadem deiectio esse potuerit tũ valde rubens, tũ aquosæ bilis. Interserunt autem & alias multas dictiones, vicißim interpretantes tum prorrheticum tum ægros qui in epidemijs narrantur. Sed omnia

quæ

quæ perperàm scripta sunt reprehendere non licet, cùm dicta sit à nobis manifestè simul & absolutè in commentarijs in prorrheticum factis, talium expositionum prauitas. Phrenitis, & hoc inter adscripta connumeratur, velut & : Causus, anteà non in omnibus existens exemplaribus: neque enim in alio quopiam ægroto tale quippiam adscripsit, neque nunc ipse instituerat morborum dignotiones scribere, vt in libris de morbis inscriptis est reperire.

Mulierem quæ iacebat in mendacium foro, enixam primùm laboriosè masculum, ignis prehendit, statim inter initia sitibunda, nauseabunda, stomacho doluit, lingua arida, venter turbatus est tenuibus & paucis, non dormiuit. Secundo die parũ riguit, febris acuta, parum circa caput frigidum sudauit. Tertio die cum labore à ventre, cruda, multa, tenuia exierunt. Quarto riguit, omnia exacerbata sunt, vigil. Quinto laboriosè habuit. Sexto eadem, ab aluo liquida multa excurrerunt. Septimo riguit, febris acuta: sitis multa, iactatio. circiter occasum sudauit per totũ corpus frigidum, extremitatum refrigeratio, & non ampliùs recalescebant, & rursus ad noctem riguit, extremitates non recalescebant, non dormiuit, parũ delirauit, & rursus celeriter ad mentem rediit. Octauo cir-

ca meridiem recaluit, sitibunda, comatosa, nauseabunda, vomuit biliosa, pauca, flaua, nox inquieta, nõ dormiuit, minxit multũ affatimq; inscia. Nono remissa omnia, comatosa ad occasum, parùm riguit, vomuit amara, biliosa. Decimo rigor, febris exacerbata est, nihil dormiuit. Manè minxit multum subsidentiam non habens, extrema recaluerũt. Vndecimo vomuit æruginosa, biliosa, riguit non multò pòst, & rursus extremitates frigidæ: ad vesperum rigor, sudor, vomuit multa, nox laboriosa. Duodecimo vomuit multa, nigra, graueolentia, singultus multus, sitis laboriosa. Decimotertio nigra, graueolentia, multa vomuit, rigor, circa meridiem muta. Decimoquarto sanguis è naribus, obiit. Huic per totum morbum aluus liquida, horrens, ætas circa decimumseptimum, Causus.

Siue Athenis in astutorum foro iaceret hæc mulier, siue alia in vrbe, alijs inquirendum permittentes, contemplabimur quæ per totum morbum contigerunt, à quibus vt ipsa viueret erat impoßibile. Omnia siquidem ab initio erant lethalia, & magis admiratus quispiam fuerit, quomodo ad decimumquartum suffecerit. Sed mihi videtur ob id ad finem eorum quæ ipsi contigerũt addidisse: ætas circa decimumseptimum. liquet autem vltra id quòd valida esset ætate, & ipsam

per se

per se non fuisse naturæ imbecillæ, aliàs non suffecisset. Nempe cùm neq; aliud quippiam eorum quæ illi facta sunt vtile esset, statimq; secũdo die parum riguisset, acutè febricitasset, circa caput parum frigidum sudasset, mox rursus in quarto exacerbata essent omnia, & in septimo rursum riguisset, lingua inaruisset, & acutè febricitasset, habuissetq; præterea extremitates frigidas, neque hæ ampliùs recalescerent, quomodo non debuit ipsa mori prorsus vel nono die vel decimo? Producta est vtique ad decimumquartum diem, propter tum ætatem tum robur naturæ: quæ robur idem declarauit & in decimoquarto die faciens sanguinis eruptionem. Atenim sanguinis vacuatio morbum vtpote maximum sanatura non erat. Demonstrauit autem morbi magnitudinem præter alui symptomata, graueolentia nigrorum vomitu reiectorum. Perpetuò siquidem lethalia sunt graueolentia, vt & ipse in prognostico inquit: Omnes & putres & graueolentes odores in omnibus quæ vomitu reijciuntur, mali. Quod in calce adscriptum est: Causus, similem absurditatem habet scripto ad calcem ante hanc ægram verbo: Phrenitis.

Commentarij secundi in Tertium epidemiorum,
Finis.

*

GALENI IN TERTIVM EPIDEMIORVM HIPPOC. COMMENTARIVS TERTIVS,

*

Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

***

PRAEFATIO GALENI.

*

PESTILENTEM *statum hic scribente Hippocrate, quæ ad explicationem dicendorum vtilia sunt, superiùs à nobis elaborata, per capita commemorabo, & ita ad dictiones ipsius perueniam. Primùm quidem quòd κατάστασιν, id est, statum ita consueuit appellare, non solùm temperaturam ambientis nos aëris præter naturam, verùm quoque & omnem cuiusuis rei formam, ad memoriam reuocemus: deinde quòd propter ipsorum in id quod præter naturam est mutationem, in corporibus nostris morbi generentur. Cum his autem & ad memoriam reuocemus quæ in aphorismis*

» *ipse scripsit, ita inquiens: Ex anni conditionibus*
» *(vt in totum quidem dixerim) siccitates imbri-*
» *bus sunt salubriores, & minus lethiferæ. Morbi*
» *autẽ in conditionibus pluuijs vt plurimum fiunt,*
» *& febres longæ, ventris fluxiones & putredines.*
Reuocemus ad memoriam & quæ principium se-
cundi epidemiorum exponens scripsi. Quòd si
quis quæ dixi recordatus fuerit, & diligentia ad-
hibita ipsa legerit, ad præsentium expositionem
perueniet.

Annus austrinus, pluuiosus, sine flatibus perpetuò.

In primo quidem epidemiorum libro tres con-
stitutiones scripsit: hîc verò vnam hanc quam
nunc explicare proposuimus. Sunt verò & secun-
do epidemiorum tres aliæ scriptæ, sed liber ille non
videtur ad inuulgationem ab ipso factus, vt
tum primus tum tertius. Neq; verò præscriptum
est statim ab initio expositionis eorum quæ fa-
cta sunt, verbum constitutio in illis libris, sed
planè incipit ab expositione eorum quæ ab ipso
narrata sunt & in factis morbis, & in ambien-
tis nos aëris temperamento. In Thaso itaque (in-
quit) Autumno circa æquinoctium & sub pleia
das aquæ multæ, continuæ, molles, spirante au-
stro. Iuxta rei autem congruentiam à sequenti-
bus duabus constitutionibus incepit. In præ-
senti verò nomen κατάστασις in omnibus ex-
emplaribus habetur, non tamen quo in loco hîc
fuerint,

fuerint, significatur. Nempe cùm communis quædam gentibus multis facta pestis fuerit, narrationemq; in hoc libro faciat, in exemplaribus quidem Dioscoridis non solùm ita simpliciter scriptum est κατάστασις, id est, constitutio, sed additum est calida & humida, in medio paginæ totius scripti: veluti in alijs exemplaribus solùm κατάστασις. Inuenies autem quædam quæ neque in medio adscriptum hoc habent, veluti & alia quæ nullo pacto. Ex quibus suspicari quis poterit non ipsum Hippocratem adscripsisse verbum κατάστασις, sed forsan illos qui & characteras ad finem narrationis ægrorum scripserunt, sed hæc quidem quouis modo habuerint, nullam vel offensam vel opem ad prænotionem vel curationem adferunt. Sed ad illorum expositionem conuertamur, in quibus auxilium aliquod existit. Annus austrinus, pluuiosus, sine flatibus ad finem. Similis huic constitutioni est quæ in principio secundi epidemiorum scribitur hoc ordine: Carbunculi in Cranone æstiui, pluerat per æstum aqua larga & assiduè, fiebant autem magis austro, sed differunt inter se hæ constitutiones, & quòd per totum annum hic dicat talem fuisse ambientis nos aëris temperaturam: in secundo verò, æstate solùm, & quòd adiecit nunc: sine flatibus ad finem, quod nunc non adscripsit. Sed colligat quis ex eo quod adscripsit illo in libro: fiebant magis austro, tale quippiam significari, nempe & hic

hic annum totum fuisse ait austrinum & flatibus carentem, ita intelligentibus nobis, vt totus annus esse & dici posit flatibus carens, simul & borealis, hoc autem paulò pòst definietur. Reuocemus autem ad memoriam nos multas vidisse in aëre temperaturas, quæ & quietem & tranquillitatem haberent, non tamen inter se similiter, verùm hanc tum mollem tum humidã: illam verò tum siccam tum quippiam frigoris habentem. Hæc itaque exactè serena est, mollis verò nebulosa est, & turbidam constitutionem parit, & australem, & interdum nebularum plenam: contrariam verò huic borealis, & quòd maximè nulla appareat in aëre agitatio. sed exquisitè fuerit quod appellatur nenemon, id est, placiditas tranquillitasq́;: eundem enim habere modum videtur aër in mari. nempe vt hic perpetuò quidem est fluxus in profundo maior vel minor, non videtur verò interdum manifestè ob paruitatem, nisi angustus fuerit qui ipsum recipit locus, vt in Chalcide EubϾ & Meßina Siciliæ videtur: sic in aëre plana quidem immobilitas & stabilitas nunquam esse videtur, occulta tamen interdum propter paruitatem. Nubes quoque & in talibus à vento tranquillitatibus sæpiùs videmus, quæ consistere quidem nobis videntur, sed reuera mouentur. videntur siquidem pòst paulò in altera aëris regione, quod ipsis non contingeret, si nullo pacto mouerentur. Talem itaq; quan-

dam & nunc existimare oportet in toto anno fuisse constitutionem, quæ tantùm differt à constitutione quæ fuit in Cranone in secundo libro dicta, quanto diuturnior. Communis tamen in vtraq; constitutione affectus est putredo, communem habens & causam humiditatem cum ventorum carentia. Videtur autem ex materia quidem humida omnis fieri putredo: causa verò effectrice, externo & præter naturam calore, simul verò ab immobilitate augeri. Quòd itaque nihil exquisitè siccorum putrescat, omnes videmus, neque enim lapis, neque fictile, neque aurum, neque argentum, neque æs, neque aliud quippiam tale videtur putrescere. Quòd autem & quæ natura putrescere possunt, plurimùm permanere in temperaturis frigidis videantur, neque hoc quispiam ignorat: adhuc autem magis, vbi talibus flatibus flabellentur. Vestimenta denique assiduè concutiunt homines, & maximè vbi calidus & humidus aër fuerit, tanquam ipsa putrefaciat immobilitas. Sic & arteriarum motus in animalibus tum alia quædam vtilia, tum auxilium tale præstant. Dicit autem & Hippocrates ipse in aphorismis, vt superiùs dixi, in pluuijs fieri putredines. Quòd itaque necesse erat humiditates corporum putruisse, ex his liquet. Deinceps videamus vnumquodque particularium, dictionem ipsius consequuti.

Squaloribus autem superioribus tempo-

ribus

ribus ad annum factis, circiter Arcturum, flante austro, pluuiæ multæ.

Didicisti iam in constitutionibus primo libro descriptis permutatam esse ambientis nos aëris temperaturam, ex tum salubri tum naturali sibi ordine: didicisti & qualísnam sit hæc constitutio, & quatuor ipsius esse in id quod præter naturam est, simplices, & quatuor alias compositas transmutationes. simplices quidem sunt iuxta caliditatem solam, & frigiditatem, & humiditatē, & siccitatem: compositæ iuxta caliditatem & humiditatem, frigiditatem & siccitatem, frigiditatem & humiditatem, & caliditatem & siccitatem. Nunc itaq; memor eorum quæ didicisti, narrationem factæ constitutionis assequere, dicente Hippocrate: Squaloribus autem superioribus temporibus ad annum factis, deinde ab hoc memorante: flante austro, circiter Arcturum, pluuiæ multæ. Videtur siquidem iam anno superiore non seruata esse exquisita ambientis nos aëris naturalis temperatura, neq; tamen illo in tempore fuit morbus aliquis morborum epidemiorum appellatorum. Nempe & in aphorismis ita ipsum scripsisse didicisti: Constitutionum anni in totum quidem squalores imbribus salubriores, & minùs lethales. Adhuc autem magis nullus factus est morbus eiusmodi, quòd in siccitate tantum euicerit temperaturæ euersio, nulla altera oppositione permutationem accipiente, vt vel calidus,

vel

vel valde frigidus factus esset aër. Sed subita repentinaq; in contrarium mutatio, circiter Arcturi exortum facta esse videtur, præcedit autem exortus ipse paruo spatio autumnale æquinoctiū. Qualis autem fuerit ab hoc exortu autumnus, deinde hyems & consequentia ipsam anni tempora, dictiones consequuti ipsius discemus.

Autumnus vmbrosus, nebulosus, aquarum copia, hyems austrina humida mollis.

Σκιώδες, id est, vmbrosum dixit, acsi dixisset ζοφῶδες, quod significat neq; λαμπρὸν, id est, neq; lucidum, neq; καθαρὸν, id est, neq; purum, neque exquisitè αἴθριον, id est neq; exquisitè serenū. Cōsueuerunt siquidem & qui Asiam incolunt Græci, appellare & σκιώδη & σκιαρὰ, omnia quæ ad nigrū conuertuntur. His autem & ζοφώδες nomen inferunt, & φαιὸν quod prope nigrū existit. liquet autem quòd talis aër non fiat sine nubibus multis, & quæ non lucidæ existant. Cōtinebatur itaq; & potentiâ in vmbroso nubilosum. neq; enim, vt didicisti, familiare solùm est Hippocrati tali modo interpretationis vti, sed & plurimis aliorum. Infert autem: hyems austrina, humida, mollis. Sunt qui existimant austrum perpetuò humidum, sed res non ita habet. videtur siquidem interdum siccus esse, quem & appellant idiotæ leuconotum. Et Poëta inquit: Αὐτὰρ ἐγὼ ζεφύροιο καὶ ἀργέσταο νότοιο, id est, Ego autem Zephiri & procellosi austri. Purum siquidem

austrum

austrum, quem absque pluuijs fieri scimus, ita appellauit. Verùm & in primo epidemiorum in prima constitutione Hippocrates ait: Facto autem ductu toto ad australia, & cũ squaloribus. Talis itaque auster interdum quidem & vehemens existit, sed manifestam perpetuò habet motionem. Mollis autem est auster, alius qui insensibilem in aëre habet motum, & in nubibus, & hic quidem calidus perpetuò existit: Leuconotus verò, id est, albus auster, interdum frigidus videtur.

Post Solis retrouersionem multò, propè æquinoctium, postrema hyems aspera, & iam circiter æquinoctium boreas, & nix, sed non multo tempore. 4

Contrariæ constitutionis pars quædam hoc intercessit, vt ipse inquit, non ad multum tẽpus.

Ver rursus austrinum, sine flatibus, aquæ multæ perpetuò ad canem vsque. 5

Hyemem simplicem declarauit in scribendo nunc: Ver rursum austrinum, sine flatibus, nempe verbum: rursus, demonstrationem habet mediæ quæ intercesserat contrariæ constitutionis, quòd rursus in eandem redierit temperaturam aëris constitutio.

Aestas serena, calida, magnæ suffocationes, æstusq;, etesiæ paruæ contractim spirauerunt. 6

Mollities hyemis, & Veris tranquillitas, ex

eodem sunt genere æstatis suffocatoriæ. nam cum æstas naturâ perpetuò calida sit, vbi flatuum carentia accesserit, suffocatio de necessitate consequitur, fit autem hoc, vbi neq; prodromi appellati flauerint, neque ipsos consequantur, quos etesias appellant. Dissipat autem ipsos & canis exortus, & Hippocrates ipse adscripsit: etesiæ paruæ contractim spirauerunt.

7 Rursus circiter Arcturum cum aquilonibus pluuiæ multæ.

Rursus, non ad aquilonem, sed ad aquarum multitudinem habet relationem. Multitudo siquidem aquarum in priore Arcturi exortu fuerat, & sæpius in sequenti tempore: Aquilo autem rarò spirauit.

8 Cùm annus fuisset austrinus, humidus & mollis, in hyeme quidem salubriter degerunt, exceptis tabidis, de quibus scribetur.

Quòd breues omnino fuerunt huiusmodi aquilones, totam ob id constitutionem ab euincentibus in ipsa, humidam & austrinam appellauit: quòd autem sine flatibus & calidam, mollem appellet, anteà didicisti, sed talis constitutio nunquam insigniter homines offendit, etsi repentina fuerit, propter superioris anni squalidi temperamentũ. Cœperunt verò quibusdã tabidæ affectiones, qui scilicet ad affectũ hũc essent idonei. Ipse autẽ quæ in ipsis acciderũt, scribere in sequẽtibus promittit.

Ant

Ante Ver vnà cum factis frigoribus, erysipelata multa, his quidem cum causa, aliis verò sine causa: maligna multos interemerunt. 9

A biliosa fluxione erysipelas fieri didicisti, non tamen perpetuò praua & putredinosa existente ipsa, contrario siquidem modo, vbi fluxio benefica fuerit, naturalem in nobis factam habens luteam bilem, erysipelata quidem facere consueuit, nullam tamen ex ipsis inferre læsionem, vbi rectè quis ipsa tractauerit. At nunc talis non erat humor qui genuerat erysipelas, sed malignus, erodensq; & putrefaciens ex abundantia humidæ ventorũ carentiæ, illis maximè hominibus procreatus, qui natura biliosiores quàm alij essent: biliosaq; victus ratio succum illum magis coaceruasset, differentiæ siquidem morborum ex ambientis nos aëris temperamento fiunt, propter vniuscuiusq; naturam & diætam, id est, victus rationem, quam rectè valens seruat. Diætam dico, non eam solùm quæ cibis & potibus consistit, sed & in omnibus alijs vt ocio, gymnasijs, lauacro, venere, somno, vigilijs, atque omnibus quouis modo factis in corporibus hominum.

Multis fauces dolebant, vocesque malè adfectæ. 10.

Quibus caput natura facilè replebatur, his nunc succorũ redundãtia repletũ caput fluxiones

per fauces in pulmonem & ventrem demittere. Iure autem & talibus voces malè adfici ait, videtur siquidem & hoc aßiduè in catarrhis fieri, vbi fauces & guttur abundè madefecerunt.

11 Causi phrenitici.

Causi, id est, febres ardentes quidem fiebant, biliosa redundantia in hepar & ventrem decumbente: phrenitici verò, ad caput recurrente.

12 Ora aphthosa, pudendis phymata, ophthalmiæ, carbunculi.

Horum affectuum quilibet fit quidem & asſiduè citra malignitatem, vt in eryſipelatis paulò antè dictum est. Fit autem & cum malignitate, vt nunc, quoniam putredinosus erat redundans humor, quapropter in omnibus morbis quos recenset, perpetuò rei huius admonebo. Neque aphthas ægris fuiſſe intellige, neque aliud quodpiam pathema, iuxta consuetum modum, sed cum partium putredine. Memineris autem & communis sermonis huius, putredinosum succum ab eadem constitutione omnibus factum prehendere, non easdem partes, propterea quòd neque omnes natura similiter in tali constitutione prorsus haberent, sed quòd alia inter alias maximè imbecilla. Aphthæ itaque pueris fiunt in ore aßiduè, quæ superficiaria exulceratio existunt, & quòd partes ipsius omnes mollißimæ existant, veluti muscosæ, & præter hæc os etiam est prorsus insuetum tangendis, tum cibis, tum potibus. Cùm itaq;

nutri

nutricis lac acrimoniam quandam habuerit, aphthas parit quæ facilè placantur, si mediocriter quis astrinxerit os infantis. Cùm verò aliquis adfluxerit prauus humor, semper aphthæ malignæ existunt. Carbunculorum adfectus perpetuò periculosus est, veluti à prauis productus humoribus, quocirca & nunc rationabile erat maximè lethalem ipsum fuisse, qui scilicet cum natiua malignitate malignitatem etiam ex constitutione accepisset. Dictum autem abundè de affectus huius generatione, cùm principium secundi epidemiorum explicarem. Cætera dictionis manifesta sunt.

Alui turbatæ, cibos auersantes. 13

Defluente à capite in fauces prauo humore, quod quidem in pulmonem recessit, tabidosas fecit affectiones: quod verò in ventrem illatum est, deorsum subiens cum morsu, ventris perturbationem fecit, quod manifestauit inquiens: alui turbatæ. In transitu autem viam ventris, in qua vis appetendi consistit, malè affecit: hinc apositiæ, id est, inappetentiæ.

Sitibundi hi quidem, alij non. 14.

Plures ob causas par erat, neque sine siti omnes fuisse, neque sitibundos, videtur siquidem humiditas putredinosa omnibus collecta fuisse, non tamen copiâ æqualis, vel similiter praua. Quosdam itaque sine siti fuisse est possibile, veluti & apositos, id est, qui cibum auersarentur,

propter virtutis potionum appetentis offensam. Quòd autem peßimam hi haberent affectionem, neque ipsis maligna conflueret humiditas, vt mediocriter sitirent, liquidò constat: alios verò sitibundos fuisse constat, confluente scilicet in ventrem succorum malitia, nondum os ipsa ita offendente, vt virtus potionum appetẽs corrupta esset.

15 Vrinæ turbatæ, multæ, malæ.

Vrinas quidem turbatas fuisse modo eodem intellige, quem paulò antè audiuisti, cùm diceret: alui turbatæ. Nempe quibus deflexit ad renes succorum malitia, necesse his erat vrinas turbari, id est, cum morsu & dolore exire. Quod deinceps scriptum est: multæ, malæ, potest quidem & de vrinis dictum esse: potest & ipsum per se vno tali sermone, symptomatum multitudinem aliquam prauorum fuisse ægris ostendente.

16 Comatosi plurimùm, & rursus vigiles.

Coma non permixtum vigiliæ, ob humiditatem & frigiditatem cerebri fieri didicisti: vigiliam verò non permixtam comati, ob siccitatem & caliditatem. Nunc itaque auctis succis humiditatem quidem exuperantem habentibus, non tamen acrem omnem, humiditas quidem comatosam affectionem: acrimonia verò ex putredine vigiliam peperit, contrarijs symptomatis ob causas contrarias rationabiliter factis.

Acrisi

Acrisiæ, id est, iudicationum carentiæ multæ: difficiles verò aliæ iudicationes. 17.

Ob succorum malitiam morbi quidam nullo pacto iudicabantur: quidam verò perperàm.

Hydropes. 18

Pathema quoque hoc fuisse ait nonnullis ex prauorum humorum redundantia. Omnem enim hæc morbum generare potest, alium in alio corpore, & præter ipsorum naturales differentias, & victus rationis dissimilitudinem, vt paulò antè est dictum.

Tabidosi multi. 19

Dictum à me & anteà quod ex capite defluit in fauces, vbi per guttur in asperã arteriã & pulmonem peruenit, tales operari affectiones.

Morbi quidem qui populariter vagabantur, hi. 20

Inter epidemios morbos vnus est pestis, vt & in libro de victus ratione in morbis acutis dicebatur. Cùm enim non pestilens morbi modus quis communis populariter vagatus fuerit, sed diuersi generis morbi fuerint. Non enim morbi alicuius nomen est epidemum vel pestilens: sed qui multis in vno loco fiat, hic epidemus appellatur: si verò morbo huic contingat vt multos tollat, pestis est.

Ex singulis subscriptis formis laborabant multi & moriebantur, contigerunt autem singulis horum ita. 21

Ex eo quod dixit: moriebantur multi, pestilentes populariter vagantes morbos fuisse ostendit. Quòd autem ipsi diuersi generis fuerint, de vno quoque seorsum dicere promittit in sequentibus.

aa Multis quidem Erysipelas cum occasione ex contẽnendis & valde paruis vlcusculis in toto acciderunt corpore, & maximè sexagenariis circum caput, si etiam parum negligeretur. Multis autem & cùm curarentur magnæ phlegmonæ fiebant. Erysipelasque valde celeriter vbique depascebatur.

Cuius primæ omnino meminit affectionis, iure & nunc primæ particulares scribit differentias, quibusdam quidem accidisse dicens ex paruis ἀφορμαῖς, quas προφάσεις vocauit, id est, causas: alijs inter curandum magnas phlegmonas consequutas, vt depascens plurimùm erysipelas. Pluribus autem circa caput hoc contigisse, quòd repletum maximè hoc fuerat in austrinis & calidis flatuum carentijs. Hoc autem ipsum sexagenarijs magis accidisse, causam habet hanc. Calor externus præter naturam circunstans, causa fuit, ob quam humores in corpore putruerint: vt vtique calor noster, vbi naturalem suam seruat temperaturam, plus sanguinis quàm aliorum humorum facit: cùm verò in igneum magis conuersus fuerit, pallidam & flauam bilem. Calor verò

extern

externus putredinis humorum causa est. Materia siquidem est humiditas: causa verò efficiens, est calor præter naturam. Senes itaque humiditates quidem superfluas perpetuò aceruantes propter naturæ imbecillitatem, adsumentes quoque & ambientis aëris caliditatem, propter factam tunc constitutionem, promptiores iuuenibus ad putredinosam humorum corruptionem fuerunt.

Plurimis quidem horum abscessus in empyemata contigerunt, carniumq; & ossium & neruorum excisiones magnæ.

Malignitas redundantis humoris ex magnitudine putredinis constitit. Dictis autem consequentia coaptans, ait.

Erat autem & fluxio contracta non puri similis, sed putredo quædam alia, fluxio quoque multa & varia.

Ostendit ipse tibi manifestè, quod iam sæpius nos anteà diximus, quòd corporis humores propter humiditatem & ventorum abstinentiam aëris putruerant: atque ob id, pus quidem non genitum fuit. Putrescebant autem à prauis humoribus humidis solidæ partes. Variam autem esse fluxionem ob putrescentium differentiam, est rationi consonum. ob communem enim putredinis causam, vnumquodque putrescentium propriam accipit differentiæ speciem.

Quibus itaq; circum caput horum aliquid fieri contingit, capitis totius facta est

glabratio & menti, ofsiumq; denudationes & decidentiæ,& fluxiones multæ. In febrientibus quidem hæc & non febrientibus. Erant autẽ hæc formidabiliora quàm deteriora. Nempe quibus ad empyemata, id eſt, ſuppurationes talium latitudo peruenit, plurimi horum ſeruabantur. Quibus verò phlegmonæ & eryſipelas receſſerũt, talemq; abſceſſum nullum fecerunt, horum perierunt multi, etſi alia quauis corporis parte errauerint, contigerunt hæc. Multis ſiquidem brachium & cubitus totus circumeffluxerunt. Quibuſdam latera hæc afficiebantur, vel aliquod anteriorum, vel poſteriorum. Quibuſdam totum femur vel tibia denudabatur, & pes totus.

Putredo humorum commune opus habens vt corpora illa corrumpat ad quæ decubuerit, formidabiliorem in capitis partibus habuit phantaſiã, propterea quòd etſi hîc parum in id quod præter naturam eſt deflexerit, plus turpitudinis fiat, quàm in cæteris partibus magnam habentibus in id quod præter naturam eſt conuerſionem, femoris ſiquidem, vel brachij, vel tibiæ, vel cubiti excidens cutis, minorem habet viſionem: Si verò capitis crines cum cute deciderint, & multò magis menti cum ipſis, viſio quidem adfectus fit magna: minus tamen periculum, quàm ſi talis adfectus circa pudenda contigerit, vel guttur, vel

thorac

thoracem, & principem aliquam partem. Non solùm autem quæ circa caput ita fiunt, formidabiliora magis erant quàm deteriora: verùm & quæ in quauis alia parte ita excidunt. Deteriora enim erant in quibus abscessit humor adfectum erysipelas efficiens, quoniam ad viscera & non ad ignobiles partes secedens, cum alijs symptomatis febres etiam acutas generabat. Quibusdam verò eorum qui talem putredinem in superficie haberent, & sine febre partes emarcuerunt, & quidam ipsorum ob id seruati sunt, excreta per partes quas ipsa putrefecerat succorum malitia. Oberrabat siquidem, vt ipse dixit, per totum corpus fluxio, id est, citra rationem ordinemq́; & vt contingebat efferebatur, vt nullus Medicus arte prænoscere quò decubitura foret, potuisset.

Erat omnium grauissimum tale, cùm circa pubem & pudenda fieret. 26

Et absque pestilenti constitutione vbi in his locis vel phlegmone aliqua, vel erysipelas fuerit, facilè putrescit, & affectus consortione superiacentes partes adficit, & ideò sæpiùs cogimur post præcisa quæ putruerunt, locum inurere. Nihil itaque mirum, tali facta constitutione, brachium cubitumq́; & femur, & tibiam, & latus, & caput computruisse, si plurimùm malè afficerentur pudenda.

Vlcera & cum occasione talia. 27

Hactenus

Hactenus ſermo ipſi fuit eryſipelatis, quæ ob vlcerationem, aut paruam ita aliam externam cauſam conſtiterunt. Deinceps verò de his quæ abſque tali cauſa fuerunt, faciet ſermonem.

28 Multis autem, in febribus & ante febrē & à febre contigerunt.

Non ob vlcus his aut propter cauſam externam manifeſtam, ſed, vt conſueuimus dicere, ſua ſponte prouenit eryſipelatum generatio: alios quidem vnà cum febre inuadens, alios ſubſequutis febribus, aut prægreſſis ipſis.

29. Erant autem hæc, quæ quidem abſceſſum fecerant, vel ventris perturbatio quædam opportuna, vel bonarum vrinarum excretio fuiſſet, per hæc ſoluerentur. Quibus horum nihil contigerat, & latenter euaneſcebant, lethifera erant.

Paulò antè dicta eſt cauſa, propter quam ſeruarentur magis quibus ſuccorum malitia per putrefactam aliquam partem, vnà cùm illa de corpore conciderit, liquet autem quòd per ventrem & vrinas expurgata, moleſtiam quidem fecerit, cùm excerneretur, ſed corpus totum adiuuerit.

30 Vere autem valde multis contigerunt eryſipelata, permanebantq́; & per æſtatem & ſub autumnum.

Genuit quidem, vt retuli, ſuccorum malitiā difficilè tranſpirabilis conſtitutio, quæ humida & calida & abſque flatibus eſſet. Detinebant

aute

autem ipsam in corpore frigora, veluti dictum est & in prima constitutione primi epidemiorũ. Iure itaque varij cœperunt morbi paulo antè dicti. Nunc verò sermo est Hippocrati de Erysipelatis. Hæc siquidem prima omnia facta, prima & in expositione scripsit. His itaque (inquit) erysipelatis principio Veris factis, nonnulla permanserunt per æstatem & autumnum. Fieri autem potest, vt modo vtroque intelligatur hoc: permanebantq; & per æstatem & sub autumnum, in factis erysipelatis, de erysipelatis quæ fuerunt, vt intelligamus & existentiam ipsorum tunc factorum permansisse nonnullis ad autumnũ vsq;, & factorum generationem, vt scilicet alia quædam in Vere quidem facta fuerint, & cessauerint: alia verò in æstate fuerint, similiter & in autumno, sed melius est iuxta significatum secundum, hoc intelligere. Non enim rationabile est principio veris contitisse erysipelas, & ad autumnum vsque permansisse: prorsus enim in medio tempore hominem sustulisset, si valde malignum fuisset, aut putredine per ipsas putrefactas partes expurgata, cessasset.

Multa turbatio quibusdam, & circa fauces phymata, phlegmonæ item linguæ, & circa dentes apostemata.

Pathemata partium percurrit hoc sermone, quæ anteà non memorauit.

Voces & multis indicium præbuerunt mal

malè affectæ, & distorquentes, primùm quidem tabescere incipientibus, atque etiã causo laborantibus & phreniticis.

Ego quidem & scriptum anteà in ægro ordine duodecimo, in quo ita inquit: δεξιῷ ἰλλαίνειν, id est, dexter oculus distortus, suspicabar veluti intersertum. Nempe Hippocrates Heraclidis filius, cuius & aphorismos & prognosticum esse inquiunt, videtur consuetissimis, atque ob id manifestis nominibus vsus, quæ Rhetorici politica vocare solent, sed verbum ἰλλαίνειν tale non est: & ipso minùs, verbum κατιλλαίνειν vel κατιλλαίνουσαι, id est, distortæ, & maximè in vocibus non in palpebris dictum, atque adhuc propter characterem dictionis actiuum non passiuum existentem. Melius siquidem erat, si omnino de voce voluisset vti tali appellatione, scribere κατειλούμεναι, & non κατειλοῦσαι, id est, distorquentes: & longè melius est ipsum κατιλλαινόμεναι, id est, distortæ; nempe ex ἰλλαίνειν participium iuxta talem dicetur formam, voco autem nunc participium ex Grammaticorum consuetudine. Intelligentia autem caret de vocibus dictum κατειλοῦσαι, quemadmodum nonnulli interpretũ nos intelligere voluerunt, tanquam inclinet verbum ἰλλαίνειν, ad verbum διαστρέφειν, id est, distorquere, nẽpe κατειλοῦσαι, indicat διαστρέφουσαι: κατειλούμεναι verò, κατασιαστρεφόμεναι. Multa itaq; delicta videntur in vna dictione facta,

volentibus nobis intelligere κατειλῆσαι, *prout multis interpretum visum est, tanquam à verbo* ἰλλαίνειν *facto nomine. Nempe actiuum est* ἰλλαίνησαι, *passiuum* ἰλλαινόμεναι, *& cum prępositione* κατιλλαίνησαι: εἰλῆσαι *verò, &* κατειλῆσαι *ab* ἰλλαίνειν *non videtur factum, sicuti neq;* εἰλούμεναι *&* κατειλούμεναι. *Raro autem admodùm apud antiquos reperiuntur talia tum nomina tum verba. dico autem* ἰλλαίνειν *&* ἴλλος, *à quo & Sophron videtur fecisse comparatiuum appellatum apud Grammaticos* ἰλλότερον τὰν κύνα. *Melius itaq; est dicere si quis & de talibus voluerit nugari, non* ἀπὸ τῆς ἰλλώσεως *factum* τὸ κατειλῆσαι, *sed ab alio quodam quo & Plato & Antiphon vsi esse videntur. Plato autem ita in* Timæo. Τοῦτο δὴ πᾶν τὸ δέρμα κύκλῳ κατακεντηθὲν πυρὶ τὸ θεῖον· τρωθέντος δέ, καὶ τῆς ἰκμάδος ἔξω δι' αὐτοῦ φερομένης, τὸ μὲν ὑγρὸν καὶ θερμὸν ὅσον εἰλικρινὲς, ἀπῄει· τὸ δὲ μικτὸν, ἐξ ὧν καὶ τὸ δέρμα ἦν, αἰρόμενον μὲν ὑπὸ τῆς φορᾶς ἔξω μακρὸν ἐγίνετο, λεπτὴν τάσιν ἔχων τῷ κατακεντήματι. Διὰ δὲ βραδυτῆτα ἀπωθούμενον ὑπὸ τοῦ περιεστῶτος κρύους, πάλιν ἐντὸς ὑπὸ τὸ δέρμα εἱλούμενον, κατερριζοῦτο. *i. Hanc omnẽ cutẽ vndiq; pupugit percußitq;, per cutis inde sauciæ rimulas humor effluxit, quod quidẽ illic humidũ calidũq; syncerũ erat, abijt: quod verò ex ijsdẽ quibus & cutis, erat permixtũ, sublatũ quidẽ à corruptione, & extra productũ, in lõgũ extẽsum est,*

tenu

tenuitatem punctationi penetrationiq; æqualem habens. sed propter tarditatem à circunstante frigore repulsum, rursusq; sub cutem reuolutum, radices egit. Videtur siquidem pro κατακλειόμενον vel ἀπωθούμενον, vel in profundum ἐνειλούμενον, id est, occlusum, vel retusum, vel in profundum repulsum, hîc fuisse vsus nomine εἰλούμενον. Iuxta quod significatum videtur & hæc oratio ab ipso scripta esse: γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν εἰλλομένην περὶ τὸν διὰ παντὸς λόγον τεταγμένον. id est, terram autem nutricem quidem nostram, quæ retrahitur ad perpetuò ordinatam rationem. Sic & apud Antiphontem in secundo de veritate reperire est scriptam appellationem in hac dictione. ὅταν οὖν γίνωνται ἐν τῷ ἀέρι ὄμβροι τε καὶ πνεύματα ὑπεναντία ἀλλήλοις, τότε συστρέφεται τὸ ὕδωρ καὶ πυκνοῦται κατὰ πολλά. ὅ,τι δ᾽ ἂν τῶν ξυμπιπτόντων κρατήσῃ, τοῦτ᾽ ἐπυκνώθη καὶ συνεστράφη ὑπό τε τοῦ πνεύματος εἰλούμενον, καὶ ὑπὸ τῆς βίας, id est, Cùm itaq; fuerint in aëre tum imbres tum venti inter se contrarij, tunc cogitur aqua & valde inspissatur. quod autẽ coëuntibus superius fuerit, hoc densatur cogiturq;, & vento conuolutum & à vi. Nempe & is per vocem εἰλούμενον videtur indicare κατακλειόμενον vel συνειλούμενον εἰς ἑαυτὰ, id est, occlusum, vel in se contractum. An ne & in proposito nobis ad expositionem libro, quod de vocibus scripsit κατειλῆσαι, tale ali

le aliquod significatum indicet, voces veluti κατακλειομένας, vel ἐγκλειομένας, id est, occlusas vel coactas, vt intelligamus dictionem dictam esse de vocibus exire non valentibus, vt in his qui gracilem vocem habent & quæ vltrà progredi nequit? an & hoc valde prauum? potuit siquidem ἰσχομένας, vel ἐπεχομένας, vel βραδυνούσας, id est, retentas, vel hærentes, vel cunctantes, vel quippiam tale scribere, qui indicare voluerit hominem ita voce esse impeditum, vt vix loqueretur. Iam licet & in præsenti dictione intelligere vocem dici velut δεδεμένην, id est, vinctam παρὰ τὸν δεσμὸν, id est, à vinculo, Poëta vtiq; ostendente sese dixisse ὑπὸ τῶν δεσμῶν, id est, de vinculis: ἴλασιν οὐκ ἐθέλοντα, βίῃ δήσαντες ἄγουσιν, id est, vinculis reuinctum, vi inuitum abducunt. Liquet autem quòd & hîc melius erat scriptum fuisse κατειλούμεναι, & nō κατειλοῦσαι. Hic quidem communis est omnis expositionis lapsus. nam quicquid statuat quis ex verbo κατειλεῖν significari, affectionem actiuam non passiuam ostendit. Et ob id maximè quis vocem non esse Hippocratis suspicatus fuerit: neq; enim ita imperitus enunciationis Hellenicæ erat, vt in ipsa peccaret puerorum instar qui modo discere cœperunt. Videtur siquidem adfectus aliquis vocis significari ex hoc vocabulo κατειλούμεναι. Præterea etsi κατειλούμεναι scripserimus, non est tamen iuxta morem Hippocratis insuetis & raris nominibus

vti. Sunt qui διεστραμμένον, id est, distortum significari patant. sed hoc pugnat cum eo quod in prognostico ipse διάστροφον interpretari volens, ita scripsit: Si verò & flexa fuerit palpebra, vel labrum, vel nasus. At in vocibus neque καμπύλον, id est, flexum, neque aliud quippiam ex dictis dici debet. Quare quidam eorum qui librum sunt interpretati, dictis omnibus damnatis, pro vocabulo: voces, linguæ scribunt, intelligere volentes κατειλούσας linguas, veluti καταδεδεμένας, id est, deuinctas, & δυσκινήτους, id est, quæ ægrè mouentur. debuerunt autem ipsi vt vocabulum voces in vocabulum linguæ permutauerunt, ita & participium κατειλοῦσαι, in participium κατειλούμεναι permùtare, & potiùs quàm verbum voces. Sed iam satis sit mihi de voce κατειλοῦσαι, nihil nos insigniter, neque si inuenta fuerit, iuuatura. sat est enim solùm scire hîc generatim tum dictum tum intellectum; nempe quòd propter factam ipsis à capite destillationem læsæ fuerunt vocales partes, & voces malè adfectæ fuerint. Quòd enim in constitutionibus humidis & calidis caput repletum fluxione, ad partes tum ventris tum thoracis demittat; scire est commodum, primùm quidem discernendi causa; án ne alia quædam causa talem affectum ægris fecerit, an ex epidemijs sit morbus: deinde vt caueatur ne talis sit affectus. nempé qui ambientis aëris offensas præuiderit vbi

&

& quomodo fiant, euitare poterit, totam victus rationem contrariam vincenti constitutioni efficiens. imò & si prædicere futura volueris (nempe & hoc nobis vtile est, vt in præfatione prognostici demonstratum est) etiam in hoc tibi laborandum est, vt affectus qui in corpore fiunt, ex ambientis constitutionibus omnibus cognoscas. Contenti itaq; vt dixi, quòd læsæ voces fuerint, & relicto verbo καταλῆξαι, quod ipsi continuum est, contemplabimur. Primùm siquidem ait tabidosis incipientibus adfuisse tale symptoma: ab ipsis autem, & causosis & phreniticis. Existimandum itaque tabidosis quidem ex affectus ratione ipsum adfuisse. nempe cùm multas alias causas & affectiones sequitur phthisis: non minùs autem illis, & propter catarrhum ex capite, quem potissimùm vocis mala affectio cónsequitur. Causos verò phreniticósq; propria quidem ratione non sequitur tale vocis vitium, quale tabidosos incipiẽtes. Quoniam verò in constitutione hac calida & humida & ventis destituta continuè facta, caput pati contigit tale symptoma propter communem causam, non propter propriam ipsius affectus apparationem, phreniticos est consequutum & causosos. resiccantur siquidem potiùs in ipsis, non madefiunt vocales partes, veluti in præsenti constitutione. Vox itaque clangosa quidem & acuta fit propter instrumentorum voci deputatorum siccitatem: rauca

verò ob humiditatem.

33 Cœperũt itaq; & causi & phrenitica ante Ver post facta frigora, & plurimi tunc ægrotauerunt. Acuta autem his & lethalia contigerunt.

Factam anteà ex aëris temperamento humorum putredinem, rationabile erat ob frigus factum in fine hyemis in profundum repulsam, morbos erysipelatis similes peperisse. Alios itaq; quosdam huius generis exponet, & hos ordine primos ab erysipelate iam scribit. Hæc autem erant tum causosa tum phrenitica, communem quidem habentia causam: sed locis patientibus differentia. Nempe quibus in locis tum hepatis tum ventris, & maximè oris ipsius, decubuit succorum malitia, his causosi morbi conciderunt: quibus verò in cerebrum illata est, morbi phrenitici.

34 Erat autem causorum factorum constitutio hæc: Incipientes comatosi, anxij, horrentesq;, febris non acuta, neq; valde sitibundi, neq; deliri.

Quæ causis fuerunt symptomata, ob constitutionem non propter affectus rationem hæc annotantur: & ideo perperàm pro κωματώδεις, id est, comatosi, quidam καυματώδεις, id est, caumatosi siue æstuosi scripserunt. proprium siquidem hoc causorum est, quibus & sitire citra quietem, & nullum aliud ferè quis peculiare dixerit esse febrium ardentium signum: verùm ex duobus his

suff

ſufficienter compleri dixerit, ſitim irrequietam & caliditatem perurentem ſentientibus ægris. At tunc conſtitutio quæ humiditate multa caput repleuerat, comatoſum vel omnibus vel plurimis quouis modo laborantium, intulit ſymptoma in morbi inuaſione: ſuccorum malitia eò acritudinis nondum deducta, vt vigilias vehementes & deliria & phrenitidas concitaret. Cwma itaq; raro admodùm fit febribus ardentibus: inquietari verò ſiue anxium eſſe, valde ſæpe: non tamen inſeparabile eſt vt prædicta duo, tum ſitis inquieta tum caliditas deurens. Horrentes verò ſæpius fiunt qui cauſo afficiuntur, quare & hoc ſignificatum eſt. Quod autem deinceps eſt ſcriptum quidam ſimpliciter ſcribunt abſque negatione: febris acuta, quidam cum negatione ita: febris non acuta, ab aliqua vtrique ratione probabili differentem habentes ſcripturam: hi quidem abſque negatione, quòd inter inſeparabilia ſit cauſoſi morbi febris acuta, veluti & ſitis: alij autem & ob idipſum ſcriptum eſſe dicentes cum negatione, quòd rarum quippiam & admirabile ipſis contigerit, veluti & cwma & febris. nempe & ab his illum quoque ſcripſiſſe aiunt: neque valde ſitibundi. quanquam & ſymptoma hoc febrium ardentium maximè ſit proprium. Vt itaque non valde ſitibundi erant, ſic & ipſos non valde acutè febricitaſſe par eſt. forſan autem & ſcriptum ab Hippocrate: febris non valde acu-

ta, à falso eo qui primum exscripsit, mansit erratum. Oritur rursus non parua de omnibus signis pathognomonicis quæstio. Nam si possibile sit interdum vt non præsentibus ipsis affectus species seruari possit, alia à pathognomonicis certiora nobis erunt ad affectuum dignotionem. quod si statuerimus, conuenienter quis volet quidem illa pathognomonica appellare. quæ autem anteà vocabantur pathognomonica, simul assidentia: quorum hæc quidem inseparabilia existunt, & (vt quispiam dixerit) ipsius substantiæ adfectus compositoria. simul assidentia verò, ex his quæ vt plurimum ipsis fiunt, existunt. Si itaque æger non sitibundus fuerit, neque valde acutè febricitauerit, ex quónam adhuc iudicio dicemus esse morbum Causum? nempe etsi valde multis eorum qui causo afficerentur anxios esse contigit, non tamen hoc adfectus proprium existit, multi siquidem & alij qui quouis modo laborãt, assosi fiunt, id est, anxij. Neq; itaq; quòd nõnullis placuit tales dubitationes existimantibus effugere, & nobis erit dicendum ex his quæ deijciuntur, maximè cognosci causum dicentibus. neque enim mera biliosa in solis causis alui excernunt, neque solis his adest colliquatio: sed sunt quidem & hæc symptomata & maligna & vrentium febrium, excernentes tamen ipsa, multi & mediocriter sitiunt, & febris caliditates sustinent. In præsenti verò constitutione neque

tales

tales erant deiectiones. alui siquidem (inquit) turbatae erant plurimis horum deiectionibus crudis, tenuibus. Videtur itaque Hippocrates causum dignoscere, & sitis assiduitate & vrente caliditate: veluti phrenitim, delirij assiduitate. Sic enim etsi non admodùm sitibundi aegri fuerint, aut non admodùm vehementer vrantur, per totum verò morbum dicta duo fuerint symptomata, causus esse morbus dicetur. & fiet quidem aliqua ipsa calidior febris, ita vt corpus colliquet, & deiectiones pariat biliosas & colliquatorias. sed non dicetur causus, nisi permanentia habuerit per totum morbum dicta duo paulò antè, irrequietam sitim quantumlibet biberint, caliditatemq; iniucundam & caussosam & anxiam. Adest itaque ipsis & multa quae vehementissima sit sitis, & febris maximè vrens. Rarò autem quemadmodùm nunc cum febris non exactè acuta esset, neque valde sitibundi aegri erant. quae ob id ipsum annotauit, veluti & quòd nullo pacto essent deliri: quoniam & hoc causis contingit. Quod autem paruae dementiae signum sit τὸ παράληροι, id est, deliri, prius est dictum.

A' naribus pauca stillarunt. 25.

Hoc est, ex his quae malignis causis superueniunt, sicut sanguinis eruptio non malignis. Sed, vt summatim dicam, omnis stillatio à naribus prauum est signum, vt didicimus.

36 Accesſiones plurimis diebus paribus fiebant.

Inter rara quoq; & hoc eſt. Videntur ſiquidem & cauſi & omnes ipſis ſimiliter valde acuti morbi, acceßiones in diebus imparibus habere.

37. Circa autem exacerbationes obliuio, remiſsio & priuatio vocis.

Obliuio & manifeſta eſt, & ſæpiùs ex perniciosis eſſe eſt demonſtrata. ἄφεσιν verò, id eſt, remißionem, velut tum exolutionem tum reſolutionem omnium partium corporis, ipſum dicere par eſt, vbi ſimiliter reſolutis proiectæ videantur. Quòd autem hoc & pernicioſum ſit, didiciſti: veluti & de alijs omnibus ſymptomatis quæ in libro ſcripta ſunt, vt in ipſo ſolùm exponere oporteat quæ non manifeſtè dici videntur, ad memoriam ſolùm reuocatis quæ alibi demonſtrata ſunt, & doctrina ipſorum non per diſcurſum facta.

38 Pedes ſummi, manusq; his frigidiores quidem, & multò maximè circa acceſsiones, rurſusq; tardè & non bene recaleſcebant, rurſusq; mente conſtabant & loquebantur.

Varietatem factorum ſymptomatum his qui tunc fuerunt morbis exponit quæ omnia praua exiſtunt.

39. Detinebat eos cωma aſsiduè non ſomniculoſum, aut vigiles erant cum laboribus.

Manife

Manifeſtum quoque eſt & hoc, ei qui ſcriptorum meminit & in libro de comate, & in ſuperioribus commentarijs. vbi enim ægri vigilare quidem non poſſunt apertis oculis, conniuentes verò ipſi ſpe dormiendi vigiles permanent, tale vocamus non ſomniculoſum coma: ſi verò & labor aliquis ipſis adfuerit, manifeſtè vigilabunt magis qui ita habent, vt neq; in opinionem ſomni leuis perueniant. Fit autem & tale quippiam ita comatoſis, vt in medio conſiſtant, tum exquiſitè vigilantium, tum dormientium.

Alui turbatæ plurimis horum, deiectionibus crudis, multis, tenuibus. 40

Liquet quidem & ex his non animum conuertere ad deiectionum ſpeciem in morborum cauſorum dignotione. Crudas itaque dicit & tenues deiectiones fieri tunc cauſo laborantibus: neque bilioſarum merarum, neque colliquationum meminit, quæ nonnulli exiſtimant febrium ardentium maxima ſigna eſſe.

Vrinæ tenues, multæ, nihil iudicatorij, nihil commodi. 41

In expoſitionibus de vrinis conſueuit vbi quæ contigerunt ſcripſit, ipſis non ampliùs adijcere, vtrum boni alicuius vel mali ſint ſigna, meminiſſe nos exiſtimans eorum quæ didicimus in prognoſtico in vniuerſum, de vrinarum tum malitia tum bonitate. Hic itaque videtur mihi adiecisse, quanquam præfatus ipſas tenues, quòd ipſis

adſcripſit multas, memor ſiquidem quòd & per vrinarum multitudinem ipſe nos docuit fieri interdum indicationem, indicauit nunc quòd etſi multæ eſſent ipſæ, tamen nihil erat indicatorium neque bonum, neque enim expurgans corpus & mouens quæ moleſta erant, videtur nunc natura vrinarum multitudinem peperiſſe: ſed vt didiciſti tum ſudores tum deiectiones, interdum quidem vt ſymptomata redundantiæ prauorum humorum corporis excernere, interdum verò expurgante ipſa natura: ita nunc & vrinæ, redundantis ſeroſæ humiditatis in corpore ſymptomata exiſtunt. Ob id itaque ipſis adiecit, nihil indicatorÿ, nihil boni: excernebantur enim vel propter multitudinem immoderatam, nequeuntibus ipſas continentibus partibus continere, vel propter morſum fortem infeſtatis, atque ob id ad excretionem ſuſcitatis. talia autem in eadem conſtitutione erant, & quæ per ventrem excernebantur, vt dictum eſt. Et certè ſudores proportionabiliter ipſis erant.

Neq; iudicatorium aliud ita habẽtibus apparebat, neq; probè ſanguis erupit, neq; abſceſſus alius conſuetus iudicatorius fiebat, moriebaturq; vnuſquiſque ſi contingebat, errabundè, plerunque circa iudicia: quidam longiùs, à quibus ſudores multi.

Habentibus itaq; perniciosè contigerunt hæc,

quæ

quæ hîc tibi commemorauit perniciosè habentium febrientium causoè symptomata. Audiuisti autem iam anteà frequëter propter quid vnumquodque prædictorum perniciosum existat.

Similia & phreniticis. 43

Vbi sermonem de causá compleuit, ad ea quæ phreniticis contigerunt, transit. Mentem itaque conuertamus hîc ad dictiones ipsius.

Non sitibundi valde erant hi. 44

De phreniticis est sermo. Non sitibundos autem ipsos fuisse ait non ita, propterea quòd multam humiditatem redundantem in ore ventris haberent: quòd quia quæ paterentur intelligentia non assequerentur, & extincta ipsis esset appetens stomachi facultas.

Nec phreniticorum vllus valde insaniuit, vt in aliis: sed alia quadam cataphora segni grauiter interibant. 45

Si non prædixisset: nec phreniticorum vllus valde insaniuit, sed simpliciter dixisset tunc phreniticos cataphora segni periisse, verisimile erat intelligere facta ipsis in lethargum conuersione, ita periisse: prædicto verò: nullus valde insaniuit, rationabilius est ipsos cum cataphora periisse manentes phreniticos. In hoc enim solo quòd continuè insit cum febre phrenitim intelligimus, nullo alio à mania differentem præterquam febre. Ambæ siquidem mentis noxiæ sunt.

verùm

verùm sine febre esse mania adfectorū proprium existit: veluti cum febre esse, phreniticorum. Nihil itaque mirum, collectis in corpore crudis humoribus, quæ deijciuntur indicasse comatosos simul & desipientes fuisse, comatosos quidem propter tum multitudinem tum frigiditatem crudorum humorum: desipientes verò, quòd putrescentes acrimoniam & caliditatem generarent.

46. Erant autem & aliæ febres, de quibus scribetur.

Memores autem simus quòd vbi præfatus est: Erat autem constitutio factorum causorum talis, quam & enarrauit, deinde omnia quæ ipsis contigerunt, & post hæc vbi rursus dixit: similia & phreniticis, deinde & completo de his sermone omni consequenter intulit: Erant autem & aliæ febres de quibus scribetur. Ostendit enim ex hac dictione febrium speciem causum esse & phrenitim, causum quidem qui aßiduam habuerint sitim cum aßiduo & multo ardore: phrenitim verò, quòd continua sit, & vnà cum continuo fiat delirio.

47. Ora multis aphthosa, vlcerosa, fluxiones circa pudenda multæ, vlcera, phymata extrinsecus, intrinsecusq; ad bubonas.

Dixit quidem anteà & de his, sed in particulari de vnoquoque agit. Erysipelatum generationes ad autumnum vsque procedere fatus, manifestè & de his quæ nunc post ipsa scribuntur

tur omnibus idem ostendit. Ob id itaque rursus eorundem meminit.

Ophthalmiæ humidæ, longæ, diuturnæ, cum doloribus adnascentiæ palpebrarum internæ & externæ, visiones corrumpentes, quas ficos nominant.

Redundantis humoris superfluitas duplicem vidétur habere speciem in ea quæ circa craßitiem & tenuitatem est differentia, vt consueuit ferè perpetuò fieri in humidis & vento destitutis constitutionibus. Nisi enim peculiaribus quis gymnasijs vsus flabellauerit, atque vnà perpurgauerit, & corpus mouerit, copiam humorum tum crassorum tum tenuium aceruat, crassorum quidem propter otium: tenuium verò & aquosorum, quia nõ fuerint vacuati. Tenuitatis itaque ipsorum coniecturæ, & ventris deiectiones tenues, & vrinæ tales effectæ: craßitiei verò, quòd omne productum fuerit, & cwma plurimis simul aßidens. Iure itaque quibus horum in oculos irrepsit copia, humidas quidem ophthalmias ob tenuitatem peperit: palpebrarum verò adnascentias, ob craßitiem. nempe cum in oculos fluat humor; quod excernitur quidem humidum, parit ophthalmias humidas, id est, cum rheumate humido & aquoso: craßius verò adfectis partibus infarctum, tumentes eminentias, quantum verò craßi humoris in oculorum profundo erat, dolores peperit.

49 Enascebantur & in aliis vlceribus multa,& in pudendis.

Quæ ob materiæ craßitiem palpebris enascebantur, non hîc solùm, verùm quoque & in pudendis ait fuisse: & si pars aliqua alia fortè vlceraretur, craßitie humorum, vt dictum est, tales enascentias efficiente. vocat autem ipsas vulgus μύκητας, id est, fungos.

50 Carbunculi æstate multi,& alia quæ putredo vocatur.

Et quòd cunctaretur quidem in toto corpore succorum malitia, putredo augebatur. Aestate verò appetente, neque ipsa anniuersarios habente, ad summum magis perueniebat, & ob id morbi calidi plures & maligniores prioribus fiebant. Est siquidem demonstratum, carbunculum ex calida quidem ignitione, crassa verò substātiā materia, generationem habere.

51 Pustulæ item magnæ.

Constat à verbo ἐκθύειν, quod est ἐξορμᾶν, id est, erumpere, appellationem ἐκθύμαοι, id est, pustulis fuisse, de sponte efflorescentibus in cute. Generatio autem ipsis est ex superfluis videlicet humoribus: qualitatem quoque conuenienter sequitur, humoribus quidem tenuibus vlcerationes magis quàm tumores parientibus: craßis verò cutem in tumorem attollentibus. Liquet autem eiusdem esse generis cum prædictis & quæ in palpebris enascuntur vlcera, & quæ nunc in

cute

cule generationem habent spontaneam.

Herpetes multis magni. 52

Magnos vocauit, vel quòd multum loci occupauerint, vel quòd cum erosione maligna fuerint. vtrunque autem consequitur dictam in succis affectionem.

Quæ ad ventrem spectant, multis multa & nocua contigerunt. primùm quidem tinesmi multis cum dolore, plurimis autem pueris, omnibusq; impuberibus, atque horum peribant multi, lienterici multi. 53

Et propter ætatis humiditatem, & quòd plura ingerentes pueri, cibos sæpiùs corrumpant, iure tinesmis corripiebantur. Est autem & maximè tum dolorosus, tum molestus hic affectus, dolorosus quidem, propter tensionem: molestus verò, propter assiduitatem desidentiæ. In præsenti verò constitutione plethorica simul & cacochymica dicta, multò magis lienterici fiebant. debilitata siquidem retentrice facultate, lienterias fieri didicisti. Vt itaque facultas ventris nutritiua extincta erat, ob quam & summè cibos auersantes factos paulò pòst ait: sic & retentricem læsam fuisse par est.

Dysenteriosi, neq; hi valde laboriosè. 54

Consequens erat inferre prædictis quibusdam non laboriosè ægrotantibus, prædictus verè

verò est nullus talis: sed contrarium potius, superioresq; omnes, & ante lientericos dicti tinesmosi laboriosè ægrotarunt. An'ne itaque dictio vitium habet qualia multa alia in libris multis à primo scriptore errante vitia seruata sunt? meliùs siquidem erat vt scriptum esset: & hi valde laboriosè. Sunt qui aiunt dici orationem: neque hi valde laboriosè. acsi diceres: multi dysenteriosi non fiebant, volente viro significare ex verbo ἐπιπόνως, generationem morbi, non modum: alij quòd dysentericis citra dolorem infestatis deinceps dicitur, ob id inquiunt orationem: neque hi valde laboriosè, ab ipso adiunctam, intelligentibus nobis lintericos de necessitate citra dolorem esse.

Biliosa verò, & pinguia, & tenuia, & aquosa, multis quidem in morbo ipso tali decubuerunt, & sine febribus, & in febribus, cum dolore tormina, sursum reuolutiones, malignæ, multorum tum euntium tum suppressorum pertransitus quæ exibant, dolores non tollebant, & multæ corporis partes patiebantur.

In præsenti sermone omne morbi genus constitit, quoniam natura differunt inter se homines & ætatibus & victus ratione. alius itaq; alium habens redundantem humorem, à constitutione hunc inauxit, vt demonstrauimus. deinde putredine superueniente iuxta aceruatorum humorum

different

differentias, variata est putredo, cùm verò ipsa deferretur per vnumquemque partium locum natura debilißimum, multis ita partibus pati contigit, quòd multi homines valde essent. Rationabile itaq; erat natura biliosis, & florētibus ætate, & curis deditis, atque his qui in operibus & rebus sese fatigarent, hæc redundasse. Pinguia verò colliquationis signa esse ipse ostendit: aquosa verò tenuis & serosæ humiditatis. Multis autem ait hunc ipsum adfuisse morbum, id est, talia deijcere, nempe & absque febribus, quibusdam hoc fuisse ait. Pertransitus verò, hoc est, vacuationes ipsis contigisse, multis eūtibus & suppreßis, quod significat acsi dixeris, multis adhuc & in corpore manentibus, non minùs & vacuationes fuisse multas, ob id neque exeuntia soluere dolores, nempe quomodo soluere poßint ipsa, multis adhuc retentis?

Oblata ægrè admittebant nempe purgationes plurimos lædebant. Horum autem qui ita habebant, multi quidem citò moriebantur, multis verò & longiùs malum protrahebatur.

Προσφερόμενα, id est, oblata dicere potest, & cōmuniter auxilia omnia, & propriè quæ eduntur & bibuntur. Purgationes verò, quarum meminit, inter vtraque statui possunt. Quòd autem auxilia ita habentes non iuuerint, manifestum est, etsi nihil ipse dixisset, multis siquidem pereun-

tibus, nihil omnibus ipsis conferebant auxilia.

57 Vt autem in summa dicam, omnes & qui longis morbis & qui acutis vexabantur, ex alui vitio maximè moriebantur. Omnes enim venter sustulit.

Et apud nos facta pestis illa longißima ex vacuatis per ventrem, ferè omnes sustulit, erant autem colliquatio quæ excernebantur, atque hoc videtur inseparabile esse symptoma pestilentis febris propriè appellatæ, prehendente & ipso mortales citra pestem.

58 Omnes autem cibos auersabantur, atq; ex omnibus præscriptis in quos aliquando incideram, multi maximè hi, atque alij ex his & ex aliis qui perniciosè habebant.

Symptoma quoque hoc omnes qui in nunc facta longa peste erant prehendit, atque ob id plurimis mori contigit. Fortiores itaque, qui seipsos cogentes, ingerebant qui administrabantur cibos, omnes ferè seruati sunt: plurimi verò mori elegerunt potiùs quàm aliquid ingererent. Hæc itaque visa sunt contigisse his qui tunc vitio ventris maximè ægrotauerunt, nempe & huius opus est ciborum appetentia.

59 Sitibundi alij quidem, alij non.

De his qui citra febrem ob ventris turbationem, vt ipse vocauit, infestati sunt, sermo ipsi nunc est, manifestum autem ex his, quæ ipse inferens, dixit: Ex his qui febriebant, & alijs,

nullus intẽpeſtiuè. Cõſtat autẽ ex his quæ diximus ſuprà, propter quid neque ſitibundi omnes erãt, neq; ſiti vacui, craſsities ſiquidẽ humorum, & tenuitas aquoſa aceruata eſt, frigida quidem ambo per ſuam naturam, ſed ex putredine aſcititiam caliditatem accipientia. In quibus itaque iam putredinoſum calidum euicerat, hi ſitibundi erant: in quibus autem nondum, etiam hi rationabiliter ſiti erant vacui.

Ex febrientibus & aliis nullus intempeſtiuè. 60.

Vbi in priore dictione dixit de ventre moleſtatis, quòd alij quidem ſitibundi erant, alij non: nunc iam & de his qui ſimul cum febre laborabant, ait, nullum fuiſſe ſitibundum valde vehementer, neque vt Medicis non crederet. Hoc autem factum eſt, quòd non in ventrem ipſorum tantum ichorum putredinoſorum conflueret vt prædictis.

Vrinæ autẽ multæ quidẽ, ſed quæ exhibant, non ex ingeſtis potibus, ſed multùm excedebant. Vrinarũ verò exeuntiũ multa quædam erat malitia. neq; enim craſsities, neq; concoctio, neq; purgatio bona. Nempe in multis per veſicam purgationes bonæ factæ, bonum futurum: plurimis verò colliquationem oſtẽdunt, turbationemq; & dolores, & diuturnitates, & acriſias. 61.

Manifesta omnia sunt dicta, & memoriam non expositionem requirunt. Ipse enim manifestè demonstrauit in antecedente libro, quem percurri, quòd interdum ratione symptomatis vacuentur vrinæ, veluti, tum sudores, tum vomitus, & quæ per ventrem subeunt.

62 Comatosiq; erant, & phrenitici, & causo laborantes, atque etiam in aliis morbis omnibus maximis, quòd cum febre essent.

Cωma effecit materiæ craßitudo, & maximè illis, in quibus caput passum est. Patitur autem phreniticis quidem, prima ratione: Causis verò, ex accidenti, nempe caliditas febris ad caput prauos humores sursum euehit, redundabant autem nunc crudi & frigidi.

63 Perpetuò autem plurimos graue cωma consequebatur, vel tenues & parui somni dormientibus erant.

Cωma graue, excitatu difficile intelligere oportet: tenues autem & paruos habere somnos, contrarium est. Fiebat autem primùm quidem quibus craßities & copia materiæ frigidæ esset: secundùm autem, quibus tenuitas putrefacta.

64 Multæ & aliæ febrium populatæ sunt formæ, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum, errabundarum, implacidarum, inconstantium.

Propter varietatem contristantium humorũ, tum alij morbi, tum febrium formæ plures contigerunt.

gerunt. Meminit autem & intermittentium quidem, quæ omnes tres sunt, quotidianarum, tertianarum, & quartanarum: tertianarum quidem & quartanarum nominatim primùm, quotidianarum verò, cùm inquit: nocturnarum. Duplici enim existente ipsarum differẽtia, quatenus aliæ quidem nocte exacerbant, aliæ verò diu, atque ob id appellationes inde nactæ sint: differentes, earum quæ tunc redundarunt mentionem fecit Hippocrates, quæ nocturnæ sunt. Simus itaq; etiã memores, quòd cùm in primo epidemiorum & secundo multos ægros memorauerit seorsum, & constitutiones totas exposuerit, nusquam tamen quintanam, vel septimanam, vel aliam quandam multorum dierum febrem scripsit: sicuti neque in tertio epidemiorum, neque in superioribus, neque in sequentibus ad finem vsq;, ex quibus subit mihi suspicari de his quæ in primo libro epidemiorum scripta sunt, quòd interserta videantur, vbi vult & alias quasdam esse plurium dierum quàm quartana sit, febres. In prædicta verò dictione propriam appellationem scripsit, veluti continuarum, species autem omnes ipsius persecutus, deinde communi appellatione continuas demonstrauit, inter quas prædixit & causos & phrenitidas. Deinceps autem & longarum, & errantium scripsit appellationem, vbi & meminisse te velim eius quod ab initio prædictæ orationis est dictum, febrium species appellare

ipſum, omnia quæ commemorata ſunt.

65 Omnes autem hæ cum multa turbatione erant, alui etenim pleriſque turbabantur, horrores, ſudores non iudicatorij, vrinæq; vt ſubſcripſimus: plurimis autẽ ipſorum hæc diuturna erant, neque enim his, qui fiebant abſceſſus iudicabant vt in aliis, iudicatu quidẽ difficilia omnibus omnia erant, acriſiæ & diuturnitates, ſed quàm maximè his. Iudicabantur horum pauci ad octogeſimum: plurimos verò vt contigit, reliquerunt. Moriebantur autem horum pauci ob hydropem, recti. Multis autem & in aliis morbis œdemata moleſta erant, & quàm maximè tabidis.

Prædictas omnes febres cum multa inquit fuiſſe turbatione: deinde exponit quæ nam fuerit turbatio, ſymptomata ipſarum ſcribens. Cætera autem quæ deinceps dicuntur, manifeſta his ſunt, qui anteriorum meminerunt.

66. Maximum autem & grauiſsimum & quod plurimos interemit, erat tabes. Nempe cùm multi hyeme cœpiſſent, multi quidem iacuerunt, alij verò recti ſufferebant. Ante Ver verò plurimi eorum qui iacuerant, moriebantur. Cæterorum nullum tuſſes relinquebant, remiſerunt verò æſtate. Sub autumnũ autem decubuerunt omnes

multi

multi perierunt, plurimi verò ex his diutiùs laborauerunt. Cœperunt itaque plurimi horum ex his malè affici, horrores verò frequentes, sæpiùs febres continuæ, acutæ, sudores intempestiui, frigidi, multi perpetuò, multum autem frigus, & rursum vix recalescebant, ventres variè retinebantur, & rursus citò humectabantur, & liquidi fiebant: quæ pulmoni molesta erant, omnia deorsum ferebantur: copia vrinarum non bonarum, colliquationes malæ: tusses erãt quidem perpetuò multæ, & quæ multa educerent cocta & liquida, sed cum doloribus non admodùm, quòd si & subdolerent, rursus leniter à pulmone purgatio omnibus fiebat, fauces non mordentes, neque salsosæ, nihil infestabant, lenta verò, alba, liquida, & spumosa multa à capite erant. Hos verò & alios consequebatur quàm maximum malum, ciborum fastidium, vt subscriptum est. neque enim cum potu & cibo suauiter habebant, imò citra sitim valde degebant.

Prædictum est & à me anteà, quòd repleto in calida & humida, & ventris vacua constitutione capite, tabidosa fiebat affectio ex delato in pulmones rheumate, cuius pars per stomachum ad ventrem fluxu delata, in ipso turbationes

facere cœpit. Quæ de tabidis deinceps dicta sunt, quanquam manifesta his sunt qui prædictorum meminerunt, ego tamen quod de his melius esse indicare videbitur, id faciam. Primum autem inter ipsa est, plurimos tabidorum principio Veris obijsse ex aëris mutatione. Ipse enim dixit extremam hyemem asperam fuisse, & iam circa æquinoctium aquilonem niuosum fuisse, difficillimæ autem tales transmutationes tabidis, atque ob id & autumnus perniciosus. ipse enim in aphorismis dixit tabidis malum esse, & maximè quidem aquilonia thoracis partes omnes malè afficiunt. Inquit itaque ipse in aphorismis tusses fauces q́; & dolores, tum laterum, tum pectoris fieri in aquilonijs, & longè autem magis his quibus iam adfecta sunt hæc, & caput deorsum rheuma demittit, & ideò æstate tusses ait ὑπεῖναι, id est, remisisse, quod est ἐνδοῦναι & μετριάσαι, id est, inclinasse & modestiores fuisse, erat siquidem æstas, vt ipse ait, humida & calida, veluti rursus initium ab ipsa autumni tabidis inimicissimum. Ipse enim inquit: rursus autem circa Arcturum in aquilonijs aquæ multæ. Quòd autem in longum tempus protraherentur non solùm tabes, verùm quoque & morbi alij, craßitiem materiæ causam aßignare oportet, nihil in se habentis, tum acre, tum calidum, sed tandem ex putredine id accipientis. Hoc autem manifestißimè ipse ostendit per hanc dictionem: fauces non valde

mord

mordentes, neque salsæ, nihil molestæ. glutinosa verò & alba, & liquida, & spumosa à capite demittebantur. Reliqua verò alia omnia quæ in dictione sunt, manifesta his sunt qui superiorum meminerunt.

Corporis grauitas, cωmatosi. 67.

Dictum sæpiùs quòd extincta baiulatrice & motrice corporum facultate, grauia videtur quæ anteà ab ipsa, tum baiulabantur, tū mouebātur.

Plurimis ipsorum œdemata, & in hydropem circumagebantur. 68

Mirum nihil, si propter crudorum humorum redundantiam, in hunc affectum quidam inciderunt.

Horrentes, deliri circa mortem. 69

Aucta ex putrefactione succorum malitia, tum horror, tum delirium his fiebant progressu temporis, in quo iam & moriebantur.

Genus tabidorum erat læue, subalbum, pituitosum, subrubrum, charopum, leucophlegmatiæ, alati, & mulieres. Sic & melancholicum genus, & subsanguineum. Causi hos, phrenitidesq́;, & dysenteriosa infestabant, tinesmi iuuenibus pituitosis, longæ diarrhœæ, & acres deiectiones, & pingues hominibus amaræ bilis. 70

Formas corporis eorum qui tabidis morbis corripiebantur, enarrat, λεῖον itaque, id est, ἄτριχον, id est, depile, ostendit temperaturam symmetro

frigidiorem esse, neque in pueris sermone facto (hi enim semper calidi propter ætatem) sed in perfectis, vt in libris de temperamentis diximus. Sic & color albus, & miror propter quid præpositionem, sub, adiecit, subalbidum inquiens. Nempe in rubro bene dictum est subrubrum. didicisti enim rubrum colorem calidam temperaturam ostendere: subrubrum verò non similiter quidem albo, frigidam, neque verò ipsum adhuc calidam. Leucophlegmatiæ verò manifestè nimirum frigidæ sunt temperaturæ, si quid memores fuerimus eorum quæ in libris de temperamentis diximus. Est autem ipsis mollis & tumidior quodammodo caro propemodùm vt hydero correptis, quem vocant λευκὸν φλεγματίαν. *Sic itaque omnes manifestè sunt frigidæ temperaturæ: pituitosi verò, vt didicisti, cacochymæ. Præterea de charopis, & omnino de oculorum coloribus didicisti in libris de temperamentis, quòd non simpliciter accipere oporteat ex tali signo certam coniecturam temperaturæ totius corporis, nisi solorum oculorum, neque horum euidenter in prædictis. Primùm siquidem charopos dictos oculos qualésnam sint, intelligere oportet, eorum quæ à Poëta scripta sunt recordando, vbi inquit:* ἄρκτοι τ' ἀγροτεροί τε σύες χαροποί τε λέοντες, *Vrsi, apri & charopi leones: deinde conspiciēdo multos leones, ita mandare memoriæ colorem oculorum, vt cùm in hominibus videas, dignoscere fa*

re facilè posſis, & cùm videantur tales, temperamentum quoque in oculis calidum & ſiccum eſſe dicas. Pugnant verò cum hoc, & in præſenti dictione non pauca. Primùm ſiquidem cum frigidiore temperatura charopum ordinauit: deinceps vocauit picrocholos, id eſt, homines amaræ bilis, tanquam alios ab his exiſtentes, cùm manifeſtè hi ſint calidæ & ſiccæ temperaturæ. Imò & affectus ſcripti cum quibus ſpecies corporis dixit, oſtendunt & ipſi, primos quidem dictos omnes eſſe frigidiores: rubros verò calidiores, & picrocholos valde calidos, videtur ſiquidē hæc conſtitutio copiam in corpore aceruaſſe, caputq; repleuiſſe, atq; hoc quidem commune omniū fuiſſe morborum: captum autem vnumquenque proprio morbo iuxta propriam naturam alium alio, diarrhœis & acribus deiectionibus, pinguibusq; picrocholos. Nam ipſe in prognoſtico inquit pinguitudines ſuprà incumbentes, aranearum telis ſimiles, damnandas eſſe. colliquationis enim ſunt ſignum. Picrocholi itaque colliquantibus febribus iure corripiebantur, ventrisq; deiectionibus infeſtabantur: rubri verò & ad melancholiam parati, craſſum & calidum habentes ſanguinem, iure, tum phreniticis, tum cauſoſis capiebantur morbis, & cruentis dyſenterijs, vt par eſt maximè, didicimus ſiquidem geminas quaſdam eſſe, ex vlceratione quidem exeſorum inteſtinorū differentiā vnā: multò autem

ſang

sanguine per venas quæ ad intestina pertinent euacuato, reliquam, naturas verò vel calidiores solùm, vel frigidiores simul & humidiores, has par erat, vt quæ neque à febribus facilè caperentur, neque à biliosis morbis, solis à capite capi rheumatis, atque ob id tabidè ægrotasse. Quoniã verò scripserit Hippocrates: genus autem tabidorum erat læue, subalbum, pituitosum, subrubrum, miscueritq; & sermoni charopos, dignum quæstione visum est mihi quod dictum est. Rationabile autem erat, vt non charopi, sed glauci magis dicerentur, quòd hi quidem frigidæ, alij humidæ, alij frigidæ simul & humidæ temperaturæ esse viderentur, quorum nullum cum præsenti sermone pugnat. Comparemus autem & infantes, Scythasq; & Celtas, & Germanos, qui humidiores quidem indubiè temperamento existunt, frigidiores verò non sine controuersia, mihi itaq; ob hæc visum est quæstione dignum esse quod de oculorum colore fuit. Ex his autem qui librum exposuerunt experimentarij quidem, & cum his Lycus, vt alia multa, sic & hoc absque inuestigatione causæ prætereũt. Hippocratici verò quidam temperamenti calidi signum esse charopon affirmant, alij sicci, sunt qui vtriusque iam nihil adijciant. Satis fuit autem Sabino dicere hoc solum: charopon verò valde siccum existens, habet inclinationem ad phthisin, neque rationem ob quam hoc scripsit reddit, neque cætera cũ quibus

hoc

hoc ſcriptum eſt omnia ſunt frigidioris & humidioris temperaturæ ſigna. Nunquid itaque pro glauco charopon ſcripſit Hippocrates, vocabulo falſus circumuentusq́;? quid enim aliud quis dixerit? Hoc itaque in communi cõtemplari liceat. Ad reliqua autem dictionis pergamus. Nempe in morbis tabidoſis, vnà cum prædictis & alatos ſcripſit, qui non propter temperaturam, ſed ob prauam thoracis affectionem prompti ſunt in phthiſin cadere, par eſt autem & conformationẽ ipſius calorem natiuum ſequi. Ad finem autem ſermonis de tabidis, vbi Hippocrates adiecit: & mulieres, conſiderandum ánne ita quodammodo dixerit, tanquam quis dixerit & mulieres capi tabidoſis affectibus ſimiliter viris, quæ eiuſdem eſſent generis: an abſque hoc, quòd haberent hæc indicia, abundaſſe dicat adfectum mulieribus tanquam frigidioribus & humidioribus exiſtentibus, vt quod viris quibuſdã ob propriam cuiuſq; temperaturam fieret, hoc valde multis mulieribus ob communem. Vtrunq; autem videtur mihi rationem habere. Credibile eſt ſiquidem plures viris captas eſſe mulieres tabidoſo affectu, propter communem ipſarum temperaturam, & præſertim pati ipſas quæ tales genere eſſent, quales commemorauit viros. Deinceps quia dixit melancholicum & ſubſanguineum genus maximè captum, tum Cauſis, tum phrenitide, recordemur eorum quæ didicimus, quòd quibus ſanguis multus

tus generatur, his promptè in melancholicam peruenit cacochymiam. Intellige itaque non eos qui iam multam nigram aceruauerunt bilem, sed eos qui ad ipsius generationem sunt idonei. Iure itaque hos calidis captos fuisse morbis contigit, tanquam & natura calidiores. Vbi autem anteà dixit tabidosis captos fuisse morbis pituitosos, nunc adiecta ipsis ætate, inquit: tinesmi iuuenibus pituitosis, vt non sola naturali temperatura idonea ad faciendum tinesmi affectum facta, sed & ætate calida existente, ob acrem & putredinosam pituitam tinesmum fuisse intelligamus, nempe per transitum ad rectum intestinum talis pituita vlcerosam partis læsionem efficiens, ægros ad excretionem aßiduè irritauit: Tensiones autem & desidendi appetentias, quàm dysenterici, vehementiores habent tinesmosi, propterea quòd pituita difficulter excernatur, adhæret siquidem corporibus crassa & lenta existens, neque vt flaua bilis celeriter pernecat. De picrocholis naturis anteà dicebam, rationabiliter ipsis acres quidem esse deiectiones, propter, tum pallidam, tum flauam, tum amaram appellatam bilem: pinguem verò colliquationem, in quibus deiectionibus longæ diarrhϾ fuissent, propter multitudinem collectæ cacochymiæ.

70 Erat autem subscriptis omnibus Ver infestißimũ, plurimosq; interfecit. Aestas facillima, & minimè peribant. Autumno

verò

verò & sub pleiadas, multi interierunt Δ.

Collecta cacochymia in profundum corporis refusa ab aëris frigiditate quam in extrema hyeme, & primo Vere habuerant, iure maximè quidem tabidosis, vt antè dixit, iam & cæteris Vere perire contigit: æstate verò quæ fuerat serena & sicca, omnes leuatos. rursus autem circiter Arcturum transeunte in humiditatem aëre, rationabiliter ad occasum pleiadis vsque multi perierunt τεταρταῖοι, ad finem præsentis constitutionis. Exemplaria quædam scriptum habent τετάρτῃ, id est, quarto die: alia τεταρταῖοι, id est, quartana febre: quædam his adhuc vetustiora habent Δ literam, quæ alijs literis est maior: alia nihil omnino adscriptum habent. Qui itaq; cum ι scribunt τετάρτῃ, id est, quarto, ipsum in datiuo casu dici coostendentes, talem quandam faciunt expositionem: moriebantur multi quarto die; Qui sine ι subscripto legunt, volunt similem esse anteà dictis in primo epidemiorum libro, & quartam esse constitutionem hanc, numeratis cum ipsa scilicet in illo libro tribus constitutionibus. In quibus verò exemplaribus pro τετάρτῃ, Δ solum adscriptum est, idem significat cum τετάρτῃ. quod similiter his qui à Pamphilo Mnemone scripti sunt characteribus coniecturaliter affectari videtur, atq; hanc solā scripturā nouerūt veteres interpretes. Quidam vitare hæc cupiētes, permutauerunt, & fecerūt τεταρταῖοι,

dict

dictionem totam ita habere volentes: & sub pleiadas rursus peribant multi τεταρταῖοι, id est, quartana febre. Et Capito solam hanc in proprijs exemplaribus fecit scripturam. Sed visus est falsum quippiam indicare, siue de ægrotantibus, siue de febribus quispiam intellexerit. Nempe de ægrotantibus ferè incredibile, neque enim par erat, vt in proposita dispositione humoris ita acuti fierent morbi, vt quarto die perirent ægri: in febribus verò credibile, quòd & multo tempore exusta crassa materia, par erat ad melancholicum excrementum transijsse, & quòd anni tempus erat autumnus. sed non perijssent multi, quartanis abũdantibus febribus. Nos enim periculo vacare scimus, quantum in se est, febrem hanc, vt Hippocrates de ipsa pronunciauit.

DE HIS QVAE AD finem libri scripta sunt.

POst pestilentem constitutionem ægrorum sexdecim, est narratio ad finem vsq; libri. *Iam verò adscripta sunt quædam, de quibus rectè mihi videtur Dioscorides statuere, qui vult ipsa post constitutionem statim scripta esse, & iuxta propriam publicationem in hoc libri loco ipsa ordinauit. & nos itaq; hîc expositionẽ ipsorum faciemus, tantùm præfati, quòd videtur mihi & hæc alius quidam adscripsisse, non ipse Hippocrates scripsisse. Videtur autem mihi secundum rationẽ præiuuisse facta æstas. nempe æstiuos*

uos morbos, hyems insidens soluit: & hyemales, æstas superueniens. æstas verò nō constans erat: nam repentè calida, australis, & ventis destituta: in aliam tamen constitutionē permutata, profuit. Memores autem simus eorum quæ de æstate in constitutionis enarratione scripta sunt, hac dictione: æstas serena, calida, æstus magni, anniuersarij parui cōtractim spirauerunt. Iure itaq; morbi æstate moderatiores fuerunt, iuxta redundantiam factorū, vt dictū est, humorum. consistebāt verò maximè in principio Veris, quoniā frigidū redditum humores in profundum corporis conuerterat. Squalida enim & calida æstas superueniens, ad cutim cacochymiā traxit, quāquam & non modicū ipsius euaporauit. quòd si & anniuersarios spirantes habuisset, prorsus morbosa in corpore tunc viuentium hominū affectio abrogata erat: permanente verò parte ipsius aliqua, deinde multis circiter Arcturum in Aquilone factis pluuijs, retenti sunt rursus non valde perspirātes humores, et in profundū corporis repulsi sunt. Ex hoc autē ægrotare rursum cœperūt, & perire multi. Ob id itaque æstas tunc patientes nonnihil iuuit, non quòd morbos qui hyeme cœperāt, cessasse æstate par sit. verū siquidē vt & æstiuos hyeme factos æstate solui: ita & æstate factos, hyeme. Aestiuos siquidem & hyemales morbos intelligere te oportet, qui in habentibus secundum naturam æstate, & hyeme magis alijs fiunt. nempe

ita ipse inquit in aphorismis: Morbi autẽ omnes "
quidem in omnibus anni temporibus & fiunt & "
exacerbantur, magis tamen nonnulli in nonnul- "
lis ipsorum & fiunt & exacerbantur. Deinde "
quinam. Vere redundant morbi, quinam & æstate & autumno & hyeme, percurrit, vbi scilicet nihil in aëris temperatura noui factum sit. Quòd si Vere eodem die modò calor modò frigus fuerit, autumnales morbos expectandos ait. non enim appellationes anni temporum, sed temperaturæ specierum morborum causæ existunt. cùm itaq; permutata ipsa fuerint, morbos quoque simul cum ipsis permutari est necesse. Præsens autem dictio vult morbos hyeme factos, æstate cessare, etsi praua temperamento fuerit æstas, vt in Cranone aliquando fuit, cùm carbunculos statim generauit. quòd si & nunc talis fuit, plurimos peremit multitudo prauorum & putrefactorum humorum tum aucta tum adputrefacta. quare & mendacium esse videtur, & contra mentem Hippocratis, morbos hyeme factos, æstate prorsus desinere, eius qui ipsum adscripsit, quos existimat Hippocrates vniuscuiusque anni temporis peculiari morbo laborasse. Neq; tamen quæ ab his deinceps scripta sunt, necesse est hîc dicere, quæ per alia ab ipso inuniuersum præcepta sunt, & ob id ipsa absolutè pertransibo. Nempe manifesta omnia sunt, & per libros quos antè exposui, abundè de ipsis est dictum.

D E

DE ÆGRIS POST CONSTITVTIONEM.

*

Sedecim post constitutionem ægros scripsit Hippocrates, qui, vt nonnulli existimant, in ipsa ægrotauerunt, quoniam & ipse Hippocrates dixit in fine narrationis eorum quæ in ipsa fuerunt, ita: Erat autem omnibus subscriptis molestißimum quidem ver. Fieri autem potest, vt & de præscriptis dictum sit: subscriptis, tali existente vsu apud multos. nempe in his sedecim ægris alterum genus erat morborum à dictis ab ipso in pestilente constitutione. Lõga autem non amplius egent expositione quæ de his scripta sunt, his qui eorum meminerunt quæ anteà exposuimus. nempe ferè omnium iam tum symptomatum tum signorum quæ commemorauit Hippocrates, nullum in dicendis ægris reliquum est. quod non anteà dictum fuerit. Per summas itaque velut incursum quendam faciemus eorum quæ in ipsis scripta sunt, si quid interciderit eorum quæ antè dicta fuerunt, illud solum exposituri.

In Thaso Parium quendam qui supra ædem Dianæ iacebat, febris prehendit acuta, principiò continua, causosa, siticulosus cœpit comatosus esse, & rursus vigil, aluus turbata in principio, vrinæ albæ. Sexto minxit oleosum, delirauit. Septimo

exacerbata omnia, nihil dormiuit, vrinæ verò similes, & mens turbata, ab aluo biliosa percurrerunt, pinguia. Octauo deinceps parùm à naribus stillauit, vomuit æruginosa, pauca: parùm dormiuit. Nono eadem. Decimo omnia remiserunt. Vndecimo sudauit, sed non toto corpore, circunfrixit quidem, sed mox recaluit. Duodecimo febris acuta, deiectiones biliosæ, tenues, multæ, vrinis enæorema, delirauit. Septimodecimo laboriosè habuit; neque enim somni, neque febris increuit. Decimooctauo sudauit per totum corpus, insomnis, deiectiones biliosæ, ciborum inappetens, comatosus. Vigesimoquarto recidiua. Trigesimoquarto sine febre, aluus non constitit, & rursus recaluit. Quadragesimo sine febre, aluus non constitit tempore non multo, cibos fastidiens, parùm rursus febricitauit, & perpetuò errabundè, modò sine febre, modò cum febre. nam si intermitteret & leuaretur, rursum reuertebatur. Frumentis hornis multis & vitiosis vtebatur somni circiter recidiuam mali, delirauit, vrinas crassitiem quidem habentes minxit tunc, sed turbatas & malas, aluus constans & rursus dissoluta, febriculæ continuæ, deiectiones multæ, tenues Centesimouigesimo die obiit. Erat huic aluus assi-

duè

duè à prima die liquida, biliosis liquidis multis: si constaret, feruidis & crudis, vrinæ perpetuò malæ, comatosus plurimùm cum doloribus, vigil, cibos auersabatur, assiduè Causus.

Curiosè & hîc rursus interpretum quidam patriam decumbentis aiunt non otiosè adijci: nam ab Asclepiade dictum, Parios maximè à sectione venæ iuuari. absurdum autem cùm sit nihil hîc dixisse Hippocratem de vena sectione, ob id existimauerunt patriæ nomen ægro adscriptum esse. Longè verò absurdius faciunt hi interpretes, quòd nunquam quæsiuerint propter quid in tot ægris semel sectionis venæ meminerit Hippocrates, quod nos considerauimus, quare talibus prætermissis, quæ intellecta auxilium iuuenibus præstant, hæc dicemus, vt tandem quod de vrina oleosa est scriptum in præsenti ægro sexto die. Quidam enim existimant pinguem ita ab ipso dici, quæ liquata pinguedine fit in flammante & perurente morbo: alij verò colore & substantia oleo similem. Sæpiùs autem vrinam talem mictam vidi citra vllum laborantis malum, sed interdum contrario modo prorsus in morbi coctione. Neque tamen visa est aliquando vrina tota ita pinguis, vt oleum nempe vrina quam nuper percurri oleo similem colore & substantia, minimè pinguis videtur. inquitq; & in prognostico Hippocrates: Pinguitudines

quoque suprà innatantes, telis aranearum similes, considerandæ. sunt etenim colliquationis signa. Suprà itaq; innatantes sæpius vidimus pinguitudines, neque verò totam emictam aliquando talem vrinam, neq; in medio ipso pinguitudines peruehi, neq; (quod magis fit) deorsum separari. naturam enim habet pingue omne, vt cæteris liquidis superfundatur. Neque verò quippiam de talibus vrinis scripsit in prognostico Hippocrates, quanquam omnia percurrerit tum exactè tum euidenter, quæ morbis acutis contingunt. Præterea eodem die sexto scilicet, ait deiectiones fuisse proposito huic sermoni ægro biliosas & pingues. Hæ itaque fieri videntur liquata ob febrem pinguitudine, videbunturq; his attestari qui pingues vrinas existimant esse oleosas. Possunt autem & ad contrarium referri. nempe vrinas pingues prorsus dixisset Hippocrates, si & hæ oleo similes fuissent. differẽtibus autem nominibus vsus & in vrinis & in deiectionibus, ostẽdere videbitur ipsorũ significationẽ propriã vtriusque fecisse. Mihi itaque rationabilius esse videtur oleosas nunc vrinas dici quæ substantia & colore oleo similes sunt: faciam verò vtroque modo expositionem. Nam si pinguitudinem quandam vrinæ habuissent, veluti & deiectiones, prauas quidem ipsas existimare oportet, non tamen lethales prorsus, nisi idem sit & carnem & pinguitudinem liquari, feruidissima quidem existente

istente caliditate quæ carnes colliquet: moderatiore verò, quæ pinguitudinem. Nempe & colliquationes, quæ per ventrem excernuntur, Medici omnes à pinguibus deiectionibus differre putant. in longissima quidem apud nos peste omnes ferè aliquid colliquationis excreuerunt, alij quidem exactè fuluæ, alij moderatè, omnes verò graueolentis. Verùm tales deiectiones lethales sunt, & tempus non perferunt. Parius verò hic viginti dies post centum ægrotauit, cum eo quòd mala victus ratione fuerat vsus. nam de ipso scripsit Hippocrates: frumentis hornis multis & vitiosis vsus fuerat, quapropter pingue minxit sexto die & sequentibus. Non necesse itaque erat, vt ipse citò moreretur: si verò vrina pinguis non fuisset, sed colore & crassitie oleo similis, adhuc minùs vt omnino moreretur rationabile erat, quantum ex vrinis esset. Quod verò ex ita emictis obseruaui commodissimum, iam recensebo. Vt enim oleum ipsum non exactè vnam neque substantiam neque colorem habet, eodem modo neque oleosa vrina pallida quidem erat prorsus, sed vel magis vel minùs. Quantum itaque ipsius ad candidiorem vergit colorem exoluto pallido, cruditatem humorum ostendit: pallidus verò color ita intensus vt prope flauum sit, biliosam caliditatem. Periculum itaque ex talibus vrinis non propter malignitatem fit, sed propter febris vehementiam. & quidam ipsorum vbi ex

alijs omnibus salubriter habuerint, citò iudicantur. Nihil itaque miri, si vbi hæc quis minxerit, in temporis longitudinem exciderit, vtrouis modo oleosas intellexerimus. tales siquidem vrinæ bonæ non sunt, non tamen valde lethales. Ex his autem quæ ad finem expositionis scripsit, cacochymia quædam erat Pario biliosa, & tum ventris tum hepatis extinguebatur facultas. Ipse etenim scripsit in fine totius narrationis eorum quæ ipsi contigerunt, aßiduè quidem ab initio ventrem exturbatum biliosis & liquidioribus deiectionibus: constare autem interdum & feruentia crudaq; deijcientem. Ex his itaque tibi ostenditur morbi cacochymia, veluti & quòd per plurimam morbi partem comatosus ipse & vigil fuerit. quòd autem naturalis ipsius facultas extingueretur, signum proprium facta in morbo inappetentia fuit. didicisti siquidem quòd ἀποσίτους, & secundum antiquorum Græcorum consuetudinem ἀνορέκτους, id est, inappetentes vel cibos fastidientes dicit. Videtur verò imbecillam habuisse naturam, quæ iudicium quidem sæpius aggrederetur, nihil verò perficeret, imò à morbo vinceretur: simul & quòd praua victus ratione vsus homo fuisset. non enim paruum est hoc ad perniciem. Iudicatoriorum autem dierum ratio videtur & hic exquisitè obseruata, omnibus iudicatorijs motionibus & recidiuis in diebus his ægro factis. Vndecimi siquidem meminit & decimi

cimiquarti, & ab hoc decimiseptimi, & vigesimi, à quo & vigesimiquarti, & trigesimi, & quadragesimi, & postremi omnium centesimi & vigesimi, in quo ait defunctum hominem. Quod verò antè dixi, dicam & nunc: Si quis perperàm dicta ab his qui librum interpretati sunt, redarguerit, vt multiloquus culpabitur. Quare vt in illis exempli gratia quorundam meminisse sum coactus, ita & hic faciam. Sabinus itaque de ægri patria si quid dixit, suprà significaui: quæ verò de oleosa vrina, nunc dicam. non parùm siquidem diuersa est de hac re speculatio.
» *Scribit autem de ipsis ad verbum ita: Oleosum*
» *itaque quidam bilem dicunt, verùm bilis non*
» *est, quoniam neque admodùm esset perniciosum.*
» *sæpiùs enim exit bilis, & nihil offendit: alij au-*
» *tem dicunt neruorum oßiumq; & cartilaginum*
» *corruptionem esse, omnia siquidem hæc huius esse*
» *coloris. Sed hi falluntur, qui colorem oleosum si-*
» *milem oßibus neruisq; & cartilaginibus esse di-*
» *cunt. neque enim tanta fuisset vitæ productio, so-*
» *lidis dissolutis. nempe centesimo & vigesimo de-*
» *functus est. neque defunctus quis, qui tale min-*
» *xit. An verò & potiùs ob id æger descriptus est.*
» *vt ob id ostendat, quòd non oporteat mortem ex-*
» *pectare oleosa emicta, sed potuisse ad acutiem &*
» *tempus quoddam sufficere, deinde obijsse? qua-*
» *re nulla spes erat vt seruaretur, qui celeritatem*
» *morbi trāsijsset. Hæc præfatus Sabinus deinceps*

inquit: quid itaq; est oleosum? vt igni externo alimentum est oleum, sic naturæ nostræ quæ igni similis est, adeps concoctorum assumptorum est alimentum. vrina itaque oleosa est alimentum naturæ, ostenditq; naturam cibum non adsumere, atque ob id emortuum quòd non alatur natura. Productus autem ita iure morbus, quòd pars, & non omne deferretur naturæ alimentum. Hæc itaque Sabini dictio asserentis, vt externus hic ignis ab oleo nutritur, ita calor noster. itaq; oleũ aliquando his qui recreare sese volunt, confert. Præter hæc, vt vrina oleosa colore quidẽ & crassitie oleo similis est, neque tamen pinguitudine, neque odore neque gustu. Licet itaque eos admirari qui aliena quidem perperàm reprehendunt: temerariè verò quæ sibi videntur, scribunt.

Mulierem in Thaso circiter frigidam aquam iacentem posteaquam filiam peperisset, nec facta esset purgatio, febris acuta, horrida tertio à partu die prehendit: multo autem tempore ante partũ cum febre erat, in lecto decumbens, & ciborum non appetens. à rigore continuæ, acutæ atq; horridæ febres. Octauo valde delirauit, sequentibusq; diebus: & citò rursus mente constitit. aluus turbata multis tenuibus & aquosæ bilis, sine siti. Vndecimo mentis compos, comatosa verò erat, vrinæ multæ tenues

tenues & nigræ, vigil. Vigesimo circunfrixit, & celeriter rursus recaluit, parum desipuit, vigil, aluus infera eadem, vrinæ aquosæ, multæ. Vigesimoseptimo sine febre, mens constitit. non multo pòst tempore ischij dextri dolor fortis multo tempore, febres rursus subsequutæ & vrinæ aquosæ. Quadragesimo ischium leuatum est. tusses verò continuæ, humidæ, multæ, venter constitit, ciborum inappetens, vrinæ eædem, febres verò in totum non intermittentes, errabundè verò exacerbãtur, hæ quidem, aliæ verò non. Sexagesimo tusses obscurè remiserunt, neque enim aliqua erat sputorum concoctio, neq; alius ex consuetis abscessus. maxilla autem dextra retracta est. comatosa, rursus delirauit, & citò intellexit, cibos auersata est, maxilla ad locum rediit, aluus biliosa & pauca reddidit, febricitauit acutiùs, horrida, sequentibusq; diebus sine voce, & rursus mente cõstitit, & loquuta est. Octogesimo obiit. Huic vrinæ perpetuò erant nigræ, & tenues, & aquosæ, & coma subsequebatur, cibos non sumebat, animo deiecto, vigil, iracunda, inquieta, & mente melancholica.

Significatu dignum est, quomodo nihil dixerit Sabinus de hac oratione circiter aquã frigidam,

cùm ipse dicere potuisset, quòd quia refrigerata esset mulier, ob id ægrotasse contigerit. Nempe hoc longè erat probabilius, quàm quæ dicta sunt in Parium, & eum qui in horto Dianæ iacebat, & eũ qui propè parietem habitabat. Videtur autem morbus mulieri contigisse, retenta in partu purgatione. morbosa siquidem est & muliebrium retentio: sed non similiter noxia, vt ea quæ à partu est, quòd non solùm ipsa copiam, verùm & cacochymiam multam operatur. Nam commodiorem quidem sanguinem ad se fœtus trahens nutrimenti gratia, relinquens verò vitiosiorem, causa cacochymiæ vterum gestantibus efficitur, quam à partu natura excernit. Quod intelligentes veteres, λοχίων κένωσιν, id est, purgamentorum vacuationem, eam quæ à partu fit sanguinis excretionem appellauerunt. Est itaque & menstrua vacuatio non vacuatio solùm, verùm quoque & purgatio. non est tamen æqualis copia cacochymiæ, neque in æquali tempore menstruis aceruatur periodis, quãta dum vterum gerit. In vniuersum autem, sanguis qui ab ipsis post partum euacuatur, melancholicus esse videtur, quare & vrinæ omnibus coloratæ videntur, veluti fuligo aliqua in ipsas incidisset, quod denique & in hac muliere scripsit Hippocrates, vndecimo die inquiens: vrinæ multæ, tenues, & nigræ, & quandam noui ex talibus vrinis multis euacuatis adiutam esse, aliàs autem ab hac

non est tale euacuatum. nempe ipsis incidissent in aquosum vrinæ multæ, tenues & nigræ. Scriptũ itaq; in vigesimi diei enarratione: vrinæ aquosæ, multæ, deinde rursus in quadragesimi: vrinæ eædem. neque tamen alia quæuis vacuatio vel abscessus fiebat, atque ob id vbi multo ægrotauit tempore, octogesimo obijt die. Hippocrates enim ipse ita scripsit: neque enim sputorum coctio aliqua fiebat, neque alius ex consuetis abscessus, quanquàm natura superfluum ad coxam refundere confestim tentaret; sed visa est remeare. nempe hæc inquit: Quadragesimo coxa leuata est, tusses verò continuæ, humidæ. Sæpiùs autem iam intelleximus de consortione thoracis ad partes genitales. Summa itaque eorum quæ ipsi contigerunt, hæc est. De particulatim autem in præsenti dictione scriptis, ὑδατόχολα διαχωρήματα, id est, aquosæ bilis deiectiones, nonnulli quidem scribunt per χ, & λ, ὑδατόχλοα: alij autem per χ, & ο, & λ, ὑδατόχολα, id est, aquosæ bilis deiectiones, & tenues quidem esse ipsas, vt aqua tenuis existit, vtroque nomine id indicante: permutatas verò iuxta colorem, ὑδατόχλοα, quidem διαχωρήματα χλόης, id est, herbæ colorem referre ipsa: ὑδατόχολα verò, bilis. Tertia autem quædam est scriptura per χ, & ρ, ὑδατόχροα, id est, coloris aquæ, quæ neque in antiquis neque prorsus in exquisitis exemplaribus reperitur, & manifestè praua existens.

niam

nam aquosæ vrinæ in eo quòd tales dicuntur, & substantiam indicant albam, & colorem album. Vsus est autem in narratione huius ægri affectata quadam dictione Hippocrates, quanquam omnia in libro clarè enuntiauerit. scripta est autem dictio in hunc modum : πρὸς ἢ τὰ γεύματα ἀπονενοημένως εἶχεν, id est, ad edulia inconuertibiliter habuit, & cibos extremè auersata est, voce excessum inappetentiæ & in ipsos cibos odium indicante. quod signum prauũ esse dictum est sæpiùs. Mirari licet quomodo nihil Sabinus in præsentes characteras cuique ægro assignatos dixerit. de quibus ego quidem abundè in secundo horum commentariorum quid pertractaui, non ampliùs ipsorum meminisse est mihi opus. Ille tamen in vnoquoque ægro proponens, prauitatem eorum qui ipsos interpretati sunt redarguere conatur.

In Thaso Pythiona qui supra phanum Herculis iacebat, ex laboribus, lassitudinibus, & negligentiore victus ratione rigor magnus, & febris acuta prehendit, lingua arida, sitibundus, non dormiuit, vrinæ subnigræ, enæorema sublime petens, non subsidebant. Secundo circa meridiem extremitatum refrigeratio, & magis manus & caput refrigerabantur, mutus & sine voce, breuispirus multo tempore, recaluit, sitiuit, nox quieta, sudauit capite parum.

Tertio

Tertio die quieuit, vesperi autem circa Solis occasum parum subfrixit, turbatio, nox laboriosa, non dormiuit, ab aluo frigida, constantia stercora exiuerunt. Quarto die manè quieuit, circa verò meridiem omnia exacerbata, frigus, mutus, sine voce, in deterius recaluit. Posteà minxit nigra, enæorema habentia, nocte quietus dormiuit. Quinto die visus est leuari, in ventre grauitas cum dolore, sitibundus, nox laboriosa. Sexto mane quieuit, Sole verò occidente labores maiores, exacerbatus est, à ventre vesperi ex clysmatio bona exierunt, nocte dormiuit. Septimo die anxius, subægrè tulit, oleosum minxit, nocte turbatio multa, delirauit; nihil dormiuit. Octauo mane quidē parū dormiuit celeriter verò frigus, aphonia, spiritus tenuis, & qui minuebatur: vesperi autem rursus recaluit, delirauit, iam autem & ante diem parum leuatus est, deiectiones meræ, paucæ, biliosæ. Nono comatosus cùm excitaretur, non valde sitibundus, circiter occasum Solis inquietus, delirauit, nox mala. Decimo mane sine voce, frigus multum, febris acuta, sudor multus, expirauit, diebus paribus labores huic.

Et

Et huius omnia reperies ab initio tum symptomata, tum signa lethalia fuisse, atque exacerbationes in diebus paribus, vt ipse ostendit Hippocrates, cùm decimi diei narrationi, qua ait ipsum obijsse, adiecit: diebus paribus labores huic. nempe mors generali iudicationis significato subiecta est, vt est demonstratum. Obseruatum autem & in hoc ægro iudicationes omnino fuisse in diebus quibus labores grauiores. nempe in paribus cum ipsi fuissent, mors etiam in pari cõsequuta est. Scripta autem sunt in eorum enarratione quæ ipsi contigerunt, duo hæc expositionis indiga. est autem alterum quidem horum de respiratione; scriptus enim in secundæ diei expositione breuispirus: tenuem verò spiritum & qui minuebatur, octauo die habuit. Didicisti autem in primo de spirandi difficultate, & secundo in prognosticum commentario, vbi dictionem hanc exposui: spiritus frequens quidem dolorem significat vel phlegmonem in locis septo trãsuerso superioribus: quemadmodùm paruus est aliquis simul & rarus spiritus, qui frigescente & ad extinctionem iam properante vitali facultate, fit. quod per aliquod ex inseparabilibus symptomatis ostendit, inquiens: frigidus autem ex naribus & ore si exspiretur, lethale admodùm iam est. Hunc itaq; existimare oportet ipsum nunc dixisse, secundo quidem die breuem, octauo verò tenuem, & qui imminueretur. est siquidẽ & aliquis alius spiritus

breuis

breuis simul & densus, dolorē indicans, vt ostendimus, siue in respiratorijs partibus, siue ipsas interiacentibus. Si verò ambos inter se comparaueris, pauciorem longè externum intrò trahi aërem in altero inuenies, quem paruum simul & rarū esse dixit. nam breui frequens coniunctus, assiduitate quod in qualibet inspiratione deficit, resarcit, vt qui assiduè parum bibunt, nempe hos βραχυπότας dices, qui & parum, & longo interuallo bibunt: si verò quis parum quidem, sed assiduè bibat, hunc non simpliciter dixeris βραχύποτον, sed μετὰ βραχὺ πίνοντα, id est, sensim bibentem. Eodem itaque modo qui propriè appellatur βραχύπνους, id est, breuispirus, in vnaquaque inspiratione non paucum solum, verùm & multo interuallo aërem externum per guttur attrahit. Sed fortasse quæres cur Hippocrates præfatus primo die febrem acutam fuisse, secundo verò breuispirum hominem esse dixit, demonstrauimus siquidem in vehementibus febribus spiritum magnum & frequentem esse. Dicemus primo quidem die calorem febrilem ob putrescentes humores accensum, ipsum quidem euaporatum, relictū verò natiuum solum ita imbecillum, vt iam extingueretur, priusquam rursus accenderetur febrilis calor, veluti feruescentibus qui putresceret humoribus. Secundus dies signum refrigerationis intulit, demonstratio autem rei huius maxima: nam tunc breuispirum ait ipsum fuisse & refri-

geratum scribit enim secundo die ita: Secundo circa meridiem extremitatum frigiditas, & magis manus & caput refrigerabantur, mutus, sine voce, & breuispirus multo tempore. In octauo autem rursus hæc scribit: manè quidem parum dormiuit, citò autem frigus, sine voce, spiritus tenuis & qui minueretur. Vbi & rei huic mentem attende, vbi refrigeratus est cum mala spiratione, & sine voce ipsum fuisse ait, quæ ex naturæ extinctione esse consueuit. Quarto autem die cùm scribit: frigus, mutus, sine voce, in deterius, ostendit per adiectionem huius orationis: in deterius, & breuispirũ ipsum fuisse. Relinquitur itaq; in hoc nobis, vt exponamus propter quid præfatus ἄναυδος, id est, mutus, superintulit ἄφωνος, id est, sine voce. Est autem & huius ratio talis. Τὴν αὐδὴν, id sermonem, neque omne quod auditu propriè percipitur, veteres videntur appellare, neque speciem vllam ipsius solam quæ per voluntatem animalis per os emittitur, in qua continentur & flere, & sibilare, & lugere, & tußire, & quæcunque alia similia: sed solam hominis vocem, secundùm quam inter nos colloquimur, αὐδὴν appellant. Sic enim & Poëta vbi Achillem fecit equis colloquentem, tunc ait alterum ipsorum verbis respondisse, & vsum humana loquutione: αὐδήεντα (γὰρ φησιν) ἔθηκε θεὰ λευκώλενος ἥρη, id est, loquentem (ait enim) fecit Dea vlnis albis Iuno. non quòd prius sine

voce

voce esset, neque quòd non haberet communem equorum vocem, sed quòd ἀυδὴν illam appellatam non haberet. Sic itaq; & Deam ἀυδήεσσαν, id est, loquentem dixit, locutione humana vsam, quòd & ipsam humanæ inquiunt esse formæ, non omnibus Deis talibus existentibus. nam manifestè Sol & Luna, & astra reliqua à forma humana valde recesserunt. Hippocrates itaque ἄναυδον quidem, id est, mutum dixit de eo qui non potest loqui: ἄφωνον, id est, sine voce, de eo qui non potest neque lugere, neque clamare, manifestum autem est tale prauius esse, quàm est (vt quispiam dixerit) mutitas. Quibus itaque lingua sola resoluta est, vocem edere quidem maximè possunt, loqui autem non possunt: si verò neque vocē expromere possint, summæ extinctionis est tale signum: ita habentibus, neq; lugentibus, neque gementibus, neque omnino loqui potentibus. Sabinus autem vt alij, eum quidem qui nullam habet vocem, ἄναυδον dici putat: ἄφωνον verò idem ἀπόπληκτον ab Hippocrate scriptum ait, tanquam ita affectum ἀπόπληκτον, id est, attonitum vocare non potuisset. Neque etiam reliqua quæ in affectione dicta sunt, concordant præsentem ægrum attonitum fuisse.

Phreniticus, qui primo iacuit die, vomuit æruginosa multa, tenuia, febris horrida, sudor multus, cōtinuus per totū cor-

pus, capitis & colli grauitas cum dolore, vrinæ tenues, enæoremata parua, disperſa, non ſudauit, ab aluo ſtercora affatim, & multa, delirauit, nihil dormiuit. Secundo die manè ſine voce, febris acuta, ſudauit, non intermiſit, palpitationes per totum corpus, nocte conuulſiones. Tertio exacer bata ſunt omnia.. Quarto obiit.

Hic æger acutiſſimæ phrenitidis eſt exemplũ, primo die ſtatim cum febre inuadentis, & qui ita phrenitide laborauerunt, omnes vidi intra ſeptimum diem periiſſe: pauci verò & valde rari hunc ſuperauerunt. Admiratu digna eſt taliũ morborum generatio, quónam ſcilicet pacto repen tè in eos qui inculpatè valent irruant. non enim vt ſubita ipſorum generatio eſt, ita & generationis ipſorum cauſa, quemadmodùm ſi & pharmachum ſumpſerit lethale homo, aut ipſum momorderit fera aliqua quæ moleſtiſſima ſit: ſed paulatim quodam modo aucta fuerit in corpore cauſa, quæ tales affectus parere poſſit, vt in morſis à cane rabido contingit. liquet enim quòd in illis non oriatur neque conquieſcat canis virus, neque ſibi notam faciat ſequentibus multis interdum menſibus. Contingit autem ipſis repentè vt vbi aquam viderint, formident, & iam inde breui moriantur! multo quidem tempore aucta ea quæ rabiem parit cauſa, & vbi ſemel eò perue nerit, celerem inferente mortem. Prorſus itaque

& in

& in nunc dicta phrenitide accruatus est aliquis in corpore prauus humor, veneno noxio similis, paulatim aliquid in corporibus quæ contingit agens. Sed quoniam illa quodam modo priùs disposita essent, humorq; ipse in plurimum malignitatis auctus esset, subitum apparuit quod lethale esset symptoma, nēpe phrenitico ita ab initio statim vomitus æruginosorum factus est, qui vt plurimùm febres vrentes consequitur. Vt itaque ex lethalibus pharmacis moriuntur nonnulli secundo & tertio die, qualitate ipsorum non copia mortem adferente: ita & ægrum hunc statim obiisse existimandum tertio die, ob qualitatem æruginosorum humorum, non ob phrenitidem peremptum, sed ipsum subsequuta est phrenitis veluti symptoma aliquod. Quarto itaque die & quinto vidi periisse statim ab initio phrenitide acuta correptos. Tertio autem die non vidi, vt neq; ad vigesimum productum. Videtur itaque Hippocrates hunc quidem quàm celerrimè peremptum nobis indicare: alterum verò pòst paulò maximè præter opinionem protractum, de quo suo indicabimus loco.

Caluo in Larissa femur dextrum derepentè doluit, nihilq; ex oblatis adiuuit. Primo die febris acuta, causosa sensim, neque concomitabantur dolores. Secundo die femoris quidem dolores remiserunt, febris verò intensa est, subimplacida, non

dormiebat, summæ partes frigidæ, vrinarum copia exibat, sed non bonarum. Tertio die femoris quidem dolor placatus est, sed mens alienata turbataq́;, multa iactatio. Quarto circa meridiem periit acutissimè.

Si quis lecto hoc ægro, mentem exquisitè dictis non attenderit, manifestè ad quemuis dolorem se applicabit, neq; temerariè timidus, neq; inconsideratè confisus: sed vbi quamuis partē dolere contigerit, primùm quidem considerare oportet, num quæpiam externa causa fuerit, nempe in motionibus quibusdam latenter quidam læsi sunt, & in somno, vbi partem aliquam non in conuenienti figura positam habuerint, atq; in circumactionibus quibusdā circūuersionibusq́; subitaneis partes rigentes, & antè refrigeratæ, cōuulsionibusq́; & euulsionibus correptæ, maximos sustinent dolores, veluti & rupturæ multis dolorosæ existūt: atque his magis, qui temperamento sicciores existunt: atque adhuc magis, si inclinati vel senes fuerint. Cùm itaque nulla talis videatur esse causa, prægressam deinceps considerare oportet victus rationem, si ociosiori præter consuetudinem fuerit, vel cibis vsus fuerit homo multi nutrimenti, aut consuetarum excretionum retentio ipsi fuerit. nam si quid tale sit, vel etiam prorsus plenitudo causa doloris prægressa videatur, quācelerrimè hominem euacua. nam sic cum omni

secut

ſecuritate his quæ à parte dolente fluxiones repellunt, vti poteris. Si verò priùs quàm vacuaueris, horum quippiam feceris, abundantiam in principes conuertes partes: imò ne calefacere quidem & lenire audebis partes dolentes, priuſquàm corpus vacuaueris. ſæpiùs enim in omnem adfectam partem ex talibus auxilijs trahitur multitudo, vt ſecundùm alterum modum homo periculum ſubeat, parte immoderatiùs inflammata, egit autem & ipſe, vt iam didiciſti, de talibus abſceſsibus, quos vel excipere pars, vel exceptos ferre non potuit. Si verò ex prægreſſa diæta nulla in corpore videatur multitudo, remedijs aduerſus dolores ſine periculo vti poteris, fomentíſque quibuſdam & pharmacis humidis & calidis facultate, quorum materiam in commentarijs ſimplicium didiciſti. Si verò ex his non ſedetur, totum corpus vacuandum. nam ſæpiùs aceruata eſt in ipſo multitudo quædam paulatim cumulata, non intelligentia aſſequente homine, tum quantitatem, tum qualitatem eduliorum. Interdum autem & denſior reddita cutis ex cauſis latentibus, ſudorũ tranſpirationes retinens, plethoricæ diſpoſitionis cauſa efficitur. Ob id itaque ſi dolor auxilijs non cedat, æger quàm celerrimè euacuandus. In caluo hoc conijcere non poſſum, ſi ipſi quis venam ſecuerit vel non, quatenus ſiquidem dixit Hippocrates: nihil ex his quæ offeruntur

adiuuit, potest quis dicere; quòd inter ea quæ offeruntur, & venæ sectionem cōmemorauit: alius verò, quòd inter ipsi oblata auxilia non sit: quatenus verò delirauerit, & tribus diebus obierit, quòd prætermissa sint auxilia. Adscriptum est autem ad calcem in apparatis exemplaribus & huic ægro, & sequenti, priori quidem, τὸ ὀξὺ: sequenti verò characteres, de quibus (vt dixi) Sabinus rectè prudens nihil est loquutus. Zeuxis verò redarguit in vnoquoque ægro, eos qui perperàm exposuerunt: sed visum est nobis omnia ita adscripta prætermittere in præsenti sermone, fiet siquidem, si visum fuerit, liber seorsum integer his qui talia curiosè perscrutantur libenterq́; in quo de his qui in omnibus ægris adscripti sunt characteribus sermo erit. Nunc autem cum vtilibus inutilia remiscere non conuenit.

76 Periclem in Abderis febris prehendit acuta, cōtinua cum dolore, sitis multa, anxietas, potum non poterat continere, erat autem sublienosus, & capite grauato. Primo die sanguis ex sinistra nare erupit multus, febris verò intendebatur, minxit multum, turbatum, candidum, quod positum non subsidebat. Secundo die omnia sunt exacerbata, vrinæ crassæ quidem erant, sed magis subsidebant, & anxietas remissa est. Tertio febris emollita est, vrina multa, & concocta, & multā hypostasim habens,

nocte

nocte quieuit. Quarto circa meridiem sudauit multum calidum per totum corpus, sine febre iudicatus est, neque febris reuersa est, ὀξύ, acutum.

Hic æger exemplum est acutißimi morbi, horrendi quidem non artificibus, sed citò iudicandi his qui sciũt. Nempe vbi sublienosus statim quidem in primo die ex nare sinistra multum sanguinis profudit, essentq; vrinæ crassæ quidem & non consistentes, & albo colore: at secundo die sudasset, magis circa ægrum bona spes erat: sedata verò & ipsi anxietate secũdo die, & factis somnis, certius adhuc magis erat sperare citò seruandum hominem. Tertio verò die optimis simul & plurimis redditis vrinis, euidens iam erat quarto morbi die à morbo hominem esse liberandum.

In Abderis virginem quæ in ingressu templi iacebat, febris acuta & causosa prehendit, erat autem sitibunda & vigil, muliebria ipsi primùm descenderunt. Sexto anxietas multa, rubens, phœnicea, languida. Septimo eadem, vrinæ tenues quidem, sed boni coloris, venter non infestabatur. Octauo surditas, febris acuta, vigil, anxia, horrida, mentis compos. Nono eadem & sequentibus diebus, permansitq; ita surditas. Decimoquarto mẽs turbata, febris remissa. Decimoseptimo multum è naribus effluxit, surditas parum leuata est, & se-

quentibus diebus anxietas,surditas aderat, delirabatq;. Vigesimo pedum dolor,surditas & delirium reliquerunt,sanguis parum erupit per nares,sudauit,sine febre fuit. Vigesimoquarto febris reuersa est, surditas rursus, pedum dolor permansit, delirium. Vigesimoseptimo sudauit copiosè,sine febre, surditas reliquit, pedum dolor submansit,in cæteris perfectè iudicata est.

Hæc plethoricè ægrotasse videtur, & quantum erat ex his quæ ab initio ipsi contigerunt,& eam velut morituram quis timuisset, bonus verò vrinarum color in plethoricè laborantibus maximum est signum: quoniam verò crassæ non erant, diuturniorem morbum fore indicabant. Videntur autem vt in omnibus ægris, ita & hîc iudicatoriorum dierum circuitus seruari, atq; etiam natura in ipsa videtur iudicatoria, tum signa, tum symptomata præmonstrasse.

79. In Abderis Anaxiona qui ad Thracias iacebat portas,febris acuta prehēdit, lateris dextri dolor continuus, tussiuit siccas, neque primis diebus exscreauit; sitibundus, vigil, vrinæ boni coloris, multæ,tenues. Sexto delirus, ad fotus autem nihil remittebatur. Septimo dolorosus, nempe febris intendebatur,doloresq; non remittebantur,tussesque infestabant,difficulter quoque spirans erat. Octauo venam in

cubito secui, effluxitq; multum sanguinis vti oportebat, remiserunt quidem dolores, sed tusses siccæ sequebantur. Vndecimo febris remisit, modicumq; circum caput sudauit, tusses adhuc, & quæ à pulmone educebantur, liquidiora erant. Decimoseptimo cœpit pauca cocta spuere, leuatus est, sitibundus erat, & pulmonis parum bonæ erant purgationes. Vigesimo sudauit, à febre liber, à iudicatione verò leuatus. Vigesimoseptimo febris reuersa est, tussiuit, cocta multa eduxit, vrinis hypostasis multa, alba sine siti factus est, somni. Trigesimoquarto sudauit per totum corpus, sine febre, prorsus iudicatus est.

In hoc solo ægrorum & in primo & in tertio libro scriptorum, sectionis venæ meminit Hippocrates, non quòd soli secta fuit vena, sed quòd octauo die, Medicis etiam vt lege aliqua non ampliùs post quartum diem venam secantibus. Vbi itaque huic octauo die secta est vena, multos certè alios sectione venæ egentes, existimare oportet circa secundum & tertium, & quartum diem auxilio vsos fuisse, prætermisit autem Hippocrates, vt alia omnia auxilia, à quibus coactus est interdũ scribere, nihil ipsos ab oblatis adiutos, vt morbi ostenderet malignitatem. neque enim curatoriam ipse proposuit hanc scriber

ſcribere tractationem, ſed prognoſticam, in nonnullis autem neque ab initio videtur ægris adfuiſſe. Interdum itaque adſcribit hoc ad finem: ex quo & ego hominem vidi, hoc & hoc perfectè contigit. Ignorantibus verò, & horum ægrorum adiumentum demonſtratum eſt à me in libro primo de iudicationibus, vbi quónam quidem pacto quis perfectè crudum morbum cognoſcat, quónam autem pacto coqui nunc primùm incipiat, quónam item pacto in coctione conueniat, & quemodo iam propè perfectam coctionem attingat, manifeſtè oſtẽdere conatus ſum. Hic itaque Anaxion dum ſemper tuſsiret, nihilq́; omnino exſpueret, crudiſsimam habebat pleuritim, vndecimo autem die exſpuere incipiens, morbum coqui oſtẽdit, deinde ſenſim procedente tempore, ita ſcripſit Hippocrates: vigeſimoſeptimo eduxit cocta multa, vrinis hypoſtaſis alba; & ob id perfectè iudicatus eſt trigeſimoquarto.

88. In Abderis Heropytus capite doluit rectus, non multo verò pôſt tempore iacuit, habitabat prope ſuperiorem viam, febris prehendit cauſoſa, acuta, vomitus circa initia bilioſorum multorum, ſitibundus, multa implaciditas, vrinæ tenues, nigræ, enæorema ſublime interdum quidem, interdũ verò non, nox laborioſa, febris aliter aliàs exacerbabatur, & plurimum abſque ordine. Circiter decimumquartum ſurditas, fe-

brçs

bres extensæ sunt, vrinæ eædem. Vigesimo multum delirauit & sequentibus diebus. Quadragesimo multus è naribus erupit sanguis & mente constitit magis, surditas erat quidem sed minùs, febres remiserunt, profluxit sanguis frequenter sequentibus diebus, & paulatim. Circiter sexagesimum sanguinis eruptiones cessauerunt quidem, sed coxæ dextræ dolor fortis, & febres extensæ sunt. Non multo verò pòst tempore dolores partium inferarũ omniũ, contigit autem vel febres esse maiores & surditatẽ multam, vel hæc quidem remitti leuariq́;, ischij verò inferioris maiores esse dolores. Iam verò circa octogesimum remiserunt quidem omnia, sed nihil reliquit, vrinæ siquidem boni coloris, & copiosas habentes subsidentias, descenderunt, & deliria minora fuerunt. Circiter centesimum venter multis biliosis turbatus est, & non pauco tempore multa talia fuerunt, & rursus dysenteriosa cum dolore: in aliis facilitas. In totum autem febres reliquerunt, & surditas placata est. Centesimo perfectè iudicatus est, Causus.

Hic homo memoria dignus, qui per virtutis robur morbum grauem sustinuit, impoßibile siquidem aliter erat, vt affectui forti reniteretur, & prorsus erat in pulsibus ipsius robur, simul &

reliqu

reliqua omnia secundùm naturam erant, dictum autem à me alibi prætermissam esse partem hanc in febrientibus prænotionis, ab Hippocrate. Videntur itaque & respiratio & appetentia huic ægro inculpata fuisse, magnam ad salutem habentia virtutem, vt ipse demonstrauit. Febris autem in principio quidem acuta prehendit, exoluta autem est ipsius sequenti tempore acuitas. Scripsit autem in ea: febres aliàs aliter exacerbantes, & plurimùm absque ordine. Vnum autem solum erat graue ægro signum, vrinarum, tum tenuitas, tum nigricies: & ideò multo tempore vix natura morbo superior fuit, quæ sanguinis eruptionem quadragesimo die vno ex indicatorijs existente excitauit, coxæq; dolorem & posteà partium inferiorum omnium operata est, nempe magni morbi generosis qui ipsos iudicent habent opus. Sed neque ex hoc perfectè sedatus est morbus. Circa verò vigesimum diem apparuerunt signa coctionis ipsius per vrinas, à quibus paulatim ad centesimum vsque coctus, perfectam effecit solutionem.

81. In Abderis Nicodemum ex venere & potu febris prehendit. Incipiens autem anxius erat & cardialgicus, sitibundus, lingua exusta est, vrinæ tenues & nigræ. Secundo die febris exacerbata est, horridus, anxius, non dormiuit, vomuit biliosa, flaua, vrinæ similes, nox quieta, dormiuit.

Tert

Tertio die relaxata omnia, leuamentum autem erat circa Solis occasum rursus implacidè habuit, nox molesta. Quarto rigor febris multa, omnium dolores, vrinæ tenues, enæorema, multum delirauit. Septimo leuamentũ. Octauo cætera omnia remissa sunt. Decimo sequentibusq; diebus erant quidem dolores, sed omnes minùs affligentes, huic exacerbationes & dolores ad finem in paribus erãt magis. Vigesimo minxit albũ, crassum habuit, positũ nõ subsidebat, sudauit multũ, visus est sine febre fuisse, vesperi iterũ recaluit, ij deniq; dolores, horror, sitis, parum delirauit. Vigesimoquarto minxit multũ, albũ, multam habẽs hypostasim, sudauit sudore multo calido per totũ corpus, sine febre iudicatus est.

Et ipse Hippocrates significauit: exacerbationes & dolores in diebus paribus, ob id itaque post vigesimum sudore iudicatus est. Qui particulatim omnium est memor quæ anteà exposui & in hoc libro & superioribus duobus, atq; ante hos in prognostico & prorrhetico: ipse omnia poterit reperire.

In Thaso mulier austera nimiùm, ex tristitia cum occasione, cùm recta esset, fuit tum vigil, tum absq; cibo, sitibundaq; erat & anxia: habitabat prope filios Pyladæ in campo. Primo die, incipiente nocte timores,

res, verba multa, mœstitia, febricula leuis, manè conuulsiones multæ. cùm verò desinerent conuulsiones multæ, delirabat, & valenter fabulabatur, dolores multi, magni, continui. Secundo die eadẽ, nihil dormiuit, febris acutior. Tertio quidem die conuulsiones cessauerunt, cωma verò & cataphora, & rursum vigiliæ infestauerũt, continere non potuit, multum delirauit, febris acuta, nocte verò eadem sudauit sudore multo calido per totum corpus, absq; febre dormiuit, omnino mente constitit, iudicata est circa tertium diem, vrinæ tenues, nigræ, enæorema verò valde rotundum, non subsidebant. Circa iudicium muliebria multa descenderunt.

Quid vox δυσάνιος, *id est, austera nimium, indicet, Critias ostendit, ita scribens:* Δυσάνιος *est, quicunque ex paruis* ἀνιᾶται, *id est, angitur, & ex magnis magis quàm cæteri homines & longiore tempore fuerit* ἀνιαρὸς. *vel* σκυθρωπὸς, *id est, tristis vel seuero vultu. nunc autẽ dicta Hippocrati* δυσάνιος *mulier, quòd ipsi permanserat diutiùs tristitia. quod rursus pòst paulò in muliere quæ in Cyzico gemellas puellas peperit, dicit: tacita autem, & seuero vultu, & impersuasibilis. Miror verò quomodo in muliere hac non adscripserit, vel suppressa omnino muliebria, vel non perfectè adfuisse. videtur siquidẽ tum acutè*

 tum

tum plethoricè ægrotasse, & tertio die ad noctem per sudores iudicata esse & muliebrium excretionem. imò & post iudicationem vacuata multa certam pepererunt quæ facta sit à morbo liberationem. Vrinæ color quanquam niger fuisset, difficile nihil fecit, quòd muliebrium fuisset retentio melancholicorum magis, vnde iure optimo mulier austera nimis & timida fuerit, delirauitq; vicißim aliquando, & comatosa fuit.

In Larissa virginem febris prehēdit causosa, acuta, vigil, sitibunda, lingua fuliginosa, sicca, vrinæ boni coloris, sed tenues, Secundo die labor, non dormiuit. Tertio multa excurrerunt ab aluo aquei coloris, sequentibúsque diebus talia tolerabiliter percurrerunt. Quarto minxit tenue, paucum, vrina habuit enæorema sublime, nō subsedit, ad noctem delirauit. Sexto è naribus sanguis largiter valde effluxit, horruit, sudauítque sudore multo calido per totum corpus, sine febre iudicata est. in febre autem, & iam iudicata, muliebria primùm tunc prouenerūt. virgo siquidē erat. Erat autem & perpetuò anxia, horrida, faciei rubor, oculorum dolor, capitis grauitas. Huic non reuersa est febris, sed iudicata est, fueruntque dolores diebus paribus.

83.

Quòd tempus quidem attigisset virgo muliebrium, manifestum ex his quæ scripsit Hippo-

crates, ita inquiens: muliebria tunc primùm prouenerunt. Videtur quoque & morbus ipse fuisse plethoricus, indicatúsque sexto die. quòd & dolores diebus paribus haberet, vt ipse scripsit. sed admirabile est, quòd morbus non reuersus fuerit, quum sextus dies nũquàm fideliter indicet. Nonum itaque hoc & valde rarum in ipsa fuisse significauit, vbi scripsit: Huic non reuersa est febris, sed indicata est, tanquàm reuerti deberet. Sed & causam scripsit, quòd non reuerterit, adijciens: in febre, & iam indicata muliebria prouenerunt. Nempe quòd maneret diebus post iudicium ipsi vacuatio, satis erat ad muniendam quæ sexto die præcesserat indicationem per sanguinis eruptionem & sudores, & maximè quòd nulla phlegmone esset principis partis, neque maligna esset abundantia. Ipse autem indicauit plethoricam esse affectionem, cùm dixit perpetuò habuisse faciei quidem ruborem: oculorum verò dolorem & capitis grauitatem. Manifestũ itaque erat, quòd sola indigeret vacuatione. & hãc natura incepit quidem operari tertio die, complenit verò sexto die. quòd autem ratione naturæ, non vt morbi symptoma, per ventrem vacuatio fuerit, manifestè ipse indicauit, scribens: Tertio die multa à ventre percurrerunt, aquei coloris. & sequentibus diebus talia tolerabiliter erant. Hoc adiectum demonstrat contristantium fieri excretionem. Inter hæc autem, quæ

in

in expositione ipsius dicta sunt, indicatu digna sunt præter dicta, hæc duo: vnum quidem, quod in principio scriptum est: lingua fuliginosa, sicca. secundum autem: minxit tenue, paucum, vrina habuit enæorema sublime, non subsidebat, delirauit. Prius siquidem horum dictum vtile est, vt non prorsus existimetur perniciosa esse fuliginosa lingua. vocat autem ita coloratam veluti quadam fuligine, siccam existentem propter exhalationem: Posterius, quoniam vbi in alijs ægris dixit: enæorema sublime: statim ipsi intulit: delirauit, dementiam consequi talia enæoremata indicans. quanquàm in prognostico omnia de vrinis percurrens, nullam ex ipsis ad dementiam fecit prænotionem. Videtur itaque signum hoc per se quidem nunquàm indicare desipientiam: sed interdum per accidens commonstrare, quoniam flatuosius esse indicat enæorema. nempe in eo, quòd prorsus flatu caret, ad fundum vasorum deferuntur enæoremata.

Apollonius in Abderis rectus lõgo tempore subferebatur. erat autem tumefacto viscere, & circa hepar consuetus dolor multo tempore consequebatur, & tunc ićterosus quoque erat, flatuosus, & coloris subalbidi. Vbi autem edisset & bibisset intempestiuiùs bubulam, parum incaluit primùm, iacuit, lacte autem vsus cocto & crudo multo, caprillo & ouillo, & victu malo.

Læsiones omnium insignes, nempe febres irritabantur, venter ex ingestis nihil effatu dignum reddebat, vrinæ tenues & paucæ, somni non erant, inflatio mala, sitis multa, comatosus, hypochondrij dextri tumor cum dolore, extremitates omnino subfrigidæ, parum delirauit, omnium obliuio quæ loqueretur, exturbabatur. Ad diē decimumquartum à quo riguit, incaluit, decubuit, & valde insaniuit, clamor, perturbatio, verba multa, & rursus sudatio, & tunc coma accessit. post hæc aluus turbata multis biliosis, meris, crudis, vrinæ, nigræ, paucæ, tenues, multa inquietatio, deiectiones variæ, nempe, vel nigræ, & paucæ, & æruginosæ, vel pingues, & crudæ, & mordentes, tandem visæ sunt & lacti similes. Circiter vigesimumquartum lenitus est, cætera quidem eadem, sed mente parum valuit. ex quo autem iacuit, nullius meminit, rursus verò citò delirauit, omnia in deterius cōuersa. Ad diem trigesimumquartum obiit. Huic perpetuò, ex quo ego hominem vidi, aluus turbata fuit, vrinæ tenues, nigræ, comatosus, vigil, extremitates frigidæ, delirus perpetuò, phreniticus.

1. *Et in hoc rursus Hippocrates, vt in alijs multis, in fine ipse narrationis per summas breues demonstrauit, quæ fuerunt tum symptomata*

tum

tum signa, per quæ futuram mortem quis prænouerit. habet autem dictio ita: Huic ad finem, ex quo ego hominem vidi, aluus turbata, vrinæ tenues & nigræ, comatosus, vigil, extremitates frigidæ, delirus perpetuò. nullum autem ex particularibus est obscurum, si quis eorum meminerit, quæ antè exposuimus.

Mulier in Cyzico gemellas puellas ægrè peperit, & quæ non admodùm purgata esset, primo die febre correpta est, horrida, acuta, capitis & colli grauitas prehendit cum dolore, vigil ab initio, tacita autẽ, & seuero vultu, & impersuasibilis: vrinæ tenues, sitibunda, anxia valde, aluus inconstanter turbata, & rursus constitit. Sexto die ad noctem multùm delirauit, nihil dormiuit. Circiter vndecimum diem valde insaniuit, & rursum mente constitit: vrinæ nigræ, tenues, rursum intermittentes, oleosæ, ab aluo multa tenuia, turbulenta. Decimoquarto conuulsiones multæ, extremitates frigidæ, nihil ampliùs mentis compos, vrinæ defecerunt, obiit, phrenitis.

Non solùm quòd non probè à purgationibus partus expurgata fuisset, relictus est mulieri huic sanguis melancholicus, quare principio quidem erat tacita, seuero vultu, & impersuasibilis, & posteà vehementer delirauit, vt valde insaniuerit: verùm quoque & propter difficilem partum,

inflammato vtero, febris aucta est. Constat autem cacochymia in caput sublata, & desipientiam maniosam fuisse, & conuulsiones consequutas. Circuitus dierum indicatoriorum seruantur hîc veluti in omnibus ægris. Si verò quippiam videatur rarò vitiatum, illud solū adnoto.

84 In Thaso Dealcis vxorem quæ in Leio habitabat, febris horrida ex mœrore prehendit, ab initio autem vestimentis operiebatur, & perpetuò semper tacita palpabat, euellebat, sculpebat, pilos legebat, lachrymæ, & rursum risus: non dormiebat, ab aluo irritatio, sed nihil excurrit. parum admonita bibebat, vrinæ tenues, paucæ, febres ad manum tenues, nihil substans habentes, summarum partium refrigeratio. Nono die valde delirauit, & rursus firmata est, tacens. Decimoquarto spiritus rarus, magnus per tempus, & rursus breuispira. Decimoseptimo à ventre irritatio turbulenta. Posteà quæ bibebantur, vētrem pertransibant, neque paruo tempore consistebāt, nihil sensit, siccæ cutis circūtensio. Vigesimo verba multa, & rursus confirmata est, sine voce, breuispira. Vigesimoprimo obiit. Fuit huic ad finem vsque spiritus rarus, magnus, nihil sensit, perpetuò vestimentis operiebatur, aut verba multa, aut tacens perpetuò, phrenitis.

Ab

Ab initio phrenitica ipsa fuisse videtur. grauissimæ autem sunt, vt primùm dixi, tales phrenitides, & celerrimè omnes in quibus generantur, enecant. sed nunc acutè ipsa febricitans, ad vigesimumprimum diem suffecit, forsan quòd mediocriter febricitauit: & ob id in ægra hac sola significauit, scribens: febres ad manum tenues. videtúrque hæc delirij species ipsi mixta fuisse ex melancholia & phrenitide. nempe, verba multa, & tacens ad finem, talem demonstrant mixtionem. Non video autem quo pacto nihil scripserint Hippocratis expositores de dictione, in qua inquit: spiritus rarus. qui non aliud est, quàm per interuallum. & videtur deinceps idem dixisse. Nunquid itaque vel raritatis intensionem indicare volens: διὰ χρόνου, id est, rarum addidit, acsi ita dixisset, διὰ πάνυ πολλοῦ χρόνου, id est, per valde magnum interuallum. consuetum enim est aliquando omittere dictionem πολλοῦ, id est, magno, & solo vti διὰ χρόνου, aut non perpetuò, vt in alijs alia. neque id eiò mulierem tale respirasse per totum morbum indicat. quare inferens, ait: & rursus breuispira. indicans & hic vt anteà, ex refrigeratione non solùm paruum, verùm quoque & longo tempore hominem respirasse, quòd verè breuis est spiritus. rarus siquidem & magnus, quatenus quidem rarus est, minor est frequente simul & magno: quatenus magnus, hac ratione præstat raro

& paruo. Iuxta vtrunque itaque paruus erit breuis & rarus. Videtur quoque & nunc veluti & cum refrigeratione tali mulier fuisse, in quali sunt quæ apnœa ipsa corripiuntur. Scribit itaque de ipsa: vigesimo verba multa, & rursus seorsum dicit, breuispira. Aphonia autem, id est, sine voce, fit cum breui & raro spiritu: sed διὰ χρόνου cum raro scriptum, pro διὰ πάνυ πολλοῦ est accipiendum. nam in pauco morbi tempore significare non potest. Ad finem dictionis tùm asscripsit: Huic ad finem spiritus rarus, magnus. nempe orationem διὰ τέλεος, consueuit dicere Hippocrates, pro διὶ ὅλης τῆς νόσου μέχρι τῆς τελευτῆς, id est, per totum morbum ad finem vsque. Vt autem διὰ τέλεος, ita & hoc inquit: semper περιεστέλλετο, id est, vestibus cooperiebatur, vel verba multa, vel tacens ad finem vsque. nam verba multa, phreniticum est: tacens, melancholicum. Verbum verò περιεστέλλετο commune ambobus, nisi forsan & propter refrigerationem interdum περιεστέλλετο.

81. Adolescens in Meliboea ex potu & Veneribus multis diu calfactus, iacuit. horridus autē & anxius erat, vigil & sitibundus, ab aluo primo die stercora multa percurrerunt cum circunfluxione multa, & sequētibus diebus aquei coloris multa prodierūt: vrinæ tenues, paucæ, decolores, spiritus rarus, magnus ex longis interuallis, hypochon

chondrij contensio submollis, oblonga ex vtrisq;,cordis palpitatio ad finem vsq; perpetua,minxit oleosum. Decimo delirauit quietè, moderatus & taciturnus, cutis arida & circũtensa, deiectiões multæ, tenues, vel biliosæ,pingues.Decimoquarto multũ delirauit,irritatus.Vigesimo valde insaniuit,iactatio, nihil minxit, modicos potus cõtinebat.vigesimoquarto obiit,phrenitis.

Multi quidem potus neruos lædunt, principiũq; ipsorum cerebrũ:veneres autem & hæ quidem valde contristant, virtutemq; tum exoluũt, tum imbecillam reddunt. Hic itaq; adolescẽs collecta praua multitudine, iure cœpit quidem à moderatis febribus:progressu verò temporis deterior redditus, posteà in phrenitin exactam incidit. Fieri autem ipsam ostendebat tunc rarus, & magnus spiritus, eiusq; modestia & taciturnitas mediocriter delirare. nempe hominibus tum leuibus,tum turbulentis, ex paruis occasionibus desipientiæ fiunt:qui verò contrarios habent mores,his ex magnis causis.Cur autem raro spiritui: per tempus,adscripsit, in priori ægro contemplati sumus, & de cordis palpitatione alibi & in prognostico percurri:vt & de submolli hypochondrij distensione, quòd illam intelligat absque tumore, quæ fit quidem musculis non patientibus, sed in affectione aliqua interiorum partium peritonæi permanentibus.

86 Videtur autem mihi æstas iuxta rationem facta adiuuisse. nempe morbos æstiuos hyems superueniens soluit: & hyemales æstas superueniens transmutat: quanquàm ipsa in se æstas facta non constaret, sed calida, & austrina, & ventis destituta, veruntamen in aliam constitutionem mutata adiuuit. Magnam autem artis partem esse existimo, si de scriptis quis rectè contemplari posit: nempe qui nouerit, & his vsus fuerit, in arte falli non magnopere mihi videtur. Discere autẽ exquisitè oportet vnamquanque anni temporum constitutionem, & quis morbus bonus sit, quod commune vel in constitutione vel in morbo, morbus quis longus & lethalis, quis lõgus sit & salubris; acutus quis & lethalis, acutus quis & salubris. Ordinem iudicatoriorum dierum ex his considerari, & ex his prædicere superest: qui hæc sciuerit, scire potest quibus, & quando, & vt oportet, præscribenda sit victus ratio.

TERTII COMMENTARII GAleni *in tertium Hippocratis de morbis epidemijs librum, Ioanne Vassæo Meldensi interprete,*

Finis.

*

GALENI IN

SEXTVM EPIDEMIORVM HIPPOCRATIS LIBRVM COMMENTARIVS PRIMVS,

*

Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

***

SEXTVM *epidemiorum Hippocratis librum plerique interpretum suggillauerũt: alij aliter, vt singuli probabiliter exponere sperarent; ita dictionem permutantes, qua effectum est ratione, vt coactus ego fuerim & exemplarium antiquitatem, & primorum interpretum commentarios peruestigare, quos inter & Zeuxis Tarentinus est, & Heraclides Erythræus; atque ante hos tum Bacchius tum Glaucias. Si itaque post antiquam scripturam declaratam, dictionem vitiatam esse dicerent; verisimile esset & ob id opinari ipsos talem quandam Hippocratis esse scripturam, saltem ipsos probassem, si post castigationem vtile aliquid simul & mentem Hippocratis sequens docuisse*

docuisse vidissem. At quoniam interdum iuxta vtrunque fallantur, longè satius esse sum arbitratus, seruata prisca scriptura, perpetuò quidem magno adhibito studio, illam explicare: quòd si aliquando facere non valeam, probabiliter ipsam castigare, quomodo fecit Heraclides in secundo epidemiorum, dictione illa in qua scriptum est: Ad rem autem veneream οὐραὶ, id est, cauda spectabant. Quoniam qui scripturam οὐραὶ explicauerunt, citra probabilitatem dixerunt, forsan (inquit) θύραι, id est, ianua quidem erat scriptum per θ: sed media linea in ipso verbo corrupta, arbitratus est bibliographus οὐραὶ scriptum esse. fieri siquidem ita potest, vt & tenui membrana deleta, simul & linea hæc disperierit; & vna ipsam effugiente, & statim ab initio ipsam obscurè scriptam, ob temporis vsuram exoleuisse. Inter omnes autem qui antiquas permutauerunt scripturas, audacissimos tum Capitona tũ Dioscoridem in hoc faciendo reperio. Considerans itaque an melius esset omnium ipsorum, aut tantũmodo eorum qui rationabiliter permutauerunt, aut nullius prorsus meminisse: comperi si prolixitatem quidem commentariorum nullus eorum qui ipsos lecturi sunt, grauiter molesteq; sit laturus, satius esse, vt de omnibus mentionem faciamus: sed cùm multi culpent non hos solùm, verùm quoque & qui mediocres existunt, soliq; studeant commodis, quòd mediam quandam inter hæs

ter hæc vtraque facere expositionem melius sit. atque hoc statim ab initio sum præfatus, vt ab his discedant commentarijs, qui gratos ipsos non habent. Nempe ego vt & alia omnia multis rogantibus amicis gratificatus feci, ita & has enarrationes in illorum gratiam composui. contemplatus autem quod quæ scribuntur, in vulgus emanent publicentúrque, procemijs talibus opus habui. Vt itaque hoc sum præfatus, ita & hoc præfari est necesse, quòd scilicet enuntiationis libri huius genus valde ab eo differat, quod continent epidemiorum tum primus tum tertius, quos existimant propemodùm omnes solos ad publicationem ab Hippocra. scriptos esse: ex alijs verò quinque, tum quintum tum septimum conspicuè nothos esse: sextum verò hunc, & ante hunc secundum, ex his quæ Hippocrates ipse sibi præparauerat, inquiunt à Thessalo ipsius filio compositos esse. Quidam & Thessalum ipsum adscripsisse nonnihil putant: alij alios, qui huic successerunt. In primo itaque & tertio epidemiorum status quosdam ambientis nos aëris scribit, à quibus morbi vulgariter grassantes exponuntur. Hac siquidem in ipsis videtur ipse Hippocrates vsus dictione, atque ob id inscriptionem hanc libris fecit, facta in ipsis de morbis epidemijs doctrina; non de ipsius Hippocratis epidemijs; id est, peregrinationibus, quas per multas ciuitates fecit. Impræsentiarum autem hoc quidem exi-

guum

guum est. plurimum verò doctrinæ genus aphorismi quidam esse videtur, propria & sua vnusquisque dotati circunscriptione. Quare ob propriæ inscriptionis defectum, duos quoque hos libros epidemiorum inscriptioni commodasse aiunt, quòd exiguam inscriptionis peculiaritatem haberent. Quartus liber, istis forma orationis persimilis, theoriæ commoditate valde recedit. Qui præsentem hunc librum Thessali status inscripserunt, manifestè errauerunt. Satis est mihi hæc prædixisse, quanquam & scripta essent à quibusdam expositoribus alia non pauca, quæ ad vitandam prolixitatem prætermittere consequens erat,

Quibuscunque ex abortiuo fœtu.

Communem quendam sermonem in re communi semel dicere statui. Liceat verò lectorum vnicunque sua vti sibi persuadebit, scribere locutione. nempe quidam ὅσοισι per tres syllabas, alij ὁκόσοισι per quatuor scripserunt: alij verò non per κ scribunt ὁκόσοισι, sed per π, ὁπόσοισι secundam syllabam, id est, Quibuscunque, vt Capito. neque hoc solum, verum quoque & eiusmodi omnia. Sed quod ad artis opera spectat, scribere hoc vel illo modo nihil refert. Quamobrem solas illas scripturas in sermone promere malim, quæ significatum permutant: eas verò quæ in sola voce discrepant, citra rei labefactationem, permitto vnicuique pro arbitrio tum

scribere tum dicere. Principio itaque altero præscripta dictione repetita, ad explicationem ipsius me conuertam.

Quibuscunque ex fœtu abortiuo, atque vteri tumoribus, ad capitis grauitatem conuersio fit, atq; in syncipite dolores fiunt, & quæcunque aliæ ob vterum ortæ affectiones, his in octo vel decem mensibus in ischion, id est, coxam, finitur morbus,

Quod vocant ἄμβλωσιν Attici, id ἀποφθορὰν, id est, abortiuum fœtum appellare Hippocrates consueuit. scribítque quæ nomini ipsi proportione respondēt, tū verba appellationi huic circumadiacentia, tum quæ à Grammaticis appellantur participia. Ἀμβλώσκειν verò (nēpe & hoc ipsum fortaßis quempiam latuerit) de imperfecto fœtuum egressu quoquomodò factus fuerit, proferunt: vocántque medicamenta quæ id faciūt, ἀμβλωθμιά. Quod itaq; à dictione significatur; semel dici nunc sat erit. Exordiendū verò iam ab vtilibus, vbi tantū significauerimus orationē hāc ab antiquis scribi interpretibus, hac verborū serie: Quibuscūq; ἀπὸ φθορῆς, et vteri ædematis, ad capitis grauitates cōuersio fit: φθορὰν, non ἀποφθορὰν volētib⁹ scilicet ἄμβλωσιν appellare. Qui verò, ex præpositionē adijciūt, hi ἄμβλωσιν ἀποφθορὰν vocare voluerūt. & sanè videtur ita sępius vocare Hippoc. quāquā nūc quid de īcertū sit. Vt aūt in hoc etsi differēter scripserīt, eādē seruāt

sermo

sermonis intelligentiam: sic & siquis vteros pluraliter, aut vterum singulariter dixerit, aut capitis grauitates pluraliter, aut capitis grauitatem singulariter, non sermonis sensum permutat. Quapropter ego Galenus tales in dictione dissensiones quæ nihil res significatas euariant, iudicandas haud volui. Quòd itaque ab Hippocrate dicitur, eiusmodi est: Quibuscunque mulieribus ob fœtuum corruptionem œdemata in vtero habentibus, per consensum subsequitur capitis grauitas, his in syncipite dolor fit: pari modo & aliæ capitis grauitates quæ ob affectum vterum oriuntur: eadem ratione dolores qui in syncipite formentur, habent. In primis itaque quidnam significet œdematis nomen, necessariò considerare oportet. nempe videtur Hippocrates perpetuò, vt sæpius est demonstratum, omnes præter naturam tumores ita nominare, siue absque dolore & duri fuerint, quos propriè scirrhos appellant: siue dolorem habuerint, quos priuatim phlegmonas vocant: siue dolore caruerint & laxi fuerint, quos solos œdemata nominitat. Nunc verò de talibus œdematis egisse videtur, quæ & cunctari possunt, & capitis efficere grauitatem. Quòd itaque ex fœtuum corruptione fieri id consueuerit, testimonium facit id quod apparet. quænam verò sit causa, cur quàm cæteræ capitis partes magis synciput doleat, quidam ex libri huius interpretibus inuenire conati, inter se discordauerunt:

runt:

runt: alij quidem id quod Græci κατ' ἴξιν, id est, secundùm rectitudinem, causam aßignãtes, nempe afflictis, tum lumborum, tum prorsus spinæ partibus, posteriori cerebro rectitudinem quadrare affirmant: alij verò partibus ipsius vteri posterioribus afflictis, compati occiput inquiunt, partibus autem anterioribus synciput: alij sese abducentes ab eo quod κατ' εὐθυωρίαν dicitur, quod & κατ' ἴξιν nominat Hippocrates, vuluæ tanquam neruosæ parti cerebrum compati aiunt, vtpote quod neruorum principium existat, atque ob id fieri capitis grauitates, perinde atque plurimo in syncipite sito cerebro, & in hoc maximè dolorem significari: alij partem hanc quòd inter capitis partes infirmißima sit, iure quàm cæteras pati magis affirmãt. Qui verò à medio cerebri syncipite in vuluam propagatos neruos aiũt, horum meminisse bonum non est: sicuti neque forsan eorum, qui quòd vterus neruosus sit, ob id & ipsi neruorum principium condolere pronuntiãt, quo siquidem pacto peritonaũ quod vicinius est, & intestina, & venter, & septum transuersum non ipsi condoluissent, quæ & neruosa ipsa existunt? Deteriùs adhuc his sentiunt, qui testibus cerebrum condolere asserunt, quòd & substantiã cerebro eandem ipsi sint consequuti, atque ob id & vtero, nempe & hanc testes habere. Quòd si & de vilioribus quàm quæ ab his dicuntur mentionem fecero, forsan quis mihi obijciet, inquietq́;

me oblitum eorum quæ paulò antè scripsi. Satius itaq; fuerit nugis ipsorum refutatis, non ampliùs de his quæ dixerunt, mentionem facere. Qui vterum neruosum esse dicunt, in aliquo quidē significatu sermonem eorum verum esse est existimandum: in altero verò falsum, tria siquidem sunt corporum similarium in animantibus ipsis genera, tum exanguia, tum cauitate quæ conspicua sit carentia: alia quidem ex ossibus, alia ex cerebro & dorsali medulla, alia verò ex musculis ortum habentia. Nominantur verò ab Hippocrate: primum quidem dictorum, syndesmus, id est, copula: secundū, neruus & tonus: tertiū verò, tenon, id est, tendo. Quidam verò omnia hæc neruos ob eam quam dixi similitudinem appellauerūt. Sed primum quidem genus syndeticon, id est, copulatiuum esse aiunt: secundum sensile & arbitrariū: tertium verò ἀπονεύρωσιν, id est, abneruaginem appellitant. Sed ne vnius quidem horum trium generum neruis vterus participat multis. Quoniam verò corpus ipsius plurimum, tum distēdatur, tum contrahatur, quod neque carnosis, neque pinguitudine plenis partibus inest, eatenus quadam ex similitudine neruosum ipsum appellamus, deriuatiuum à neruis nomen impræsentiarum facientes: vt, verbi gratia, & vesicam ita appellare consueuerunt, atque omnia alia, tum alba, tum exanguia secundùm substantiam, vbi plurimùm, tum distendi, tum rursus in se cōtrahi

& confidere videntur. Hac ipsa ratione & colis appellati naturam in hominum pudendis neruosam esse inquiunt, atq; etiã vulue ceruicẽ. Sunt qui & fistulosum neruum caulem ipsius pudendi appellant, atq; ob illum, totum ipsum pudendũ neruosum vocant, deinde accepta non secundùm facultatem verè neruorum, sed secundùm corpoream ipsius substãtiæ essentiam, similitudine inquirunt, quam ob causam colis ipse non insigniter principijs neruorum compatiatur, neruorum autem principia, tum cerebrum, tum dorsi medullam dico. Et sanè vuluæ quidem planè inhærent nerui aliqui, alioqui non sentiret: sed parui admodùm sunt hi, si cum partis magnitudine conferantur, atq; ob id quæstione non parua dignum existit, vbi quis talia physicâ ratione ostendere voluerit, quam ob causam mulieres quædam hystericæ appellatæ, contractionibus distensionibusq; conuulsioni similibus capiantur. In obsessa verò inflammatione vulua fieri hoc non admodùm videtur, sicuti febres valde vehementes & calidæ, ob quas fuliginosa redditur lingua: vt ipse libro in hoc deinceps inquiet. Oportebat itaque & hæc primùm eos inquisiuisse, qui de capitis consensu quem ad vuluam habet dicere aliquid aggrediuntur, nam quòd calidas vehementesq; inferat febres, hi norunt qui in artis operibus sunt versati, quomodò in Alexandria sophistæ, à quibus libri maximè, tum prolixis, tum falsis sunt refer-

ti sermonibus, qui sophismata adolescentulis ipsis rudibus adhuc atque ex armenti custodia venientibus, sed prorsus consentientibus inculcant, qui neque ægros viderunt, neque ipsi circa id versati sunt, valde siquidem ab omnibus qui inibi habitant, victus ratio neglecta est. Qui itaq; laborãtes ex vtero phlegmone obsesso viderũt, mulieres hi quónam pacto, tum calidæ, tũ vehementes febres corpus totum prehendentes caput inurant, non secus quàm si talia citra vteri adfectionem fiant, norunt: imò quibus retenta fuerint menstrua, quanquàm nõ manifestè febriant, periculũ tamen est ne citò febriant, capútque ipsis grauatur, vaporibúsque & calidis succis repletur, atq; ob id nonnullæ ex his comatosæ sunt, siue febrierint, siue non. Hæc quidem ita esse videntur. Sed quænam sit causa cur ex talibus vteri affectionibus caput repleatur, post hæc est inquirendum, vt inueniatur quidem optandum, si non, saltem quod apparet experientia obseruandum, memoriaq; tenendũ. Nonnullas itaque ita apparentiũ causas narrare aggrediemur, hinc exorsi. Inter omnes corporis partes vulua, tũ plurimas, tũ maximas habet venas: quæ vbi malè adfecta fuerit, vel ob retẽta, tũ mẽstrua, tũ puerperij excrementa, vel phlegmonem aliquam quouis modo ortã, sanguine ipso necessario repletur: quo putrescente, si febris accendatur, eam ex synochorum forma esse est necesse. nam ex putrescente sanguine tales

accendi febres quæ non modicam calidorum vaporum copiam ad caput mittant, est demonstratum. Quòd autem à qua causa caput eiusmodi vaporibus repleatur, ab eadem capitis grauitates contristare hominem præsertim in syncipite videantur, norunt hi quibus in operibus artis studium fuit, etiã priusquàm à nobis intellexerint. Sed quænam euentus causa fuerit, forsan intelligere desiderabis. Dicam itaque tibi quæ maximè credibilis videatur, hancq; non vnam, sed plures. In primis siquidem, quòd dicti vapores calidi per arterias ad caput sursum ferantur, est rationi consentaneum, quas quidem arterias ex colli appellata fornace vtrinque ad synciput rectà ascendentes cernere licet: deinde, quòd toto sanitatis tempore tenuia & vaporosa cerebri excrementa per synciput maximè transpirare consueuerint, cùm in eo rarißimæ sint suturæ, craniumq; ipsum, tum tenuißimum, tum maximè fistulosum existat: tertiò præter hæc, quòd sensu prædita corpora in suturis complura sint, nempe pelliculæ quædam panniculum craßiorem pericranio coniungunt, penetratq; tenuium vasorum copia. Cùm autem magnitudine æqualia fuerint pathemata, partes quæ natura sensu magis participant, sentiunt magis: quæ verò magis sentiũt, causæ dolorificæ his molestæ magis. Ob eas itaque causas sunt in syncipite dolores. Supereſt inuenire causam, ob quam in octo vel decem mensibus

in coxendicem morbus τελευτᾷ, quod est, κατακλί-νεται, id est, decumbit his quæ ita habent. Quoniã verò nonnulli dignum censent vt non in octo vel decem mensibus legatur, sed in octauo vel decimo: aiuntq; in exemplaribus multis & præsertim antiquis, reperiri elementum η̃, itemq; elementũ ῑ, η̃, quidem pro octo scriptum, ῑ verò pro decẽ: priùs differentiam quæ in ipsis reperitur considerabimus. nã si in octo vel decẽ mẽsibus dixerimus ad coxendicem finiri, ab eiectitio partu non à conceptione numerabimus: si verò in octauo vel decimo mense, iudicari hoc pacto tẽpus à conceptu dicemus. Neq; sanè mihi impoßibile esse videtur, vt secundùm orationẽ vtranq; vtroq; intelligatur modo, iudiciũq; rei quæ dicitur, ab experientia statuere oportet, quomodo ego semper in eiusmodi feci omnibus, atq; in eo quod nũc dictũ est, & sanè cùm obseruarem, interdũ in diebus quadraginta, interdũ in duobus mensibus vel quatuor finiri visus est morbus: quibusdã verò & ad plures est extensus: nonnullæ autem verè in octauum peruenere mensem, aliæ quædam ad decimũ. Cõspexi ego & in coxendicẽ ex vtero abscessum, at non in multis: quanquam multas ex malè affecta vulua diutiùs laborare viderim. Sed ociosè rei causam inquiro, cuius essentiam verè dici nõdum reperi, nempe Aristoteles ex securè præcognito quòd res sit, inquirendum propter quid sit, iubet. Si quis itaq; quæsierit propter quid res sit,

priusquàm quòd sit certò didicerit, is manifestè, tũ fabulari, tũ nugari cupit, atq; à veri inuenien di desiderio abest. Qui itaq; causam rei huius dicere aggrediuntur, talia proferunt. Nam qui à partus abortiui tempore in octo vel decem mẽses connumerare volũt, vuluã, inquiũt, in his duobus temporibus octauo & duodecimo mense malè affici consueuisse, nẽpe in octauo mense fœtũ verti, decimo verò egredi: & nũc in ipsis præfinitis diebus, contristãtium excretionem fieri, ob decubitus in illud inuolucrũ quod à Græcis Chorion dicitur, quod tũ propè sitũ est, tũ quod quæ mittũtur excipere potest. Qui autẽ à conceptionis tẽpore numerandum volunt, rationabilius esse inquiũt, vt si etiam nulla media corruptio circa fœtũ fuisset, nouam autẽ agitationem vterus circa ipsum in his temporibus haberet, vel cùm vertitur, vel cùm excernitur, ita & nũc habere. Sed errant vtriq;, fœtus agitationes vtero cõmittentes. Nã si octauo mense voluatur, prorsus sanè motionem ex se habet: egressum verò accipit, vbi cùm validius mouetur, quandam ex continentibus mẽbranis frégerit. Nempe & hoc in libro de pueri natura est
» dictum his verbis. Cùm verò mulieri partus ad-
» fuerit, contingit eo tempore cùm fœtus agitatur,
» ascaridúmq; modo, tum pedibus, tũ manibus ad-
» sultat, quandam ex membranis interioribus fran
» gi, fractáq; iam vna, cæteræ periculo vacantem
» magis obtinent virtutem, franguntúrq; primùm

quidē quæ fœtū cōtinet: deinde quæ postrema est. Cùm itaque non amplius in vulua contineatur abactus fœtus: neque fieri potest, vt agitationes ipsius seruentur. Quo autem modo his non credendum, sic neque alijs, qui aiunt septimum mensem nonumq; fœtuum partus habere: octauum verò & decimum, præter naturales distantias mense vno naturalibus posteriores, quod in secundo epidemiorum dictum esse aiunt in ea dictione, qua inquit Hippocrates: τῇ ὑστεραίῃ, perinde atque dixerit: Postero vel tempore vel mense. At in libro illo id explanauimus. Ego verò si idipsum quod dicitur priùs ita habere vidissem, causam ipsius diligentiùs inuestigarem, sed quoniam & in multis temporum præscriptionibus vuluæ morbos contemplatus sum, tum iudicari, tum conuenire cum iudicatoriorū dierum circuitibus quos ipse in prognostico docui: ob id causæ relinquo inuestigationem, cùm quod dictum est, neq; perpetuò, neque vtplurimum ita habere viderim. Sed forsan quòd ita contigit in duabus vel tribus mulieribus contemplatum eum qui hæc scripsit, siue ipse Hippocrates fuerit siue Thessalus, siue alius quispiam, inconsultiùs pronuntiasse puto vniuersalem enuntiationem ex re quæ neque perpetuò, vt dixi, neque magna ex parte fit. Finem itaque hæc nobis habeant. Inter ea autem quæ in scriptura adiecta sunt, reuocabimus ad memoriam coniunctionem, atque, quæ in medio

harū

harum orationum posita est: ad capitis grauitatem conuersio fit, & in syncipite dolores fiunt, faciemúsque totam scripturam talem: Quibuscunq; à fœtu abortiuo vteriq; tumoribus in capitis grauitatem fit conuersio, atque in syncipite dolores fiunt, & quæcunque alia ab vtero affectiones, his in octo vel decem diebus in coxam finitur morbus, limitationem siquidem medicam quandam quæ ad prænoscendum vtilis sit, & quæ causam non assignet, priori sermoni introducunt, sensum eiusmodi esse volentes: Quibuscunque mulieribus tumores vteri ex partu eiectitio orti, in capitis grauitatem conuertuntur, ipsisq; in syncipite fiũt dolores, his in octo vel decem mensibus ad coxam transeunt, quæ vterum cõtristant: tanquam non omnes vteri tumores in syncipite dolores pariãt, neque omnes in coxam decumbãt, sed soli illi qui in syncipite dolores progignunt. At neque ex obseruatione id fieri ita reperi, nec verò rationem ipsius aliquam ipsi afferunt. cur enim solos illos vuluæ tumores ad coxam decumbere velint, qui in syncipite dolores procreauerint, dicere non possunt, neque nos fidem ipsis adhibebimus, quòd neque rationis fidem ab experientia acceperimus, neque ex rei natura per demonstrationem. Quòd autem & orationem illam in qua scribitur: & quæcunque aliæ ob vterum ortæ affectiones, bifariàm exponant, constat omnibus, nempe alij ad vteri affectiones sermonem referunt, tanquam

non minùs hæ omnes quàm prædicta, tum capitis grauitates, tum qui in syncipite fiunt dolores succedentes habeant: alij autem sermonem ad capitis affectiones referunt, quasi & in hunc scripserit modum: Quibuscunque ex fœtus corruptione, & tumoribus vteri ad capitis grauitatem fit conuersio, atque in syncipite sunt dolores, atque aliæ capitis affectiones ab vtero ortæ maximè in syncipite signum fecerunt. Alias affectiones intelligemus, quæ capitis grauitati proportione respondent: ex quibus alias cephalæas vocant: alias hemicranias: alias verò cephalalgias simpliciter.

3 Ex his qui caput Pyramidis instar fastigiatum habent, qui valida quidem ceruice sunt, validi hi sunt, tum cæteris, tum ossibus: qui verò capite dolent, fluentesq; habent aures, palatum his concauum, & dentes alternis hinc & illinc prominent.

Nibil hoc in loco differt, vtrum κραταιαύχενες quinque syllabis, an κραταύχενες quatuor, quis scripserit. nam vox vtraq; eum significat, qui κραταιὸς, id est, ἰσχυροὺς τοὺς αὐχένας, id est, validam ceruicem habet. Vox verò μακραύχενες, quam nonnulli scribunt permutatâ vetere scriptura, non idem indicat. nam κραταιὸς αὐχὴν, id est, valida ceruix, appellatur, quæ ob ossium, tum duritiem, tum magnitudinem talis prorsus existit, sic autem habent & ossibus circumiecti, tum musculi, tum tendines, tum copulæ: μακροὶ

verò

verò ἀυχὴν, id est, longa ceruix, non virtutis loco ducitur, sed praua omnino existit, thoracis instar, tum angusti, tum longi, nempe & vt amplus sit oportet, non latus solùm vel longus. Amplus autem est & in profunditatis latitudinisq; dimensione thorax, ceruixq;, & quauis pars alia omnis, cùm hæc inter se proportione adaucta fuerint. Planè autem & in his est longitudo, vel maior, vel æqualis mediocriter habentibus. Thorax itaque hominum qui sese offerunt nobis, non priùs videtur, quàm nudatum corpus fuerit. Caput verò confestim cernimus, atq; quódnam vitium, tum in formatione, tum in magnitudine habuerit, cognoscimus, in magnitudine quidem si minus quàm conueniat, vel maius fuerit: in formatione verò, si exquisitè rotundum, frontisq; extantiam & occipitis perdiderit: vel Pyramidis instar fastigiatum acuminatúmque, oblongiores quàm decet habuerit eminentias, vel vtrasq; vel alteram, vel vnam solam, altera destitutum viduumq;. Quoniam igitur excessus capitis, tum grandioris, tum acuminati quantitatem contemplari oportet & ceruicis excessum, vt dignoscatur, ánne his vel meliùs vel deteriùs caput compositum sit, nempe in commentarijs de tuenda valetudine non modicam adferri Medicis tali ex dignotione commoditatem ostendimus, ad sanitatis membri custodiam futuramq; castigationem, si aliquando didicisse anticipauerint. In euidenter

aut

autem paruo paruitatem quidem nosse oportet, atque item ex abundantia contemplari ceruicem, quoniam spina dorsi, trunci instar, ex capite tanquam radice propagata est, didicisti siquidem dorsali medullæ ex cerebro principium generationis esse, & facultatis suppeditationem. Continet autem hanc vertebræ, tenuem quidem paruæ: crassam verò amplæ. Quo itaque modo magnus thorax magnam intus amplitudinem habet, in qua continentur duo non compressa & magna viscera, pulmo & cor: paruus autem ex proportione ipsi respondente parua hæc habet, simul & in angustum redacta, sic caput & spina ex proportione ipsi respondente, habent, tum cerebrum, tum dorsi medullam. nam si in magnitudinem profecerint, & magna ipsa & amplos spiritus locos in ipsis faciunt: si verò hæc parua fuerint, contrarium. Videntur autem & mentis offensæ his, qui euidenter habent, vel admodùm magna, vel admodùm parua. Sed parua quidem praua perpetuò existunt: magna verò interdum & raro ex insitæ virtutis robore & materiæ multitudine, ex qua formata sunt, quod & Pericli Athe niensi prudentißimo fuisse aiunt, nempe ei cauil lum ferūt comici propter capitis magnitudinem. Cæterùm caput si naturalem seruauerit figurā, validamq; habuerit ceruicem, atque oculos acriter intuentes, tale optimè habere est existimandū magis. Capita verò acuminata (nēpe & quædā

ex his haudquaquam vitiosa esse dixi) fiunt quidem, cùm optima conformatio quadantenus permutatur, quæ oblongam sphæram vtrinq; depressam repræsentat. nam vel deficientem occipitis vel frontis habent eminentiam, vel plusquam decet inauctam. plurimũ siquidem (vt dixi) vt magnum, ita & talia vitiosa reperies. Raró autem fiũt & horum quædam bona, virtute materiam concinnante, ex qua conceptus est homo, valida ita existente, vt à copia fluentis in chorion sanguinis euicta non fuerit, sed abundè suffecerit, ipsum continuerit, & probè afformauerit. Quoniam verò vel propter defectum alterutrius eminentiæ, vel propter accrementum acuminata fiũt capita, primùm quidem te mentem attendere, vtrùm auctâ vel imminutâ eminentiâ, ea acuties fiat. nam si imminutâ, perpetuò vitiosa est: adauctâ verò, nõ semper. Sed tunc inspicere simul congruit, primùm quidem adauctionis decentiam. nempe indecentes adauctiones prauæ sunt: secundò, vtrùm occipitis extantia maior fuerit quàm pars faciei inaucta fuerit, cùm melius esse vt in occipite aucta fuerit, sit existimandum. ea siquidem pars statim inter ventriculos cerebri maximè præcipua existit, & spinalis medullæ radix: deinceps ceruix est inspicienda, vtrùm imbecilla an robusta. nam si eminentia neque turpis neque exuperanter magna fuerit generosáque eam excipiat ceruix, lauda eiusmodi capitis acutiem.

valid

validos ſiquidem hos inuenies, tum cæteris, tum oßibus. Sed impræſentiarum quę'nam cætera dicat, conſiderabis: vtrùm thoracem & iecur, ita vt talibus generoſa tria principia ſint, non ſolùm cerebri principium: an ſola alia dicat, propter ea quæ primum ex cerebro principium generationemq; habent, quæ ſunt dorſalis medulla, nerui q;, atque præter hæc, tum oßium, tum muſculorum ſubſtantia, quæ de neceßitate cum capite, tum augentur, tum robur accipiunt; atque hæc magna ex parte reperies ſimul augeri. Nam cùm ſanguis ex quo formatum eſt caput, tum multus, tum vtilis ſit, rationabile eſt, vt & vitalis virtus quam à corde progredi oſtendimus, & naturalis, quæ & nutritoria appellatur, & quam ex hepate in venas manare didiciſti, ſtatim ex principio valido exiſtant, taliq; animanti velut fundamenta totius corporis generoſa eſſe eſt neceſſe: ſi verò contrario caput habeat modo, tum in praua figura, tum in paruitate, ſimul & oris palatum inſpicere oportet, vocatur autem ita pars illa ſuperioris ipſius loci, quod ſupra naſi in os ipſum canales extollitur, inuenies ſiquidem & hoc concauum, in quibus acuties, tum acuta, tum deformis fuerit, nempe hos maximè φοξοὺς vocant homines. In multis autem & dentes alternis hinc & illinc prominere videntur, hoc eſt, qui non rectè reſpondeant, neque ſupernis inſerni, neque inciſiui

inciſiu

incisiuis, neque canini caninis, neque molares molaribus: sed os illorum veluti retractum simul & peruersum obtortúmque videatur. Reperies sanè his caput assiduè dolere, fluentésque aures, interdum quidem sanie tenui & liquida: interdum verò & tanquam purulenta & graueolente, partibus imbecillis & multum & prauum excrementum procreare solitis. Cùm itaque clara sit dictio, paruo aliquo adiecto, ad aliam transibimus. paruum hoc, est admonitio vnius ex dictis à me iuxta sermonis huius exordium: videtur siquidem iam manifestè præsens liber commentario quàm operi similior, sibi ad memoriam quandam scribēte Hippocrate, quatenus vnumquodque vel vidit, vel Logica contemplatione reperit: nihil enim primæ orationi ad secundam prope familiare est, neque rursus tertiæ ad has.

Quibuscunque os à palato discescit, his medius considit contrahitúrque nasus, talibúsque summitas vnde dentes proficiscuntur, resima fit,

Quod duo nasi foramenta os intersecat, firmitatem ex alio quodā osse tenui accepit, quod superiore parte ex medio superciliorū principiū habet, finitúrq; in nasi extremū: vbi sitæ sunt alæ. In ea igitur parte positū habet nasi interseptum loco illo, ad quē dentium qui secant, extrema perueniūt: supra quos ὑπερῴα. id est, palatū appellatur, stabilitatémq; ex eo accipit mediū ossis illius,

quod

quod nasum discriminat, quod Græci διάφραγμα, id est, interseptum vocant. Vbi itaq; aliquod ex substinentibus oßibus deciderit, interseptum in parte illa nasum reddit concauum. vocatúrq; symptoma hoc σιμότης, id est, simitas.

§ Puerorum eclampsiæ vnà cum pubertate quibusdam mutationes habent & alias & in renem dolor grauis, vbi cibo impleti sunt.

Quanquam scripturam hanc norint interpretes omnes, habeantq; eam exemplaria antiqua omnia: quidam tamen ex recentioribus permutare conati sunt, alius aliter. Nam quidam, epilepsiæ, scribunt: alij, catalepsiæ, quorum expositio huc tendit, vt epilepsia ab ipsis significetur, quæ magna ex parte eam à puero habentibus in puerilis ætatis ad pubertatem mutatione cessat. nempe & ita fieri videtur, nisi quis in hoc tẽpore ex perperàm sibi adhibita victus ratione, permanentis morbi causam sibi fecerit. Fit itaque complurimum ob frigidam cerebri temperaturam, coniunctâ ipsi magna ex parte humiditate. nempe raro ex parte aliqua excitatur. Curatur autem, cùm pubescũt, vbi & cætera quis vt oportet egerit, ob temperamenti totius corporis ad siccius calidiúsq; commutationem. Quo etenim modo florens ætate, puero calidior sit, ex commentarijs de temperamentis didicisti: vbi & quomodò puer, calidior ætate florente. florens ætate quidem, simpliciter calidior:

puer

puer verò non simpliciter, sed quòd plus calidi innati habeat. Eclampsias itaque, id est, emicationes calidi innati ab Hippocrate dici volunt, qui se Hippocraticos vocauerunt, sumpta ab externa flamma tralatione, quæ materiâ ita euictâ vt sibi omnem adsimilauerit, tum effulsit resplenduítque, tum conspicua omnibus, quæ antè latuerat, facta est, aßiccatâ humidâ materiâ. Zeuxis verò, atque huic similiter experimentarij quidam ἐκλαμψιν non ita intelligunt, sed altero quodam modo. Scies autem Zeuxidis hoc pacto adscriptâ oratione: Νήπια, *id est, pueros dicit Hippocrates ad pubertatem vsq; ibi autem cùm pubescunt, elucent, significanter admodùm metaphora vsus. nam tunc pleniores ipsi carnosioréśq; fiunt, & craßiores, atque tum colore tum specie gratiores, nec secus tum virtute tum mente meliores. Talia autem vniuersim fiunt, quò fit, vt eorum qui naturâ formosiores sunt, pleniùs tunc eluceat pulchritudo. Zeuxis ipse* νήπια *dici ait pueros omnes, quòd & Herophilus ita eos nominauerit. nempe de ea re in hunc scribit modum his verbis: Videtur* νήπια *dicere Hippocrates ad pubertatem vsque, & non nuper genitos natósque ad quinque vel sex annos, vt nunc plurimi dicunt. Satisfecit autem Herophilus, tantæ ætatis asserens* νήπια *esse, vbi inquit:* Τοῖς νηπίοις *non fit semen notabile, menses, conceptus, caluicium. Non enim procedentibus ad*

prædictam vsque ætatem his non fieri talia ait, id est, à prima statim generatione, quod suscipientes quidam, tanquam cognita omnibus docentem ipsum deriserunt, quo è numero est Callimachus: sed his ad pubertatem vsque, quoniam & in his fieri hæc quidam putauerunt. Et hæc quidem tibi sunt quæ dixit Zeuxis. Quo autem modo & νήπια dici mihi videntur, suprà quidem dixi: sed & hoc loco clariorem repetam sermonem. Epilepsia ex naturali fit intẽperie, cùm scilicet abundè humidum fuerit cerebrum, & tunc puerilis nominatur morbus, veluti ipse ostẽdit in libro de aquis, aëre, & locis ita scribens: « Pueris contingunt conuulsiones atque asthmata « quæ putant puerorum facere, & morbum sa- « crum esse. Quòd in hac dictione subaudire oporteat puerile scilicet malum, neminem latet, vt dictio talis sit: quæ putant puerilem affectionem efficere, & sacrum morbum esse. Fit autem & propter errata pueris hæc ipsa affectio, curatione indigens Medici. cùm autem ob humiditatem fit, confestim pueris incipit, & in ætatis commutatione nihil molientibus nobis cessat. Quibus itaque pueris cœperit, non in prima statim ætate cùm infantes sunt, sed cùm processerit ætas, his propter erratum, vel in victus ratione, vel alia externa causa ortum habuisse constat: in quibus ætatis commutatio expectanda non est, sed facta in ipsis morbosa affectio curanda. Quæstio-

ne an

ne autem non parua dignum illud existit, an secundum veterem scripturam eclampsias intelligemus, vt Hippocrates & Zeuxis intellexerunt. nempe sermo talis est: Puerorum, cùm pubescunt, calidi eclampsias, id est, emicationes, & alias quasdam in ipsis habent mutationes, atque renum adfectionem, quam ipse deinceps explicat. prætermittetur siquidem in tali sermone epilepsiæ nomen. videntúrque & ob id nonnulli non absque ratione epilepsias scripsisse, quomodo alij catalepsias. Debuerunt autem hi quasi non ita scriptum reperissent: sed tanquam melius esse vt ita scribendum esse dixissent, ad dictam peruenire enarrationem. Quidam præsentem coniunctionem, &, rursus auferunt, duas orationes quæ nihil inter se communicent esse volentes, atque vnam quidem ex hac dictione abundè ostendi: Puerorum eclampsiæ cum pubertate quibusdam mutationes accipiunt, & alias: alteram verò talem: In renem dolor grauis cùm cibo replentur. & quæ continuata serie de nephritide ipse docet principio altero, pueris ipsis, cùm pubescunt, in hunc morbum transeunte eclampsia. Non enim videtur in hac ætate nephritis fieri, quomodò in vesica lapis. nempe hic pueris magis fit, nephritis verò ætate declinantibus. Scribemus itaque deinceps quæ de nephritide ita dicuntur.

In renem dolor grauis cùm cibo replentur, vomúntque pituitam: cùm verò abundauerint dolores: æruginosa, faciliorésque fiunt. soluuntur cùm cibo vacuantur: arenulæ fuluæ subsident, sanguinolentum mingũt, femoris quod è directo est stupor.

Vt dolor grauis vel qui loco sensum velut ponderis cuiusdam incumbentis inferat, vehemens intelligatur, fieri potest. nempe vtrumque verum existit, si in renibus, diuersis fiat temporibus. nam tunc vehementissimè dolent, cùm & generantur & permeant calculi: reliquo verò tempore dolores tanquam grauis cuiusdam ponderis loco incumbentis habent. Qui igitur in renum ventre conflari calculos putant, solùm cùm ij per vrinarios meatus transeunt, ægros discruciari aiunt: qui verò in ipsa renum carne, non in solis permeationibus, verùm & tempore tum quo generantur, tum quo ad renum cauitatem subeunt. Quòd autem lapidis in renibus coagmentatio tophaceis arthriticorum proportione respondeat, testem citant dictionem ex libro de hominis natura & victus ratione, quæ ita habet: Quibus in vrinis " subsident arenosa vel pωri, id est, tophi lapides, his " ad crassam venam tubercula fuerunt & suppu- " rarunt. deinde non citò ruptis tuberculis pωri ex " pure sunt conformati, qui foras per venas cum " vrina ad vesicam extruduntur. Hæc sanè Hippocratica est dictio. Non est autem impossibile,

vt

vt modo vtroque fiant in renibus calculi iuxta nuper & paulò antè dictum modum, quo diximus assatum tandem atque arefactum in renum cauitatibus tum crassum tum viscosum humorem, in porosam concreuisse substantiam. Hoc tempore siue oppilatio in ipsis fuerit, siue moderata phlegmone, grauitatis magis non doloris sensus efficitur, quòd renes ipsi ita vt iecur, tenuißimis participent neruis. Dolores verò in renibus maximè fieri ait, cùm cibo replentur. Cùm autem vox σῖτος, id est, cibus, duo apud Hippocratem significet, sermo in vtroque significatu verus est: siue de cibis intelligas qui ingeruntur, ex quibus colligitur copia sanguinis: siue de cibi excrementis quæ intestina continent. nempe & aliquando hæc σῖτα vocat, vt in libro de victus

» *ratione in morbis acutis, vbi inquit: Quibus enim*
» *σῖτος, id est, cibus, statim inclusus est, si quis non*
» *vacuato ventre sorbitionem dederit, valde nocebit. Dolor itaque ob ita dictum cibum in renibus obortus ex eo, quòd à copia & pondere superfluorum tum constringuntur tum grauantur, statim cùm hæc deiecta sunt, placatur desinitque integrè: si verò ex aceruata in venis multitudine cùm in renes decubuerit, fuerit exortus, etiam si sanguis missus fuerit, non confestim soluitur, tum quòd densa sit renum substantia, tum quòd extrinsecus appositorum auxiliorum virtus propter multa ipsis incumbentia corpora,*

cùm illuc peruenit, exoluitur. Soluit autem ipsis dolores non hoc solùm, verùm & ea quæ per superiorem ventrem fit excretio, quæ commune aliquod est symptoma tum colo tum rene laborantibus. continuantur siquidem renes colo, & colum renibus, qua peritonæo anneƈtuntur. Fiunt itaque primùm vomitus pituitosi. talis siquidem in ventre progignitur humor magna ex parte, propter cibi copiam: atque magis, si cibus hic tum crassus tum natura pituitosus fuerit. Quòd si mala hæc tum increscant, tum perseuerent, aduenit ita adfectis & æruginosus vomitus, corrupto tum ob dolores tum ob vigilias sanguine, & præsertim cùm vnà febrierint, & cibos non sumpserint. Leuiúsque habent (inquit) ex vomitibus, liberantúrque ab accessionibus, quanquam non affeƈtione, vbi cibi euacuati fuerint. Licet autem & hoc loco ciborum nomen vtroq; modo accipere, sed potiùs pro cibis ventriculi quàm intestinorum. Subsident, inquit, in vrinis scilicet, fuluæ arenulæ. nempe & hoc fieri videtur, si πυῤῥὸν, id est, fuluum, eiusmodi esse coloris qualis est quæ sandaracha appellatur, intellexeris. Quidam ob id ex his qui in artis operibus sunt versati accuratiùs, & subsidentias qualis est orobus, fieri ipsis aiunt: alij eas quæ sandaracham repræsentant: interdum verò & reuerà fuluas. Priores duæ iecoris aßident morbis: tertia renum, móxq; tales colore fiunt subsidentiæ, quales are-

nulæ.colores siquidem subsidentium in vrinis differunt tum maioris tum minoris ratione. fiunt autem ex materia crassa quidẽ et prorsus viscosa,quæ crassi plus vel viscosi habeat,vel vtrunq; æquale.Si itaq; ex pituitosa viscosa sola,& crassa,coagmentatio fiat:cinereus est color,cæterorum pœrosorum lapillorum colori haud dissimilis, qui in calidis natura aquis videntur, ferè vbique lapidibus adhærentes, atque alibi in vasis vbi calefit aqua. Fit interdum & ex purulenta humiditate, aut ex purulenta & pituitosa permixta in animantis corpore, talis tophaceus lapis, quomodò in his qui articulari morbo laborant. nempe generationis modus prorsus idem est & his & qui in renibus formantur lapidibus. Si verò paucus sanguis pituitæ crassæ & viscosæ permixtus fuerit, subsidentium in vrinis color vincentem concomitabitur humorem, vt interdum quidem fiat ex pallido albicans, vel ex rubro candidus,vel ex flauo candicans:interdum verò & fuluus,conferente ad colorum discrimen & sanguinis ipsius colore. non enim semper hominibus exquisitè ruber est, sed interdum ad nigriorem, interdum ad flauiorem, & interdum ad fuluiorem declinat.Omnes itaque quas nuper dixi colorum differentias, cinerei excepta, à voce πυῤῥὸν, id est, fuluum significari est putandum, cum dixit arenas fuluas subsidere: aut adiectum verbum cruentum communiter dictum esse est

accipiendum. & demùm dico aliquando. nempe vt cruenta ipsis aliquando videtur fieri vrina, quæ neque perpetuò neque in nephriticis omnibus fit, pari modo & in vrinis interdum videntur fuluæ subsidere vrinæ. Demonstratum est siquidem in commentarijs de facultatibus naturalibus, renem trahere ad se quicquid in venis serosi & tenuis cum sanguine permixtum reperitur. meatus verò qui in renis cauitatem illud transmittunt, si latiùs aperiantur, craßiùs vnà aliquid percolatur. Cùm itaque concalefactum hoc in renis cauitate porosam acceperit consistentiam, si renum quidem virtus excretoria omne ipsum cum vrinis expulerit, arenosum in ipsis sedimentum proueniet: si verò infarctum id atque arctiùs infixum, quàm vt facilè absolui posſit, in renis cauitate fuerit, aliud quippiam sibi non absimile ex vena caua excipit, atque ampliùs augetur. obducitur siquidem perpetuò quod affluit, & quod iam adest, & ita porus magnitudine insignis conflatur. Quidam rogauerunt propter quid cruentum mingant, quòd lapis egrediens, cùm angulosus est, partes feriat adiacentes, atque sanguinem excerni faciat. quòd si rarefactus fuerit, ex vena in renem ingressus; sanguísque humens fuerit, neque multus, neque viscosus, cruenta ita vrina excernitur. Dolorem verò stupefactorum ad crus peruenientem, ob vasorum spinæ incumbentium, cauæ scilicet venæ & arteriæ magna

gna

gnæ, ad tum renes tum crura communitatem fieri, est existimandum. maximæ siquidem ad renes procumbunt, post eas non magnæ quidem ad lumbos: deinde vas vtrunque bifariàm diuisum, in crus vtrunque porrigitur, atque in totum ipsum distribuitur. Qui verò per vreteras, vel membranas quasdam, vel neruos, vel & peritonæum, consensionem esse renibus ad crura dicunt, prorsus absque experientia dissecant. Quæ itaque vsu eueniunt nephriticis, hucusque percurrit Hippocrates. deinceps autem super ipsorum curatione sequenti oratione scribit.

Quiescere non confert: sed exercitari, non repleri. Iuuenes elleboro purgare, poplitis venam secare, cientibus vrinam purgare, attenuare & emollire.

Formam sibi in hac oratione curandorum renum summatim fecit Hippocrates: scripsitque quæ ætati omni, corporísque habitui communia existunt: dein quæ propria tum iuuenibus tum robustis. Communia sunt primùm scripta: ἡσυχίην scilicet, quod quietem agere ostendit. aítque ipsis inutile esse & exercitari. nempe hoc conferre putat, quòd scilicet exercitationes & copiam vacuent, & pituitosum craßúmque, & crudum omne ad coctionem deducant tenuéntque, atque omnes corporis partes roborent. Nosse autem te oportet hoc loco non planè vehementes exercitationes dicere Hippocratem, vt equitationes, in

armis cõcertationes, luctari, in pancratio pugnare. fodere, vel tale quippiam aliud facere: sed omnem simpliciter agitationem, quæ nephritici corpus pro ætatis, habitúsque & roboris ratione exercere possit. Quinetiam non repleri, omni ætati & corporis habitui commune est præceptum hortamentúmque. Quæ hoc consequuntur, iuuenibus, vt ipse dixit, consentanea scribit, ita inquiens: Iuuenes elleboro purgare oportet, poplitis venam secare. Elleboro quidem purgare, si longus admodùm fuerit adfectus, atque (vt quispiam dixerit) concussionis quæ per vectem fiat indigens, ad hæc enim veratro vtimur. Sanguinem verò mittimus in his qui sanguinem abundè, vel crassum sibi in venis collegerunt. Si verò auxilio vtroque homo ipse indiguerit, quòd à sanguinis missione incipiendum sit, neminem latet. Didicisti autem partes quæ supra iecur sitæ sunt, sanguinis missionem ex cubito postulare: quæ verò infra iecur, ex cruribus, venas in poplite secantibus nobis, vel prórsus in malleolo. Quod deinceps dictum est: vrinam cientibus perpurgare, in omnibus habet commoditatem. Non autem simplicicer dixit, cientibus vrinas est vtendum: sed ex adiectione verbi, purgare, modum auxilij quod ab ipsis fit, demonstrauit: vtpote quæ expurgent nõ solùm quæ in renibus infarcta sunt tum crassa tum viscosa, sed vnà quoque & quæ in venis cum sanguine præter naturam feruntur.

tur. Quod verò in calce orationis est dictum: attenuare, nephriticis omnibus vtile existit, tum his quos ad sumptionem veratri paramus, tum his quos citra hoc, & per sanguinis missionem curamus, vel etiam post huius adsumptionem. Dictum est autem attenuare de humoribus, nempe hos attenuare conuenit: mollire verò, de solidis. vtile est siquidem vtrunque elleborum assumpturis, ad purgationis securitatem. Si itaq; elleborum propinauerimus, priusquam humores attenuauerimus, aut corpora per quæ vomitiones fiunt, mollierimus, & ad distensiones vellicationésque ductilia reddiderimus, in periculum suffocationis propter humorum crassitiem agemus. vel autem contrahetur in vellicationibus, propter duritiem, qui expurgatur, vel vas aliquod rumpetur, atque etiam si elleborum non dederis, optimum est humores tenues esse: mollia item esse renum quæ ad humorum penetrationem idonea sunt corpora. Primùm siquidem nũquam in ipsis generabitur calculus, si ambo hæc quis obseruauerit.

Muliebria aquescẽtibus diutiùs manẽt: cùm verò non ocyùs fluxerint, intumescũt.

Υ᾽δατώνουσαι, *id est, aquescentes quidam intellexerunt, quæ promptè aqua inter cutem corripiuntur: alij verò eas quæ sanguinem natura tenuẽ & aquosũ habẽt. Fieri verò potest, vt quod dictum est, de vtrisq; intelligatur: sed potiùs de his,*

his, quibus sanguis est tenuis, vbi nulla alia morbosa adfectio in corpore subalatur. Siquidem his menstrua purgatio quam muliebria vocauit, diutiùs permanet. Nempe & hoc ipsum. ἐπὶ πολύ, id est, diutius: bifariàm intelligi potest. vno quidem modo, de diebus, in quibus mulieres huiusmodi purgentur: altero autem, de ipsarum ætate. Si dies intellexerimus, mulieres has pluribus diebus quàm cæteras expurgari significabit: si ætatem, pluribus annis. Reuerà siquidem his aceruatur sanguis tum multus, tum tenuis, veluti paucus, craßúsque in contrario adfectis modo. Albæ itaque sunt priores & molles, nigræ autem & duræ & tenues, quæ sanguinem melancholicum sibi procreauerint, atque quòd natali temperamento contrà habeant, est manifestum. Nam quæ aquescentes nunc ab ipso dicuntur, temperamento sunt humidiore, & frigidiore: contrariæ, verò sicciore & calidiore. Si verò ex morbo aquescentes factæ sunt, non omnibus muliebria pluribus videntur diebus. Nam interdum suppreßio horum causam adfert ipsis morbi: rursúsque suppreßio propter osculorum vuluæ obstructionem efficitur, & propter sanguinis craßitiem. Quidam itaque sermonem de aquescentibus ob morbum esse volentes, in syllaba vltima uerbi παραμένει, id est, manent adijcientes literam, ν, scribunt: Muliebria aquescentibus diutiùs παραμένειν, id est, manere nos intelligere volen-

tes

tes quod conuenit, quasi & ita dixisset: Muliebria aquescentibus diutiùs manere oportet: vt tum consultorius tum curatorius sermo fuerit, solùm quod in ipso sit continens expositionem. Cõsentaneum autem & huic inquiũt, quod in calce dicitur: Cùm verò nõ ocyùs fluxerint intumescũt. velle siquidem ipsum vt pluribus diebus, ita & pauco tempore mulieres eiusmodi expurgari, propterea quòd cunctantibus mensibus tumores fiãt: quanquam & hoc in his quæ sanguinem aquosum habent, contingere ait: nempe & his carnes aquosiores sunt, non respondente stato tempori purgatione.

In cranone vetusti dolores frigidi, noui calidi, ex sanguine autem plurimi, & ab Ischio frigida.

Hæc quoque sibi ad memoriam videtur Hippocrates compendiosè scripsisse, quò fit vt obscurior sit oratio. Est siquidem incertum an dolores etiam hos in Cranone fuisse aiat, vel in ventre, vel in alia aliqua parte ad dolorificos affectus. Vetustos autem dolores frigidos quidem fuisse, nouos verò calidos, etsi apertè dictum esse videatur, obscuritatem tamen quandam & ipsum cõtinet. Nempe vetustos ait, vel qui nuper fuerunt, vel diuturnos: veluti & nouos ait qui nunc consistunt, aut qui celeriter desinunt: frigidos item vel qui frigoris sensum inferunt, vel qui à calefacientibus mitigantur. Pari modo & calidos,

vel

vel qui caloris sensum habent, vel qui à refrigerantibus leniuntur. Sunt qui frigidos dictos esse paruos aiant, calidos autem magnos, præter Græcorum vsum significata intelligentes. Cùm autem in quo anni tempore Hippocrates hæc scripserit, nos lateat: neq; quando constiterint, neque quomodo, neq; quantum durauerint dolores, apertè inuenire possumus. Nouos autem ex sanguine fieri, quod prorsus perinde est atq; dixeris, ex sanguine tum calido tum multo, atq; in vetustis non adiecisse humorem, vetustos ab altero quodam humore qui frigidus sit fieri indicat: frigida quoque & ipsis ab Ischio fuisse ait, affectus inquiens vel dolores, frigido scilicet humore & hæc operante. Cæterùm mirari licet plerosq; interpretes, qui ad eiusmodi dictiones in quibus nihil certò est reperire, indemonstrabilia scribunt quamplurima. In quo verò & demonstrari quippiam potest, & inueniri vtile, aut nihil scribunt, vel pauca & indemonstrabilia veluti præcepta.

60. Quæ ad rigores vehementes procedunt, ea non fermè placantur, nisi prope statum.

Ita scriptam norunt orationem antiqui interpretes. Recentiores verò ad clarius eam permutantes, ita scribunt: Rigores vehementes procedentes non fermè placantur nisi prope statum: voluntque dictionem hanc nos docere, vehementes

qui

qui in ægris fiunt rigores in nullo alio fermè placari morbi tẽpore: sed solùm cùm prope statũ vẽtũ sit. Secundum verò priorem scripturam: Quæ ad vehementes rigores procedunt, id est, perueniunt, videlicet affectus (nempe affectum subaudire oportet) conuenit Hippocratem intelligere non placari ante statum. Nonnulli autem meminisse ipsum status totius morbi temporis aiunt: alij verò particularium accessionum, vt rigor cùm vehemens fuerit, non mitigetur, priusquam propinquauerit status tempus. Videtur itaq; quibusdam id fieri: vocamúsq; rigorem ipsum incalfactibilem non vehementem. Fieri autem potest, vt & vehementem ipsum dicat secundum virtutem. malignior siquidem multò est quàm qui exuperanter quidem vehemens sit, sed citò desistit. Totum verò morbi statum si intellexeris, maximè in quartanis febribus quadrat sermo. nam si vnà cum rigoribus vehementibus irruperint accessiones, nihilque ipsæ remittant, fieri nequit vt morbus iam statum acceperit: & sanè multò magis neque declinationem talis quartanæ fore sperandum, priusquam rigor desierit, quò fit vt prognosticus sermo sit de febribus ad rigores vehementes peruenientibus, quæ solui nequeunt priusquã rigor destiterit. id quod prope statum efficitur. Contingunt autem huiusmodi rigores ob valde frigidam quæ vitrea est pituitam, vel melancholicum humorẽ. Verùm ex frigida pituita rigor fit,

qui

qui difficulter calefit, non vehemens: ex melancholico verò humore interdum vterque, interdum & alter. At eiusmodi humor quarto quoq; die infert accessionem, vitreus verò quotidianam. Nulla verò talia explanant interpretes: sed plurimum illa percurrunt, in quibus nihil discipulos iuuant. Nam & in sequenti dictione maximè medicinali arguunt nullum ex celeberrimis praeceptis cognouisse.

14\. Ante rigorem vrinarum retentiones si ex commodis processerint, considerandae. atque si venter percurrerit, & somni adfuerint, considerandus quoque & febris modus, & quae ex laboribus sunt.

Per deos quid dicam nescio, cùm theorema commodissimum millies in aegris apparens ignorauerint qui librum sunt interpretati. Caeteros itaque minùs quis admiratus fuerit: Sabinum verò & Rufum Ephesium viros non obiter in Hippocratis libris versatos verè atque amplè admirari licet, si non saepiùs viderint rigorem iudicatorium retentionem vrinarum praecessisse. de qua nunc Hippocrates scribit praecognoscere nos futurum in morbo iudicatorium rigorem admonens. Nam si in acuta febre caetera tibi signa salubria apparuerint, & iudicationem propè futuram speraueris: nosse te oportet retentis vrinis de necessitate fore iudicatorium rigorem. Quòd si & nox implacida praecesserit, diésque iudicatorius

rius fuerit, certius est prædicere futurum rigorẽ. Si verò & per pulsus signum (vt didicisti) tibi idem demonstretur, non solùm fore rigorem, verùm & vehementem fore certò spera. Ex commodis itaque vel vrinis solis, vel & alijs cum ipsis bonis signis te audire oportet, tãta siquidem virtus signorum ex vrinis in acutis febribus existit, vt & soli ipsi fidem adhibeas. Aduenientibus verò & alijs prænotio tibi erit certissima & immutabilis, atque continua. Vrinarum autem retentiones fiunt & ventre multa excernente, nempe repere illuc ostenditur serosa humiditas, cuius vbi redundauerit, tres constat esse vacuationes, per ventrem, per vrinas, & per sudores. Si igitur venter plura deiecerit, retentioni vrinarum ad rigoris prænotionem non est confidendum. Si verò & is nullo pacto antè deiecerit, præsenserisq; morbum prope iudicationem esse: vt rigeat æger sudetq;, est necesse. Sed quidnam significat oratio: & si somni fuerint? Nam si veluti signum vnũ aliquod bonum dictum sit, maximè ad præsentia conueniet. Oratio verò: si ex bonis processerint, veluti exemplum aliquod dicta est. Si verò & ea tanquam futuri rigoris signum dicta sit, non simpliciter de ipsa cognoscere debes: nam sæpiùs quæ iudicationem nox præcedit, rigoremq;, & ex eo iudicationem, implacida fit inquietaq;, vbi certissimam vnà cum dictis habebis futuri rigoris prænotionem. Interdum verò quanquàm raró cũ

somnis bonis nox placida efficitur, videtúrque his nō rigoris indicatorius pulsus, sed excretionis. Sed de his satis constat, in ea quæ de pulsibus est tractatione. Cæterùm febris modum te ante contemplari præcipit, id est, si calida, vel biliosa, vel ardens, vel alia quædam. Nam qui in acutis febribus, & maximè ardētibus fiunt rigores iudicatorij, eos constat bile per sensibilia corpora delata ad externam superficiem finiri. Ob id & febres ex laboribus temperamento biliosissimæ existentes, ad prænotionem tibi & hæ conferunt. Ea itaque quæ ab externis causis ad prænotionem est vtilitas, dicta quidem tanquam exemplo in vno: sed tibi futura bona in alijs quoque externis causis quæ biliosius reddunt corpus. Hæ sunt inustiones, vigiliæq́; & curæ, & mæstitiæ, & iræ, & alimenti penuria, & redundantia biliosorū esculentorum. Prima siquidem & securissima in febrium modum dignotio ab his quæ in corpore apparent, fiet, veluti in commentarijs de febrium differentijs didicisti. Consequenter autem & ea quæ est ab externis causis ad fidem securiorem eorum quæ inuenisti, non parum conferet. Mirum itaq; quónam pacto præceptum id quod maximè commodum existit, latuerit interpretes.

Abscessus non admodùm his fiunt, quibus rigores.

Raro abscessus his fiunt, qui cum rigore febricitant: vt in tertianis & quartanis febribus. Nempe

Nempe in remißionibus talium acceßionum excretiones copiam ita vacuant, vt valde multam oporteat esse contristantium humorum copiam, vt natura abscessu indigeat.

Crurum effœminationes, vel ante morbum, vel statim à morbo iter facienti fiũt, quòd forsan aliquid ex laboribus in articulos abscesſit, ob quod crurum effœminationes fiunt.

Clarè cognosci nequit vtrùm ἐκθηλύνσεις, id est, effœminationes, debilitates solas dixerit, vel eas quæ prorsus cruribus cum atrophia accidunt. Nempe quantum est ex prædictorum exemplorum priore, fieri potest, vt & debilitates cũ atrophia intelligamus: quantum verò est ex posteriore, vbi inquit: quòd forsan aliquid ex laboribus in articulos abſceßit: non satis probabiliter quis gracilitates inaudierit, sed simpliciter debilitates quæ possunt & citra gracilitatem functiones crurum exolutas reddere, vel & abscessus excipere. Quod autem in calce adiacet: ob quod & crurum effœminationes: dictum est & in principio dictionis, quo fit vt nonnulli consequenter scriptis præuium ipsum faciant, primum quidem: ob quod: tollentes, deinde cum ipso quædam ex sequente dictione immutates. Quod autem circa initia dixi, memorabo & nunc, estq́; id quòd multifariàm dictiones hoc in libro scriptæ sunt: quomodò & hæc: simúlque

quòd quædam non rectè dispersæ sunt, vel non congruenter coniunctæ, quas si omnes memorauerim, simulq; delinquentes ostenderim, in infinitam extendetur sermo prolixitatem.

Phymata foras extumescentia acutaq; & fastigiata, & æqualiter commaturescentia, & non circunquaque dura, & deorsum tendentia, & non bifida, meliora: contraria verò, mala: & quò plus sunt contraria, eò sunt deteriora.

Ab his quæ è terra nascuntur, phymata homines appellauerũt præter naturam tumores qui prorsus absque causa externa fiunt. Maximè itaq; vocant ita quæ ad externũ erumpunt locũ. Lata quoq; quòd altero careant nomine, & minùs quàm natura postulat altiora, similiter interdum vocant, quod & Hippocrates fecit, bona esse inquiens extumescentia, hoc est, in quibus effatu dignus est tumor: vel quæ augmentum non intrò, sed foras efficiũt, veluti in prognostico scribens dixit. Quæcunque in exteriorem conuertuntur partem, optima sunt, parua & quàm maximè foras tendentia, atque in acutum fastigiata: quæ verò, inquit, intrò rumpuntur, optima sunt, quæ cum externa cute nihil communicant, nempe vt extra tendant est melius. Si verò intrò tendant, in ipsis omnibus est melius, vt horum inclinatio ad internam facta sit regionem. Phymatũ itaque generatio & in abdomine est, & in thorace,

race, nempe his subiacent inanes loci qui tumorẽ præter naturam intrò tendentium phymatum excipiunt. Ex his verò quæ extrà intumescunt, acuta fastigiataq; latis sunt meliora, tanquam quæ tum calidioribus, tum substantia tenuioribus fiant humoribus : atque ob id citò suppurantur, nam quæ à crassis viscosisq; & veluti frigidis fiunt, lata sunt, & coctu difficilia, putrescũtq; magis, neque longo maturantur tempore. Cum his autem & quæ æqualiter suppurãtur, laudat. Nam quæ aliqua quidem sui parte suppurãtur, reliquumq; omne insuppurabile habent: primum quidem quòd cæteris citò ad suppurationem tendentibus diuturniora sint, mala existunt: deinde quòd difficiliùs curantur, alijs siquidem egent auxilijs, quæ ad suppurationem tendunt : alijs quæ suppurationi non patent. Prætereà non περίσκληρα, id est, circunquaque dura, meliora sunt circunquaque duris. Vocant autẽ περίσκληρα, quæ in medio mollia sunt, & suppurantur. Quod verò circiter est durum, & difficulter suppuratur, aut prorsus non suppuratur. Laudat quoque & deorsum tendentia phymata. Hæc autem sunt quæ deorsum suppurationis suæ habent apicem, nempe imbi adaperta faciles accipiunt effluxus, nisi latuerint quæ inæqualia existunt, nempe & his aliquid bonum inest, aliquid verò prauum. Quæ verò æqualem habentia suppurationem, apicem ad inferiorem faciunt partem, ea

optima sunt. Cæterùm non bifida bifidis meliora esse ait, nempe bifidorum medium reperitur non impatibile quidem, sed tum insuppurabile, tum durum. Quòd aut ex phymatis contrariò inter se habentibus quæ percurri, quæcunque plurimùm inter se speciebus distant, hæc tum virtutibus, tum moribus vt illæ distent, constat omnibus. Nempe cùm prædictæ differentiæ sufficientem habeant latitudinem, necesse est aliquod esse contrariorum medium, atq; à medio recessisse, aliud quidem magis, aliud verò minùs, vt in duris & mollibus, nempe in vna oppositione veluti exemplo sermonem fecisse sat erit. Nam durum molli est vitiosius, duro autem ipso quod durius est, quod si est durius, difficilius fuerit. Sic mediocriter molle, bonum mediocriter est: perfectè verò molle, bonum & id perfectè. Quæ igitur in hac oppositione audiuisti, in omnes dictas transferre potes.

Autumno ferinum, & stomachi morsus, & horridum, & melancholicum.

Siue ascaridas, siue lumbricos dicat, verbum θηριῶδες, id est, ferinum, siue elephantem, & cancrum, siue phthisim, vt quidam intellexerũt, siue quicquid malignum est, iure optimo talia omnia in autumno fiunt, tum propter temporis cacochymiam, tum propter inæqualem ambiẽtis nos aëris temperaturam. Nihil itaque miri, si & stomachi morsus, & horridum, & melancholicum in autumno

tumnali dominentur tempore, omnia ſiquidem hæc prædictas conſequuntur cauſas. De omnibus autem quæ in autumno contingunt, in ſecundo epidemiorum expoſitione latiùs dictũ eſt à nobis.

Ad principia acceſsiones conſiderare oportet, atque in omni morbo veluti in occaſu exacerbari, atque ſi annus in occaſum vergat, & aſcarides.

In ſecundo quoque epidemiorum ita ſcriptum eſt: Ad principia morborum conſiderandum ſi ſtatim florent, vtitur ſiquidem interdum hac voce πρὸς τὰς ἀρχὰς, *id eſt, ad principia, perinde & in hac dixit dictione,* πρὸς τὰς ἀρχὰς, *id eſt, ad principia morborum, refert conſiderare ſi ſtatim florent, veluti & cùm inquit: atque ad calfaciendum refrigerandumq́; & humectandum multa quis talia inuenerit. neque enim tanquam aduerſatus, neque tanquam contradicens, ſed tanquam adiuuans ad tum calefaciendum, tum refrigerandum, tum ſiccandum, tum humectandum eſt vſus. Multa (inquit) quis talia inuenerit. Demonſtrauimus autem id in quibus ſecundum epidemiorum explanauimus. Quòd ſi dictionem quis non ita intelligere voluerit, neceſſe eſt vt* πρὸς τὰς ἀρχὰς, *pro* κατὰ τὰς ἀρχὰς, *vel* περὶ τὰς ἀρχὰς, *id eſt, in principijs, vel circa principia intelligat, non tamen ſolis in principijs hoc conſiderare admonet, ſed in toto morbo. Deinceps exemplum adiecit, quod legi bifariàm poteſt,*

vno quidem modo, in occaſum exacerbari, atque ſi annus: deinde altero principio: in occaſum & aſcarides, altero verò modo, in occaſum exacerbari, atque ſi annus in occaſum vergat: deinde altero principio, & aſcarides. diem enim proportionem quandam ad annum totum habere putat, ita vt matutino tempori Ver adſimiletur, meridiei æſtus, veſperæ autumnus, & nocti hyems. De his autem latiùs eſt demonſtratum, vbi dictionem in ſecundo epidemiorum explicauimus, cuius principium eſt: Aſcarides in occaſu.

Infantium tuſsicula cum ventris perturbatione, febreq; continua, ſignificat poſt iudicationem bimeſtri prorſus vigeſimo die tumores in articulos venturos.

Scriptis ſimiliter fidem adhibent interpretes omnes, nonnullaq; eorum quæ laudant ignorant. Quædam enim etſi ineptiore æmulatione dixero, velut nerui artis ſunt: alia valde paruum habēt emolumentum: alia verò non paruum, velut & quod in præſenti eſt dictione. Ego ſiquidem quæcunque perpetuò in ægris fieri apparent, memoratu digna exiſtimo: & ex his maximè, quæ magnam habent commoditatem, veluti paulò antè dicebam, cùm de prænotione ex rigore agerem, in vehementiſsima ſiquidem interdum febre cum vigilia, nauſea, ſiti & implaciditate, interdum verò & cum deſipientia, turbatis, flentibusq; ægri familiaribus, fieri poteſt vt quis ſcientificè, tum

rigor

rigorem, tum sudorem, tum morbi solutionẽ præfatus, Asclepius esse videatur. In eo autẽ quod nunc dicitur, primum non patet quod dicitur, deinde quanquam probabiles omnes ipsius expectationes quis in scriptoris mente contineri supposuerit, nihil tamen ex ipsis præsentiri potest. Supponatur etenim infans tussire cum ventris perturbatione, & febre continua: deinde iudicari quomodolibet, quo quis voluerit die, siue octogesimo à partu, siue sexagesimo, nempe dictionẽ hãc: bimestri prorsus vigesimo die, duobus exposuerũt modis, nonnulli quidem à generatione bimestrem esse volentes quo infans iudicatur die: vigesimum verò esse, à quo ægrotare incœpit: alij verò bimestri morbum incœpisse, & iudicatum post viginti dies, atque his ita habentibus, nos prædicere posse aiunt, quòd infanti huic & abscessus quidam in articulos fiet post iudicationem, & sanè neque perpetuò, neque vtplurimùm hoc continget. Oportet autem prædictiones vel immutabiles esse perpetuò, vel rarò deficere, rarò siquidem voti compotem esse, atque sæpiùs eò frustrari, artificiosum non est.

Et si quæ supernè ad infernos decumbunt articulos, sub vmbilico constituantur, bonum: si verò supra, non similiter morbum soluit, nisi suppurauerint.

Quod de infantibus adhuc dicat, per ea constat, quæ deinceps dicentur. Sermo verò hic non

particularis est, tum in secundo epidemiorum, tum in aphorismis, tum in prognostico dictus, quæ anteà exposuimus, vult siquidem abscessus qui supernè ad partes quæ sub vmbilico inferiores iacent, fiunt, bonos esse: qui verò tales non sunt, non bonos, soluunt autem aliquid malitiæ eorum, si œdemata suppurauerint. Vsus est autem hoc loco, œdematis appellatione, iuxta generale tumorum præter naturam significatum, vt anteà dictum est.

Quæ verò in humeris suppurantur, tantulis galiancωnas faciunt.

Quòd de infantulis adhuc differat, declarauit ipse inquiens: tantulis, nos ad sermonis initia & quæ nunc dicuntur referre volens. Quónam verò modo tales γαλιάγκωνες fiant, id est, paruum ciboq; destitutum & atrophum habentes brachiū vt cubitus mustelarum instar tumidior sit, didicisti in libro de articulis & nostris in librum illum commentarijs.

Soluet autem & vlcusculorum deorsum eruptio, nisi rotunda & profunda fuerint, nēpe talia perniciosa: & maximè puerulis.

A' verbo ἐκθύειν, quod est ἐξορμᾶν, id est, erumpere, ἔκθυσιν, id est, eruptionem dixit, extensa media syllaba, perinde atque ἐξόρμησιν dixerit. Soluere autem ea ait decubitu egentes adfectus, nisi rotunda & profunda fuerint, id est, nisi maligna maximè fiant, nempe & infantibus

tibus molesta sunt, qui scilicet ferre nequeant, neque dolores, neque curationem, curatu quoque maximè difficilia existunt talia.

Soluet quoque & sanguis profluens, id quod adultioribus magis euenit.

Quòd sanguis profluens eiusmodi omnibus auxilio sit, sæpius iam didicimus. In infantibus verò de quibus disserit, per initia, neque apparet sanguis, nisi fortè rarò, atque ob id ipse adiecit: id quod adultioribus magis euenit, hoc est, qui plus adoleuerunt increueruntq;. Sed quínam adhuc adfectus infantibus per eos quos dixit abscessus, sanguinis eruptiones & vlcuscula indicentur, non admodùm planè ostendit, principium siquidem dictionis erat: Infantium tussicula cum ventris perturbatione & febre continua. Possunt autem & per ea quæ dixit symptomata, affectus, tum lateris, tum pulmonum, tum hepatis, tum ventris significari.

Lacrymæ si in acutis morbis cùm æger incommodè habuerit, sponte promanent, bonum: non sponte verò si præterfluant, malum.

De lacrymis huiusmodi dictum quidem, tum in prognostico, tum in aphorismis, sed in primo
» *epidemiorum absolutiùs, vbi inquit: Quibus in*
» *febribus & magis ardentibus lacrymæ non*
» *sponte promanant, his sanguinis eruptio à na-*
» *ribus expectanda, si non in cæteris perniciosè*

habuer

habuerint: in his verò qui incommodè habent, non «
sanguinis eruptionem, sed mortem indicant. Di- «
ctionem in illis quos in illud composuimus commentarijs, explanauimus.

Quibus circuntenditur palpebra, malū.

Eadem adfectio talem facit palpebram illi quæ in prognostico dicta est: Cutis circa frontem dura, intenta. Quòd autem in acutis morbis dictum id sit, atq; alia quæ deinceps in prognostico dicuntur, ab ipso est demonstratum, atq; cùm in hac dictione inquit: lachrymæ in acutis cùm æger incommodè habuerit, sponte promanantes, bonæ: non sponte, malæ.

Malum quoque & quod superarescit, veluti spuma.

Fieri in acutis morbis id videtur, cùm supremè sicci fuerint, cum virtutis imbecillitate, paruis admodùm lemulis, id est, sordeculis iuxta oculos incidentibus, deinde rursus superarescentibus.

Lucis quoque impedimentum, malum.

Aspectum in acutis morbis obscurari, visoriæ facultatis debilitatem extinctionemq; ostēdit.

Squalidum quoque, malum.

Erat quidem & quod veluti spumam habebat, squalidum: sed & nunc quod citra spumam sit, prauum esset declarauit.

Malum quoque, & si rugæ intus fiant.

Cùm membrana mouentibus oculum musculis superenata, ad coronam vsque extensa, tum

soluta

soluta, tum laxa fuerit, rugari intus oculos contingit. nam si forinsecus rugæ fiant, cutis adfectio ita fuerit. Quod autem debilitatis frigorisq; signum tale sit, ostendit & quod in valde senibus vsu euenit, videntur siquidem oculi eorum contrahere rugas.

Mali quoque & concreti oculi, & qui ægrè vertuntur, atque qui intrò obtorquentur.

De oculis & hæc percurrit, nempe concreti, id est, immobiles, absolutissimam ostendunt facultatis musculorum, à qua priùs cùm secundùm naturam habebant, mouebantur, cadauerationem. Qui ægrè vertuntur, ad talem affectionem propè accedunt: qui verò intrò obtorquentur, desipientiam ostendunt, vel mouentium oculos musculorum tremorem. Fiunt autem talia omnia in acutis morbis periculosis, propter principij afflictionem.

Et quæcunque talia adsunt.

Quæ nam dicat hæc adesse ex his quæ contingunt oculis, ea sanè existunt, quæ in prognostico
» *dicta sunt, hac dictione: Nam si lumen effugiāt,*
» *vel præter voluntatem illachryment, vel peruertantur, vel alter altero minor fiat, vel alba rubras, aut liuentes, aut nigras in se habuerint venulas, vel lemas circa obtutum, vel oculi instabiles, & frequenter subinde moti, vel tumescentes, vel intus caui admodùm fuerint. Priùs autem*

tem

tem & hæc in libro illo cum alijs omnibus exposuimus.

Febrium hæ quidem manui mordaces sunt, aliæ mites, aliæ non mordaces quidem, sed insurgentes: aliæ acutæ quidem, sed quæ ab ipsa manu deuincantur: aliæ confestim perurentes: aliæ semper debiles, siccæ: aliæ salsæ: aliæ pemphigodees, aspectu graues: aliæ ad manum humidæ: aliæ impensè rubræ: aliæ valde pallidæ: aliæ liuidæ, & alia istiusmodi.

Hoc rursus loco in calce orationis adiecit: & alia istiusmodi, quoniam solas ipse essatu dignas summa designauerit descriptione febrium differentias. Primas itaque scripsit, quæ ex propria febrium desumuntur substãtia. Est autem ipsarum substantia non secundùm Hippocratem modò optimosq; Medicos, verùm & secundùm communem hominum omnium intelligentiam, præter naturam caliditas, præcipuè quidem in totum extensa animal: sin minùs, omnino tamen in plurimis, vel in maximè præcipuis eueniẽs partibus, & sæpiùs quidem cutis tota nullam præter naturam caliditatem, quæ manifesta sit, habere videtur, neque nobis cùm extrinsecus tangimus, neq; ægris ipsis. Sentiunt verò eam ægri ipsi in profundo, aiuntq; sibi inuri viscera, atque præter hæc nonnulli, tum nauseabundi, tum sitibundi, tum vigiles sunt. Nunc verò febrium differentias

scrib

scribit Hippocrates, quæ à Medicis dignoscuntur, non per ea quæ ægri ipsi conspectant, sed per ea quæ Medici ipsi tum tactu tum conspectu manifestè percipiunt. Primæ autem sunt & maximè principales, & secũdum propriam essentiam, vt dixi, febris, quæ ex caliditate desumuntur: neque enim in arteriarum motione febrium est essentia. Iam enim quónam modo circa hoc à tum Erasistrato cum Chrysippo erratum sit, didicisti. Febrilis itaque caliditas, febrientium corpus tangentibus, vel acris vel mordax existit, vel mediocriter molesta: nempe quod tum suaue tum proprium calori naturali inest, nũquam habet. Quo itaque modo & alia multa quæ tum magis tum minùs inter se differunt, per ea quæ prope sunt, benedicentiùs non veriùs interpretamur: sic & de parũ molesta caliditate interdum dicimus, quòd nihil prorsus molestum habet, caliditati vehementer molestæ ipsam comparantes. Interdum itaq; caliditas videtur tum plurima tum simul summæ acrimoniæ: sæpiùs verò pauca quidem, sed à summè acri non destituta: vel rursus acrimoniæ summæ quidem, non tamen multa: atque horum quæ dixi vnumquodq; interdũ videtur modico pòst tẽpore, non prima manus iniectione: quo sanè modo & minui aliquando tibi videbũtur, primo manus iniectu visa tũ magna tum acria, iniectâ diutiùs ægrotanti manu. Et sanè interdum quidem caliditas tum squalida tum arida

vid

videtur, veluti si calidum lapidem aliquem tetigerimus sæpius vero opinione humida, atque admodùm vaporosa, ita vt vapor aliquis multus ex ægrorum corpore emergere conspicuè sentiatur: atque eorundem quomodò & prædictorum, nonnulla quidẽ statim ab initio visa permanent: aliis visa ab initio differẽtia, vel adaugetur, vel dissoluitur: alia factam alteram habent, non ab initio enatam, & quæ modo eorum quæ ab initio visa sunt, perfectè corrumpitur. Differentiæ igitur secundum ipsam febrium essentiã tales quædam existunt. De aliis autem posteà videbimus: nam priùs dictas differentias dictioni Hippocratis accommodare bonum est. Cùm itaque inquit: Febrium hæ quidem manui mordaces sunt: aliæ verò mites, quòd ipse de his agat quæ perpetuò vel mordaces vel mites apparent, ostendit: nempe inferens, inquit: aliæ autem non mordaces quidem, sed increscentes, hoc loco non visas ab initio quidem mordaces sed superiecta diutiùs manu mordacem reddentes sensum, declarans. Cõtrario his habent modo: vbi inquit: aliæ acutæ quidem, sed quæ ab ipsa manu deuincantur: nã principio visæ acutæ, paulatim exoluuntur. Acutas autem de caliditate celeriter manui respondente, & celerem suam indicante motionem, intelligas oportet: quomodò acutas quasdam appellamus ὀξείας, id est, ταχείας quod est celeres: atque acutos morbos dicimus, qui celeriter ad finem vsque sua pertrans

trans

transeunt tempora. Ad dignoscendas autem dictas differentias nihil intererit si manibus vel manui dixeris, constat siquidem mentem habenti differentias huiusmodi non oculis sed manibus sensibiles esse. Adijciunt autem homines omnes eiusmodi additamenta, natura interdum ad id adacti: quæ vim eorum quæ dicuntur simul augeant, & præsertim illis in rebus, in quibus quod quæritur, per coniecturas quasdam & signa reperire possumus, & non sensibilem efficere dignotionem. Sic itaq; Hippocrates non solùm in orationis exordio: manuum meminit, verùm quoque & cùm inquit: aliæ autẽ acutæ quidem, sed quæ ab ipsa manu deuincantur. Deinceps verò differentiam ipsarum secundum magnitudinem declarans, inquit: aliæ confestim perurentes: aliæ perpetuò debiles. Cur itaque talis tangentibus ipsis fiat opinio, vt vel multa vel pauca esse videatur caliditas, rursum videbimus. Nunc autem quod videatur, duntaxat dicere satis erit. Quo enim modo in externis si quis oculis obtectis flammam tetigerit, aut multam in ea substantiã percipit, aut paucam, nullas in qualitate sentiens differentias: sic res habet in febribus: nempe interdum dignotio caliditatis secundum qualitatem eadem illi videtur, quæ in altero quodam est corpore; quantitate tamen differre inter se videntur. Inter ea autem quæ deinceps dicuntur, febres siccæ sufficienter notæ sunt: falsæ verò, non

notæ. Non enim tactus est sensibile, sed gustatus solius quod salsum est. At obscurum magis est quod posteà est dictum, vbi inquit: aliæ verò pemphigodees, aspectu graues. Sed hoc loco variam reperimus scripturam: in plurimis siquidem exemplaribus adiectum est τὸ ἰδεῖν, id est, aspectu, verbo πεμφιγώδεες: in paucis verò cum verbo ἰδεῖν adiectum verbum δεινοί, id est, graues: vnum autem interpretem qui ita scriptum nouit reperi, Sabinum scilicet quem Metrodorus est sequutus, & quicunque ab his ad hæc vsque tempora deriuati sunt. Atqui in paucissimis exemplaribus simpliciter scriptum reperi: aliæ autem πεμφιγώδεες. cui neque τὸ ἰδεῖν, neque τὸ δεινοὶ adscriptum esset. Qui itaque: salsus: ad tactum refert, ait eas esse quæ pruritum quendam tangentibus faciunt veluti tum ex salsugine, tum ex salsis corporibus fieri consueuit. Πεμφιγώδεες item ait esse πνευματώδεις, id est, spirituosas. Nã sæpiùs effluuium aliquod aërosum per cutim febrientium emergere percipimus. Quòd si non has dicat, sed quæ cum pustulis, quas Græci Phlyctænas vocant, existunt, quandam ex necessariis differentiam prætermisit, ex prædictarum genere quas maximè in ipsa febrium essentia esse dixi. Nempe vt caliditatis species valenter mordax vel vehemens vel sicca vel squalida esse in febribus multis videtur: sic & spirituosa, manu scilicet spiritum quendam ad se latum

interd

interdum quidem vaporosum, & interdum siccum percipiente. Cæterùm cùm pemphigos nomen plura significet, fit vt alijs alius interpres designato vno solo illo quod ipse velit significato fidem verbo suo facere videatur audientibus. Satis itaque forsan erit πεμφιγώδεις febres πνευματώδεις, id est, spirituosas dici, tum quòd febres hæ ex earum sunt genere differentiarum quæ huc usque scriptæ sunt: tum quòd differentiam hanc prætermisisse videbitur, nisi quis ita intellexerit. Præterea quòd in plurimis exemplaribus adijciatur verbo πεμφιγώδεις, verbum ἰδεῖν, id est, aspectu, necesse est nobis vt grammaticam attingamus loquacitatem, quæ interdum & ipsa ad eiusmodi vtilis redditur. De orationibus itaq; quæ apud Hippocratem peruestigantur, diligentiùs alibi pertractamus. Nunc verò satis erit, vt grammaticis obsequuti, de significatis huius nominis πέμφιγος iuxta illorum constitutiones dicamus. Videtur siquidem Sophocles in Colchis ipsam pro pnœa, id est flatu dixisse. cùm inquit ἀπῆξε πέμφιξιν οὐ πέλας φέρον. id est, abduxit flatibus tributum non prope. Et idem in Salamine satyris: καὶ τάχ᾽ ἂν κεραύνια πέμφιξι βροντῆς καὶ δυσοσμίας λάβοι, id est, & confestim fulminea flatibus tonitru & fætoris occupauerit. Aeschylus autem in Prometheo vincto: ἐνθεῖαν ἑρπετὴν δὲ καὶ πρώτιστα μὲν βορεάδας ἥξεις πρὸς πνοάς. εὐλαβοῦ βρέμοντα καταιγίζοντα, μή σ᾽ ἀναρ-

πάσῃ δυσχειμέρῳ πέμφιγι ῥίψας ἄφνω, id est, recta sed reptili via quamprimùm ad Boreadas veneris flatibus: caue ne fremitus procellosus abripiat te tempestuoso spiritu torquens repentè. Videtur & pro radijs ipsis nomine πέμφιγος vsus Sophocles in Colchis per hos versus: ἐκ' ἂν ἐθαύμασα τῆδε σκοπῶν, πέμφιγα χρύσεαν ἰδών. id est, & sanè sum admiratus hàc speculans, radiũ aureum intuitus. Ita & Aeschylus: ὅπ' ἀντιαίας ὄυτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται, ὄυτ' ἀστέρος στόμα λητώας κόρης, id est, ex aduerso neque radius solis conspicitur, neque os stellæ Latoniæ puellæ. Pro Latice idem accepit in Prometheo, ἀλλὰ εὖ ᾗ, μήσε πρὸς βάλλῃ στόμα πέμφιξ. πικρὰ γοῦ, κοὐ εὐδιὰ ζωῆς ἄτμοί. id est, bene caue ne tuum attingat os latex. amarus si quidem, & non ad vitam vapor. In Pentheo quoque: μηδὲ αἵματος πέμφιγα πρὸς πέδω βάλῃς, id est, neque guttam sanguinis in solum ieceris. Videtur & pro nube posuisse Sophocles in Salamine satyris illo versu: πέμφιγα πᾶσαν ὀψιαγέλων πυρὸς, id est, nubem totam, ignis vesperi: ridentis micantísque. Et apud Hibicum, πυκινὰς πέμφιγας πιόμενοι, id est, crebros & frequentes latices bibentes. dictus est autem hic sermo ab eo iuxta quandam comparationem dictam ab his qui procella iactantur. vnde & plurimi eorum qui præsagiunt, de his quæ per imbres cadunt stillis, πέμφιγας dici aiunt. Calimachus autem ita: μὴ διὰ

πεμ

πεμφίσιν ἐνάσσοισ' ἔα, id est, ne per stillas inducentibus sine. Euphorion autem ita: εἶπε δὲ ἄνθη πέμφιγες ἐπιβύζουσι θανόντα, id est, dixit autem: flores, rores, admurmurant mortuo. Hæc itaque à πέμφιγος nomine significata iam dicta sunt. Antea autem & de duobus ex ipsis mentio facta. quoniam interpretes omnes optimi dictione vsum Hippocratem iuxta horum rationem consenserunt. Nunc verò dictis significatis possumus & aliud tertium adijcere, vt πεμφιγώδεις dici intelligamus, quæ veluti exilientium & manui respondentium scintillarum opinionem mittant, súntque tales febres compositæ ex simplicibus duabus iam prædictis, & spirituosa, & ignea. sed expositioni huic aduersabitur solum vnum, si verbo πεμφιγώδεις adiectum fuerit τὸ ἰδεῖν, id est, aspectu. Iure itaque quidam ipsum sustulerunt. Qui verò non auferunt, aut febres cum phlyctænis intellexerunt, vel quæ mentem lædunt. Quoniam verò febres cum phlyctænis ex symptomate nomen habent probabiliter Hippocratem ipsum ex accidenti ita pestilentes vocare febres intelligamus. Iam enim & hæc vna quædam febrium est species. Thucydides quoque testatur, ita scribens: Et corpus quidem externum tangenti neque valde calidum erat neque pallidum: sed subrubrum, liuidum, phlyctænis paruis atque vlceribus efflorescens. Qui febres πεμφιγώδεας dici eas aiunt quæ animam lædant, longè à

propoſita febrium differentia receſſerunt. Veteres ſiquidem nonnulli phreniticam quandam appellabant, veluti ſanè & lithargicam & peripneumonicam & pleuriticam. ſed præſentis dictionis febrium catalogus à caliditatis deſumitur differentia. In qua peſtilens febris contineri poteſt, quòd putrem habeat humorem: Phrenitica verò non poteſt, quòd neque alij, neque Hippocrates. ipſe phrenitim febris ſpeciem appellare conſueuerunt: neque ſymptomatis ratione. quomodo quæ phlyctænas parit, inter dictas differentias contineri dicta eſt, non ſecus quàm aliæ quas nuper memorauimus. Reperitur ſiquidem Phreniticorum febris, quæ caliditatem mordentem habeat, ſemper toto eo tempore æqualem, quo tactus iniicitur, vt omnium ipſarum prima dicatur. Atqui ne eorum quidem expoſitionem probamus, qui ſalſas febres dici aiunt à ſenſu ipſo qui in ægrorum ore percipitur. videtur ſiquidem Hippocrates vniuerſas continuata ſerie ad manum dignotiones dixiſſe ſecundum caliditatis differentiam, in qua genus totum eſt & febrium differentia. Nam ſi & peſtilentem dictam eſſe πεμφιγώδη conceſſerimus, appellationem quidem ſortietur ex accidenti: ſpeciem verò ipſam ex peculiari febrium eſſentia. Pari modo neque qui ſalſas dictas eſſe aiunt, quæ ſalſuginem omnibus quæ guſtat æger apparere faciunt, propoſitas in præſenti doctri-

na memorant febris differentias. Nam si inter febrium differentias has quoque posuit Hippocrates, prorsus & illas cum ipsis dixit. in quibus & saliua ipsa, & quicquid gustetur, amarum videatur. Differentia itaque eiusmodi non inter febrium differentias: sed inter succorum dignotiones collocare est melius: febres autem inter differentias caliditatis. quo etenim modo succi gustatus sensibilia existunt, ita febres tactus. Quod autem verbum δεινοὶ, *id est, graues probè apposuerit Sabinus, qui ita dictionẽ scripsit: aliæ autem pemphigodees aspectu graues: anteà quidẽ dixi, sed & nunc admonebo. nempe graues aspectu ipsas dici, apud nos quidem, si cum phlyctænis & vlceribus fiant: apud ipsos verò, cùm despuerint, & toruè respexerint. Sed de his vtrisq; quámnam oporteat mentem habere, anteà diximus. Pari errauerunt modo, qui spirituosas quidem eas dici inquiunt, neque ad tactum referunt, sed ad difficultatis spirandi speciem, in qua tum magna tum crebra fit respiratio. Est igitur maximè veri simile, vel spirituosam ad tactum existimare, vel pestilentem dici* πεμφιγώδη. *Si verò verbo* πεμφιγώδεες, *vox* δεινοὶ, *id est, graues adiecta fuerit: pestilens sola significatur. quæ ex eo ab alijs differt, quòd putrilaginosam habeat caliditatem, qualis in longißima quæ modo erat, extitit peste. Ob id neque calidi neque perusti tangentibus videbantur pestilẽti laborã-*

tes febre: quanquam interna vehementer inurerentur. vt & Thucydides inquit: Externum quidem corpus tangenti neque valde calidum erat neque pallidum: sed subrubrum, liuidum, phlyctænis paruis & vlceribus efflorescens. interna vrebantur ita vt neque valde tenues vestes, neque linteorum iniectiones, neque aliud quippiam vel nudi tolerarent. Dicta verò & πέμφιξ in Gnidijs sententijs, quas ad Euryphontem etiam medium referunt, his verbis: Mingit parum semper vritque atque superstat πέμφιξ tanquam olei viridis veluti tela aranea. Videntur itaque hi πέμφιγα appellare non totam phlyctænam: sed id solum, quod ipsam circumscribit telæ araneæ simile. Hippocrates itaque absolutis proprijssimis primísque febrium differentijs, deinceps ad eas pergit, quæ ex colore desumuntur, inquiens: aliæ autem impensè rubræ, aliæ vehementer pallidæ, aliæ liuidæ. Impensè rubras quidem dixit, non simpliciter rubras. Deinceps ab his vehementer pallidas, non pallidas. Liuidas verò simpliciter nihil intensionis significati adijciens, perinde atque liuidissimas dixerit. nempe hic color semper prauus est: ruber verò & pallidus, familiares. Colores verò ἐξέρυθροι, quod est σφοδρῶς ἐρυθροὶ, id est, impensè rubri, vehementissimam quidem indicant caliditatem: sed materiam sanguinem. veluti ἔξωχροι, id est, valde pallidi, pallidam bilem. Deiectiones verò in ipsis

consid

considera, & si cum bile inueneris, ex ipsius refusione colorem naturalem permutatum esse agnoscas: si verò absque bile, colorem in febris differentia collocabis. Febres itaque huiusmodi tabem inferunt, nisi priùs aliquando cum rigore & sudore indicatæ fuerint. Impensè rubræ inter synochos constituuntur, atque à sanguinis mißione ad animi vsque deliquium iuuantur: vt in libris methodi medendi didicisti, vbi dignotionis eiusmodi differentiarum commoditas magna declaratur, singulis earum propriam habentibus curationem. Febres verò liuidæ à colore scilicet hæ cognomen sortitæ, sanguineum succum deesse indicant, atque cum eo & natiuum calorem, atq; ob id pernitiosæ sunt: ex quibus nonnullæ & eas quæ ob euacuationem inferuntur, syncopas inferunt: de quibus in methodo medendi didicisti. Tales febres appellat Euryphon liuidas, ita scribens: liuida febris habet interdum dentium strepitus, interdum & caput dolet, dolórque habet viscera, vomunt bilem: & cùm dolor habet, cernere non possunt, propterea quòd grauentur, ventérque siccesßit, & corpus liuidum omne, labia qualia ei qui mora comedit: oculorúmque alba liuida, vidéntque quomodò qui strangulantur. Interdum verò minùs hoc patiuntur, sæpiúsque mutant colorem. In libro verò de morbis ab Hippocrate scripto, qui secundum Dioscoridem ab Hippocrate Thessali filio scriptus videtur, dictũ

est quísnam sit morbus liuidus. Principiū autem libri tale est: Mingitur multum cùm superincaluerit caput, sed de morbo liuido ita scribit: Morbum liuidum febris sicca habet, horrórque interdum, atque caput interdum dolet & viscera: bilem vomunt, atque cum dolor fatigauerit, videre non possunt, sed grauantur, ventérque arescit, color liuidus. Labia oculorúmque candida liuida: vidéntque quomodò qui suffocantur interdum, & colorem mutant, atq; ex liuido subuiridis efficitur. Quidam rursus hoc loco perperàm exposuerunt febrem liuidam, in qua liuidæ videtur deiectiones. Nempe his sequens est febrem quoque nigram appellare, in qua nigra deijciuntur, superest itaque finem dictionis explanare, quòd ipse dixerit, & alia istiusmodi id est dictis similia. Dixit autem posterius eas quæ ex colore desumuntur differentias, non quæ secundum ipsam febris substantiam existant, propiùs verò & febrium earum quæ ab accidenti aliquo fiunt, vt cùm vel intermittentes vel continuas esse dicimus: atque intermittentium aliam tertianam, aliam quotidianam, aliam quartanam. Continuarumq; hanc quidē semitertianā, aliam ardentem, aliam frigidam, aliam accensam, aliā pestilentem, aliam palustrē, aliam epialā. Praxagoras & phreniticas & lethargicas, & ictericas quasdā appellat febres inter acutarum differentias. Recentiores & synochum quandam

appellant febrem non solùm continuam, differentiásque ipsius ponunt ὁμότονον vel ἀκμαστικὸν id est æqualiter affligentem & ἐπακμαστικὸν, id est increscentem, & παρακμαστικὸν, id est decrescentem. In vtraque autem sectione communi, atque ad morbos alios, nonnullas quidē acutas febres appellamus, alias longas: atque in alia, tum benignas, tum malignas, prætereà ordinatas quasdam vel inordinatas: alias rursum circulares, alias erraticas. Veterum quidam & febres quæ in diuersis accenderentur partibus ab illis appellabant, pleuriticam quandam dicentes febrem & hepaticam & lienosam: alias à symptomate comatosas, cataphoricam, lethargicam, phreniticam, ictericā, de quibus omnibus in proprijs didicisti tractationibus. In præsenti sermone sufficienter tractata sunt quæ ad narrationem spectant. Nam præter id quòd mentem nostram aperuimus de interpretibus etiam celebribus mentionem fecimus, prætermissis cæteris omnibus qui de febrium differentijs aliquid citra commentationem explicatoriam pronuntiauerunt. Inter quos est & Archigenes de quibus in altera tractatione sermo erit.

Distentio corporis: articulorúmque durities & æger ipse dissolutus, atque articulorum confractiones, malum.

Contento distentóque relaxatum est contrarium, & duro, molle. Nam in sequētibus inquit:

Cutis

Cutis duræ mollitio, distentæ relaxatio. Distenta autem siue cutis, siue articulus, siue corpus dicatur, ad id quod secundum naturam habet ita conferentes, ita dici intelligemus: quod scilicet neque distentum, neque relaxatum, sed mediocriter habet. Quæ itaque distenduntur, hæc distenduntur, interdum quidem ob peculiarem affectionem, interdum verò cùm à quibusdam aliis trahuntur: ob peculiarem affectionem quidem, cùm vel vehemens ob frigus concreuerint, vel ob aliquam causam arefacientem inaruerint. Sunt siquidem plures, vt didicisti: tenduntur verò à continuis, nonnulla quæ vel exsiccantur, vel inflammantur vel concrescunt. Contrario modo relaxantur quædam ab eo quod secundum naturam est, diluta multa humiditate citra frigus. Quæ verò indurantur, indurantur siccescentia vel propter frigus, vel scirrhum, vel siccitatem. Nam phlegmone tumorem facit, non durum, sed ἀντίτυπον, id est, non cedentem, quomodo repleti vtres humida substantia, vel aëre. Vt enim duro simile apparet quod contrà nititur, & non cedit ob commune accidens, quoniam & durum contrà nititur: secundum tamen propriam naturam valde discrepant. Pari modo & molli corpori exolutum quandam habet similitudinem, tamen quantum ad sensibilem pertinet opinionem, non habet affectionem. Languente siquidem mouen-

te musculos facultate, corpora ægrorum iacentia tum exoluta, tum defecta videntur. Hanc itaque affectionem declarauit, inquiens: & æger ipse dissolutus. Apertè deinceps inquit: atque articulorum κατακλάσεις, id est, confractiones. Sunt qui tertiam syllabam, non per α scribant κατακλάσεις, sed per ι, κατακλίσεις, id est, decubitus. Sed quónam modo meliùs scribere oporteat, inueniemus, reuocatis ad memoriam quæ in prognostico περὶ κατακλίσεως dicta sunt in hac dictione, κεκλιμένον, id est, cubantem deprehendi à Medico ægrum oportet in latus dextrum, aut sinistrum, ac manus, & crura paulùm inflexa habentem. Attende autem hic quòd manus, cruráque paulùm inflexa habeat. Nullo etenim pacto, vel plusquam conuenit inflexa esse, prauum est vtrumque, quòd secundum naturam non sit. inquit autem Hippocrates: Nam ita quamplurimi sanorum cubant. ob id consequenter inquit: Supinum verò iacere, tum manibus, tum cruribus extentis, minus bonum. Talem verò decubitum imbecillitatem virtutis ostendere tibi demonstrauimus: atque hanc adhuc magis decubitum eum, qui deinceps dictus est his verbis: si verò procliuior fiat, atque supernè ad pedes delabatur, grauius existit. Hos itaque decubitus in præsenti dictione significauit per hæc verba: & æger ipse dissolutus. Si igitur tum manus, tum crura pa

ra parùm inflexa habere commendetur, quod vlterius existit, maiorem ostendit articulorum contorsionem. Sic enim appellauit eam in prognostico, his verbis: lethale autem & aperto ore semper dormire, cruráque supini cubantis inflexa esse, & διαπεπλεγμένα, quod significat διεστῶτα μέχρι πλείονος, id est, plurimùm dissociata, distractáque. Siue autem inflexa scripserit, siue dissociata, secundum vtrumque fractos ostendit articulos. Atque ob id meliùs est hoc loco scribere articulorum κατακλάσεις, id est, confractiones, vel distorsiones per α. Nam κατακλίσεις non admodùm bene de articulis dicuntur, cùm toti corpori tales appellationes, non articulis indere consueuerit Hippocrates.

Oculi ferocitas delirium portendit, atq; eiusdem inordinatus proiectus, peruersionésque, malum,

Ferocitas quidem delirij signum est, & maximè cùm impudens fiat, vt sæpiùs est dictum. Oculorum verò ῥίψις, id est, inordinatus proiectus, feroci aspectui contrarium est symptoma. Significat etenim eos qui non ampliùs apertis esse oculis possunt, propter imbecillitatem dispensantis palpebras facultatis. Peruersionem autem seu confractionem oculorum dicit cùm peruertantur, distorqueantúrque palpebræ, vt in prognostico percurrit, inquiens: Si intor-

ta fuerit vel liuida palpebra, vel labrum, vel nasus, malum.

COMMENTARII PRIMI, FINIS.

GALENI IN *SEXTVM EPIDEMIORVM* HIPPOCRATIS LIBRVM COMMENTARIVS SECVNDVS,

Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

DILATARE, constringere, hæc quidem oportet, illa verò non.

Curationum sunt & hi modi, contrarijs conuenientes affectibus. Dilatare siquidem oportet quæ densata sunt, densare verò quæ plus iusto dilatata sunt. Ideo & secundam syllabam verbi πυκνῶσαι, *id est,*

id est, constringere, cum accentu tenui, non aspirato legere oportet: non enim est positum in dictione τὸ ὑγρὸν, vt quis existimauerit, ab Ionibus στινὸν στινυγρὸν appellari ignorans. Sed fidem abundè facit quod apud Simonidem scriptum est, his scriptum est: Nemo in apertis atque vmbra carentibus montibus ita timuit neque leonem, neque pantheram, solus στινυγρῇ occursans viæ: vbi στινυγρῇ στινῇ, id est, strictæ angustæq; idem significat. Constringuntur autem dilatantúrque præter naturalem symmetriam, interdum quidem vasorum quorundam, vel partium sensui obiecta oscula: sæpiùs autem & ratione contemplabilia, tum in cute, tum in profundo. oportétque condensata tum aperire, tum rarefacere mediocriter calefaciendo: aperta verò cogere astringendo, & refrigerando. Absolutum verò sermonem de his habetis, vt in alijs curatorijs rationibus in methodi medendi tractatione discutiendum.

Humores hos expellere, alios siccare, alios verò imponere, huic quidem, illi verò non.

In libro etiam de humoribus absolutior de his constat sermo, veluti & in nostra methodo medendi, quòd scilicet interdum sensibiliter redundantes vacuare humores conueniat, vel vomitibus vel clysteribus, vel per expurgantia medicamenta, vel per vrinas, vel per sudores, vel per sangui

ſanguinis miſsionem, vel per hæmorrhoïdem, vel per vterum, vel per ſcarificationem. Interdum verò euaporare ſuprà poſitis extrinſecus medicamentis, quorum hoc quidem ſiccare appellauit, priùs verò expellere. Cùm commune vtrique ſit vacuare, contrarium huic tertio ſcripſit ἐνθεῖναι, id eſt, imponere, ſeu infercire, quod eſt γεννῆσαι, id eſt, generare, deficientes ſcilicet humores appellãs. Quòd autem hos per ea quæ, tum eduntur, tum bibuntur generemus, neminem latet: deligentes ſcilicet eorum, tum qualitatem, tum quantitatẽ, atque quónam modo, tum cocta, tum diſtributa, tum corporibus appoſita fuerint, curantes. Oratio hæc huic quidem, illi verò non: etiam ſi dicta non fuiſſet, nota erat. Nempe interdum quidem homine in vno partes quædam, tumefactæ vacuationem expoſtulant, aliæ verò tabe abſumptæ adiectionem.

Extenuare, incraſſare corpus totum, cutim, carnes, atque alia: hæc quidem, illa verò non.

Per τεῦχος quidem corpus totum intelligere oportet. Nempe & ipſum immoderatiùs incraſſatum extenuandum, & tenuatum incraſſandũ nobis non raro proponitur: ſæpiúſque non totum, ſed vel carnes quædam, vel cutis ſola, interdum verò & humores, quos ſignificauit adiecta oratione, atque alia. Oratio verò: hæc quidem, illa verò non, ita, vt in antè dicta

dictione exposuimus, dicta est.

Lenire item, exasperare, indurare, mollire, hæc quidem, illa verò non.

Qui communem vniuersalémque remediorum scopum ab Hippocrate didicisti, curatorias omnes quæ particulares sunt, consequi poteris rationes. Nam si contraria contrariorum sunt remedia: leniri quidem quæ præter naturam exasperata sunt expostulant, exasperari verò, quæ læuigata sunt. Exasperantur ita & fauces sæpiùs sensibiliter, atque aspera arteria, ósque, & cutis tota in tum scabiosis, tum leprosis adfectionibus: in exanthematis item nonnullis, tum miliaribus, tum quàm hæc minoribus vel maioribus. Exasperatur & venter sæpiùs, cùm per ipsum excernitur copiosus biliosus humor syncerus: id quod etiam nonnunquam ex edulijs, tum acribus, tum mordentibus efficitur. Taliumq; sanationem moliri oportet per ea quæ asperitates sanant medicamenta, quod λεῖχνα vocauit. Quæ verò contrario dictis affecta sunt modo, exasperari postulant: in cute quidem, & circa, tum capitis, tum menti pilos id accidit. Capitis quidem in alopecijs, ophiasi, & palpebrarum ex destillatione defluuijs, μυλίσεις Græci dicũt: menti verò cùm pili ipsius vel lentè, vel cum difficultate enascuntur, in quibus & ea omnia sumus experti, quæ ad alopecias conueniunt medicamenta: in cæteris verò corporis parti

partibus, in quibus caua vlcera & sinus integri, pharmaca infundimus abstergentia, partésque exasperamus, ventrémque lenta pituita repletum nonnunquam exasperatorijs detergimus medicamentis. In eodem sunt genere qui hæmorrhoïdum purgationes prouocant pessi. Præterea ficosos in palpebris tumores priùs exasperamus, atque ita extenuantibus inungimus medicamentis, id facientes vt exulceratæ eminentiæ medicamentorum virtutem in profundum suscipiant. Scitis me in his vsum aspera ceti marini cute, sepiæ testa, & pumice: atq; cùm hæc non adessent, cyathulo ipso ocularia melæ, cuius extremum angustum, non latum esset. Præterea cùm vlcera capitis manantia, & faui similitudine appellata ceria, myrmeciásque, atque alia huiuscemodi medicamentis liquefacere volumus, antè exasperamus, vel vnguibus nostris mediocriter, vel linteo asperiore, vel aliquo ex prædictis, atque ita suprà imponimus ipsis medicamenta. Indurare, mollire, vtimur quoque & his: sæpiùs quidem in toto corpore, sed interdum vna in parte. Induramus siquidem eos, qui & tumefactum & humescentem habent totum corporis habitum, priùs linteis confricantes, duráque vsi fricatione, atque in puluere exercentes. Eos verò qui hæc non ferunt, medicamentis quæ desiccant ad id formatis constitutísque: Lauacri abstinentia item, & dictis fricationibus, pro virtute

ſcilicet & paulatim horum vſi adauctionibus. Partem autem vnam interdum ita affectam, iuxta rationem eorum quæ dicta ſunt, curamus. In artubus autem continuè id fieri maximè videtur. Præterea vlcerum omnium cùm carne impleta fuerint, cicatricem ita facimus: quæ enim obduratur caro in cutem tranſit, fitq́; cicatrix. Rurſus per contraria molliuntur, quæ callum acceperunt, phlegmonæq́; in ſcirrhum conuerſæ: hoc modo & lienis induratus ſanatur, cutiſque quæ incraſſatur in eo affectu, quem elephanta vocant: cicatricéſque duriores quàm oportet mollibus, veluti valde molles induramus.

Excitare item & ſtupefacere.

Quòd ſenſus quidem motionéſq; eorum quibus exoluta hæc ſunt, excitare non paruum præſtet Medicis vſum, nemo ignorat. Stupefacere verò in ſolis vehementiſſimis doloribus interdum vtile eſt, cùm ſcilicet ex opio & mandragora & hyoſcyamo medicamenta porrigimus. Nam ipſe inquit: ſtupor autem mediocris dolorem ſoluit. Si quis enim vehementioribus, vel pluribus vſus fuerit ſtupefactorijs medicamentis, corpora, tum refrigerantur, tum mortificantur.

Atque alia quæcunque huiuſmodi.

Quæ ſecundùm ſimilem prædictis fiunt contrarietatem dicit, vel calefacientia, vel refrigerantia, vel humectantia, vel ſiccantia, vel quæ quod decidit, reponunt, vel quæ quod toto genere

præte

præter corporis naturam existit, excidunt, vel quod distortum est, dirigunt, vel obstructum recludunt, vel etiam alia quæcunque in curatoria methodo dicta sunt, communem habentia omnia scopum, contrariorum scilicet in affectibus adhibitionem.

Deriuare.

Modos curationum in humoribus hoc loco docere incipit: qui quanquam absolutiùs in libro de humoribus scripti sint, nunc tamen & memoriæ gratia dicentur. παροχέτευσιν, *id est, deriuationem quidem nominare cõsueuit Hippocrates, cùm humor aliquis vacuari postulans non quo loci ferri oportet, cœperit: neque item valde longè à conueniente, neque in maximè contrarium locum: verùm vt si per vrinas vacuari cœperit, afflictis, vel vesica, vel renibus, tunc deriuare per ventrem est melius: vt si & per ventrem delationis impetum acceperit, malè habentibus intestinis viceuersa in his humorem vacuari postulantem ad vrinas ferri procurabimus: mulieribus quoque interdum per vuluam, vel contrario modo cùm fluxio ad vuluam fuerit, ad vrinas & ventrem deriuabimus. Si verò in aliqua talium euacuationum vomitum prouocauerimus,* ἀντίσπασιν, *id est, reuulsionem id appellat: veluti si ei vomitus retraxerimus in vuluam & vesicam, vel sedem prouocantes.*

Obedientia confestim reuellere, ma-

lè cedentia euincere.

Verbo παροχετεύειν, id est, deriuare consequenter est illatum ἀντισπᾶν, id est, reuellere: quoniam ita edocet quónam quis modo optimè reuulsionem facere debeat. Hippocrates autem vbi reuellere pertransijt, confestim accessit ad id quod maximè commodum his existit, qui probè humores sunt retracturi, qui ad partem aliquam impetum fecerunt. Non enim perpetuò reuulsorijs est insistendum medicamentis, sed tempus aliquod tanquam reuellentium feriam inserere oportet: vt qui priùs in parte adfecta constabilitus fuerit, vacuari sinamus humorem. Nempe si in ea parte permanserit, bifariàm molestus erit, nempe & quòd copia distendet, & quòd qualitate contristabit: quòd si eos vacuari humores qui ad partem sunt priùs illati, permiseris, partem vindicabis à dolore, faciliúsque aliquid per reuellentia remedia assequeris, parte non ampliùs humores ad se vi doloris proritante, ad inclinationem quam ab initio non rectè fecerant.

Humorem alium non prodeuntem educere conuenit, prodeuntem simul effundere, operari simile, vt dolor dolorem sedat: dissimilia sublimè lata deorsum soluere, atque ad contrarios locos, vt capitis purgatio, venæ sectio est, quando non temerè affertur.

Quòd humor alius non procedens educendus sit,

ſit, ex his conſtat, quæ tum in aphoriſmis, tum in libro de ſuccis didicimus. Nam ſi contriſtans excernatur, mediocríſque ſit vacuatio, nihil curioſè agens Medicus expectet, quomodo ſi non mediocriter fiat, quippiam moliatur, interdum quidem copiam retinendo, interdum & quod vacuationi deeſt excitando, quod ipſe nominauit, cùm dixit: prodeuntem συνεκχυμοῦν, id eſt, coeffundere, ἐκχυμώσεις ſiquidem eas quæ in vaſis fiunt effuſiones & vacuationes vocare conſueuit. Verbum verò ἐργάσασθαι, id eſt, operari, dictum eſſe conſtat pro μεταλλάττειν, id eſt, mutare, vel μιγνῦναι, id eſt, miſcere. Atqui incertum vtrum cum prædicto ordinandum ſit, an ei quod deinceps dictum eſt adiungendum. Nempe vtrolibet modo dici non propriè videtur: atque ob id nonnulli tanquàm ſequens prædictis illis cõiunxerunt, deinde altero principio dixerunt, ſimile: vt dolor dolorem ſedat. Alij verò principium ſequentium fecerunt: operari ſimile. Sed quoniam, vt dixi, dictum modo vtroque, neutrolibet eſt probabile, multi ad mutationem ipſius ſunt progreſſi: veluti & aliorum quæcunque in nomine vno obſcuritatem habent. Nonnulli itaque primam ſyllabam per ο, ſecundam verò per γ, & ι, ſcribunt ὀργίσασθαι, alij verò primam quidem per ε, & ρ, ſecundam verò per γ, & α, ἐργάσασθαι τὸ ὅμοιον, id eſt, operari ſimile. Deinde autẽ in parte exempli dictũ eſſe:

vt dolor dolorem ſedat. Scriptum etenim hoc in exemplaribus multis, ſed rectè in exemplaribus Dioſcoridæ ſcriptum non eſt. Videtur ſiquidem ab aliquo tanquàm adſcriptum expoſitioni: ſed rurſus à bibliographo tranſpoſitum in dictionis contextum, quod verò per ο, prima ſyllaba, per γ, & ι, ſecunda ſcribitur ὀργίσασθαι, id eſt, iraſci, extimularíque, valde affectatum eſt; & longè ab Hippocratis interpretatione recedens, ſiue de nobis ipſis, ſiue de partibus quæ curantur, dicatur, ſiue de humoribus. Nam per verbum ὀργίσασθαι ſignificari putant tanquàm ad iram humorem ipſum incitare, & ad excretionem proritare. Sed hæc quidem contemptibilia exiſtunt, & parua, veluti & omnia quæ de dictione explanantur, ſi rerum veritas ſeruetur. Quòd ſi illa moueantur, tales vitare oportet ſcripturas, quomodò & impræſentiarum ſcripturas expoſitorum omnium, qui ſanationes aliquas interdum per ſimilia fieri, & non perpetuò per contraria haudquaquam improbant. Quòd Hippocrates ipſe nonnullos exiſtimaſſe ſuſpicatus ſit, vno exemplo errorem ipſorum demonſtrauit in aphoriſmis ſcribens: Eſt autem vbi in diſtentione citra vlceratione͂, iuueni bene carnoſo, æſtate media, frigidæ aquæ multa perfuſio caloris reuocationem facit: calor autem hæc ſoluit. Nempe frigidum exiſtentem affectum tetanum, ſimili auxilio ſolui quis arbitrabitur, frigidam ipſi perfundens aquam, ſed hoc

hoc non ita habet: nempe calorem reuocando auxiliatur, ita vt si non reuocauerit, summè lædat. Vt autem auxilium hoc quod frigidum videtur, tetanum frigidum affectum calefaciendo interdum iuuat. sic calefacientia alia per accidens refrigerant, caliditatem igneam discutientia & euaporantia. De his sanè in tota methodi medendi tractatione scriptum est à me, vbi per contraria affectibus auxilia curationem perpetuò fieri demonstraui. Qui verò dolorem minorē per maiorem curari putant, maximum quippiam perperàm vident. Non enim dolor curationem operatur doloris, sed affectus dolorem procreantis remedium quod cum dolore est. Nempe quòd symptomatis nullius curatio primùm fiat, sed perpetuò affectus symptoma ipsum facientis, didicisti. Si verò quis nunquam quidem primùm sed interdum per accidens similia similium sanatoria esse dixerit, per media primùm contraria, & verum dicit, & scientificè hoc constat, tum per sanatoriam tractationem, tum etiam per eos qui in aphorismos confecti sunt commentarios. Quòd autem quidam inusta coxæ vertebra in Ischiadicis dolorem dolore sanari dicant, id manifestam habet absurditatem. Non enim per dolorem curatus est affectus: sed per inustionem, in qua dolor fortè fortuna contigit. Frangens verò membrum vel secans, vel quouis aliter modo ad dolorem perducens, nequaquam sanauerit. Atqui si dolor re-

medij causa esset, perpetuò Ischiadas curasset. Eodem pariter modo in dentium dolore, dolentem dentem vbi quis sustulerit, hominem absque dolore fecit, sublato non ob concitatum dolorem dente: sed propter ablationem cum qua simul dolor cœpit. Nam si & absque dolore trahi potuisset, pari modo æger & absque dolore fuisset, quo modo & citra extractionem si frangens quis ipsum vel dimouens quis dolorem concitauerit: vt dolorem quidem vehementiorem fecit, sic & nihil attulit iuuamenti. Quòd igitur modo vtroque dolor dolẽtibus, quantum in se est, inutilis existat, neminem latere puto. Nempe *per anodyna remedia dolentes partes multæ curantur: atq; in alijs sæpiùs magni dolores qui per forinsecus adhibita fiunt, quietem nullam ob affectionem aliquam dolentibus inferunt. Vnum siquidem est sanans quod prorsus affectum quouis modo extirpauerit, siue citra dolorem, siue cum dolore. Ratione eadem dolor dolorem sedare non est natus, quin potiùs contrà, prorsus exacerbare. Hoc itaq; exemplum conspicuè est adulterinum. Ad aliud autem eorum quæ dixerunt, pergentes, prauitatem ipsius contemplabimur. Nempe aiunt vomitum vomitu sæpiùs curari, mordentésq; deiectiones clystere. Est autem & hoc in loco sanatio vna, affectum scilicet prorsus extirpare: in quo vel nauseabundi existunt, vel continuè morsi consurgunt. Fit autem hoc bifariàm, vt cõstat.*

Vno

Vno quidem modo vacuantibus nobis humores, qui tum nauseam, tum morsum intestinorum faciunt: altero verò modo, tum coquentibus, tũ permutantibus in qualitatem commodam, vel cõtemperantibus. In his autem & sanationem à contrarijs fieri est demonstratum. Nam humorem, tum alienum, tum præter naturam vacuare, & ipsum tenere inter se contraria existunt: atq; ea quæ in qualitate est mutatio per contrariam efficitur qualitatem: sed impræsentiarum perquirere non oportet, cùm per totam curandi methodum sanationem per contraria perpetuò fieri sit demonstratum. Sed quoniam sæpiùs rationibus, tum empiricis, tum methodicis adducti quidam calumnijs premere ipsum conantur, similes nuper dictis adferentes rationes, forsan satiùs est vt absoluta præsenti enarratione librum componamus, in quo contraria contrariorum remedia sola primùm & per se esse demonstrabitur. Nempe per accidens caluus Medicus caluum ægrum, similis similem sanare potest: & qui acuminato est capite acuminatum habentem caput, & claudus claudum. Liber autem componendus inscribetur: Quòd bene ab Hippocrate dictum sit, contraria contrariorum remedia esse. Nunc rursus peruenimus ad propositæ dictionis explanationem, in qua primam syllabam per ι, & ρ, antiquis in exemplaribus scriptã esse dixi, & quamuetustißimi expositores in hunc norunt modum.

Obser

decumbere senserimus, ex venis cubiti sanguinem auferemus, aut per vomitum purgabimus: non quomodo quidam putant nullo pacto sursum reuellendum esse, & si ad inferiores partes irruentibus humoribus magnus quidam futurus in ipsis sit affectus. Possumus & ἄνωθεν ἀρθέντα intelligere vt de humoribus sursum irruentibus dictum sit, vt verbum ἀρθέντα proprius dictum sit. Intelligentia verò eadem & nunc manet. Nempe humores ἄνω αἰρομένους, id est, μετεωριζομένους, id est, quod est sublime petentes, deorsum reuellere oportet, quod non probè ruant: contrarios verò contrario modo, vt si in caput repant, per deiectorium medicamentum & sectionem in cubito venæ retrahimus. Nempe vtraque deorsum, tum vacuant, tum reuellunt. Verisimile est autem & contrarios locos ita dictos esse ab eo in tali quodam sensu: morbos, tum sursum latos, tum inibi genitos, deorsum quidem statim ab initio retrahere conuenit, & ad contraria his deinceps agere: quod est localiter vacuare, vt in capite. Dolentem enim parte capitis posteriore, secta in fronte è directo vena iuuat, topicum existens remedium.

Abscessus veluti bubones, signa quidem sunt germina habentium, tum aliorum, tum præcipuè viscerum. Maligni autem sunt hi.

HIC COMMENTA- RIVS GALENI DESI- DERATVR.

Spiritus parui crebri, magni rari, parui rari, crebri magni: extrà magnus, intrà par uus, intrà magnus extrà paruus: hic quidèm tardans, ille verò festinans: duplex intrò reuocatio veluti super inspirantibus, calidus item frigidus.

HAEC EXPOSITIO EX primo de spirandi difficultate.

Difficultatum spirandi diuisionem integrè hoc loco scripsit Hippocrates, & quæ secundum magnitudinem paruitatémque, & quæ secũdum densitatem & raritatem existunt: nempe oppositiones duas manifestè connectit, tum eam qua magnitudo paruitati aduersatur, tum eam qua frequentiæ raritas: facitq; primùm quatuor diffi cultatum spirandi coniugia: vnum quidem quo minor frequentiórque naturali est respiratio: alterum quoties maior rariórque: mox tertium quo minor & rarior: quartum quo maior & densior. Primæ autem illæ difficilis respirationis differentiæ, totius sunt respirationis, quæ ex duabus conflatur partibus, expiratione scilicet & inspiratione, & neutrius partis. In aliis autẽ duabus differentiis quæ consequuntur, vbi inquit: extrà magnus intrò paruus, intrò magnus, extrà paruus, partes duæ respirationis cõparãtur inspiratio

&

id est, constringere, cum accentu tenui, non aspirato legere oportet: non enim est positum in dictione τὸ ὑγρὸν, vt quis existimauerit, ab Ionibus στεινὸν στεινυγρὸν appellari ignorans. Sed fidem abundè facit quod apud Simonidem scriptum est, his scriptum est: Nemo in apertis atque vmbra carentibus montibus ita timuit neque leonem, neque pantheram, solus στεινυγρῇ occursans viæ: vbi στεινυγρῇ στεινῇ, id est, strictæ angustæq; idem significat. Constringuntur autem dilatantúrque præter naturalem symmetriam, interdum quidem vasorum quorundam, vel partium sensui obiecta oscula: sæpiùs autem & ratione contemplabilia, tum in cute, tum in profundo. oportétque condensata tum aperire, tum rarefacere mediocriter calefaciendo: aperta verò cogere astringendo, & refrigerando. Absolutum verò sermonem de his habeis, vt in alijs curatorijs rationibus in methodi medendi tractatione discutiendum.

Humores hos expellere, alios siccare, alios verò imponere, huic quidem, illi verò non.

In libro etiam de humoribus absolutior de his constat sermo, veluti & in nostra methodo medendi, quòd scilicet interdum sensibiliter redundantes vacuare humores conueniat, vel vomitibus vel clysteribus, vel per expurgantia medicamenta, vel per vrinas, vel per sudores, vel per

sangui

ſanguinis miſsionem, vel per hæmorrhoïdem, vel per vterum, vel per ſcarificationem. Interdum verò euaporare ſuprà poſitis extrinſecus medicamentis, quorum hoc quidem ſiccare appellauit, priùs verò expellere. Cùm commune vtrique ſit vacuare, contrarium huic tertio ſcripſit ἐνθεῖναι, id eſt, imponere, ſeu infercire, quod eſt γεννῆσαι, id eſt, generare, deficientes ſcilicet humores appellãs. Quòd autem hos per ea quæ, tum eduntur, tum bibuntur generemus, neminem latet: deligentes ſcilicet eorum, tum qualitatem, tum quantitatẽ, atque quónam modo, tum cocta, tum diſtributa, tum corporibus appoſita fuerint, curantes. Oratio hæc huic quidem, illi verò non: etiam ſi dicta non fuiſſet, nota erat. Nempe interdum quidem homine in vno partes quædam, tumefactæ vacuationem expoſtulant, aliæ verò tabe abſumptæ adiectionem.

Extenuare, incraſſare corpus totum, cutim, carnes, atque alia: hæc quidem, illa verò non.

Per τεῦχος quidem corpus totum intelligere oportet. Nempe & ipſum immoderatiùs incraſſatum extenuandum, & tenuatum incraſſandũ nobis non rarò proponitur: ſæpiúſque non totum, ſed vel carnes quædam, vel cutis ſola, interdum verò & humores, quos ſignificauit adiecta oratione, atque alia. Oratio verò: hæc quidem, illa verò non, ita, vt in antè dicta

K

dictione exposuimus, dicta est.

Lenire item, exasperare, indurare, mollire, hæc quidem, illa verò non.

Qui communem vniuersalémque remediorum scopum ab Hippocrate didicisti, curatorias omnes quæ particulares sunt, consequi poteris rationes. Nam si contraria contrariorum sunt remedia: leniri quidem quæ præter naturam exasperata sunt expostulant, exasperari verò, quæ læuigata sunt. Exasperantur ita & fauces sæpiùs sensibiliter, atque aspera arteria, ósque, & cutis tota in tum scabiosis, tum leprosis adfectionibus: in exanthematis item nonnullis, tum miliaribus, tũ quàm hæc minoribus vel maioribus. Exasperatur & venter sæpiùs, cùm per ipsum excernitur copiosius biliosus humor syncerus: id quod etiam nonnunquam ex edulijs, tum acribus, tum mordentibus efficitur. Taliumq; sanationem moliri oportet per ea quæ asperitates sanant medicamẽta, quod λεῖχμα vocauit. Quæ verò contrario dictis affecta sunt modo, exasperari postulant: in cute quidem, & circa tum capitis, tum menti pilos id accidit. Capitis quidem in alopecijs, ophiasi, & palpebrarum ex destillatione defluuijs, μυδήσεις Græci dicũt: menti verò cùm pili ipsius vel lentè, vel cum difficultate enascuntur, in quibus & ea omnia sumus experti, quæ ad alopecias conueniunt medicamenta: in cæteris verò corporis

parti

partibus, in quibus caua vlcera & sinus integri, pharmaca infundimus abstergentia, partésque exasperamus, ventrémque lenta pituita repletum nonnunquam exasperatorijs detergimus medicamentis. In eodem sunt genere qui hæmorrhoïdum purgationes prouocant pessi. Præterea ficosos in palpebris tumores prius exasperamus, atque ita extenuantibus inungimus medicamentis, id facientes vt exulceratæ eminentiæ medicamentorum virtutem in profundum suscipiant. Scitis me in his vsum aspera ceti marini cute, sepiæ testa, & pumice: atq; cùm hæc non adessent, cyathulo ipso oculariæ melæ, cuius extremum angustum, non latum esset. Præterea cùm vlcera capitis manantia, & faui similitudine appellata ceria, myrmeciásque, atque alia huiuscemodi medicamentis liquefacere volumus, antè exasperamus, vel vnguibus nostris mediocriter, vel linteo asperiore, vel aliquo ex prædictis, atque ita suprà imponimus ipsis medicamenta. Indurare, mollire, vtimur quoque & his: sæpiùs quidem in toto corpore, sed interdum vna in parte. Induramus siquidem eos, qui & tumefactum & humescentem habent totum corporis habitum, priùs linteis confricantes, duráque vsi fricatione, atque in puluere exercentes. Eos verò qui hæc non ferunt, medicamentis quæ desiccant ad id formatis constitutísque: Lauacri abstinentia item, & dictis fricationibus, pro virtute

ſcilicet & paulatim horum vſi adauctionibus. Partem autem vnam interdum ita affectam, iuxta rationem eorùm quæ dicta ſunt, curamus. In artubus autem continuè id fieri maximè videtur. Præterea vlcerum omnium cùm carne impleta fuerint, cicatricem ita facimus: quæ enim obduratur caro in cutem tranſit, fitq́; cicatrix. Rurſus per contraria molliuntur, quæ callum acceperunt, phlegmonæq́; in ſcirrhum conuerſæ: hoc modo & lienis induratus ſanatur, cutíſque quæ incraſſatur in eo affectu, quem elephanta vocant: cicatricéſque duriores quàm oportet mollibus, veluti valde molles induramus.

Excitare item & ſtupefacere.

Quòd ſenſus quidem motionéſq; eorum quibus exoluta hæc ſunt, excitare non paruum præſtet Medicis vſum, nemo ignorat. Stupefacere verò in ſolis vehementiſsimis doloribus interdum vtile eſt, cùm ſcilicet ex opio & mandragora & hyoſcyamo medicamenta porrigimus. Nam ipſe inquit: ſtupor autem mediocris dolorem ſoluit. Si quis enim vehementioribus, vel pluribus vſus fuerit ſtupefactorijs medicamentis, corpora, tum refrigerantur, tum mortificantur.

Atque alia quæcunque huiuſmodi.

Quæ ſecundùm ſimilem prædictis fiunt contrarietatem dicit, vel calefacientia, vel refrigerantia, vel humectantia, vel ſiccantia, vel quæ quod decidit, reponunt, vel quæ quod toto genere

præte

præter corporis naturam existit, excidunt, vel quod distortum est, dirigunt, vel obstructum recludunt, vel etiam alia quæcunque in curatoria methodo dicta sunt, communem habentia omnia scopum, contrariorum scilicet in affectibus adhibitionem.

Deriuare.

Modos curationum in humoribus hoc loco docere incipit: qui quanquam absolutiùs in libro de humoribus scripti sint, nunc tamen & memoriæ gratia dicentur. παροχετεύσιν, *id est, deriuationem quidem nominare cōsueuit Hippocrates, cùm humor aliquis vacuari postulans non quo loci ferri oportet, cœperit: neque item valde longè à conueniente, neque in maximè contrarium locum: verum vt si per vrinas vacuari cœperit, afflictis, vel vesica, vel renibus, tunc deriuare per ventrem est melius: vt si & per ventrem delationis impetum acceperit, malè habentibus intestinis viceuersa in his humorem vacuari postulantem ad vrinas ferri procurabimus: mulieribus quoque interdum per vuluam, vel contrario modo cùm fluxio ad vuluam fuerit, ad vrinas & ventrem deriuabimus. Si verò in aliqua talium euacuationum vomitum prouocauerimus,* ἀντίσπασιν, *id est, reuulsionem id appellat: veluti si ei vomitus retraxerimus in vuluam & vesicam, vel sedem prouocantes.*

Obedientia confestim reuellere, ma-

lè cedentia euincere.

Verbo παροχετεύειν, id est, deriuare consequenter est illatum ἀντισπᾶν, id est, reuellere: quoniam ita edocet quónam quis modo optimè reuulsionem facere debeat. Hippocrates autem vbi reuellere pertransijt, confestim accessit ad id quod maximè commodum his existit, qui probè humores sunt retracturi, qui ad partem aliquam impetum fecerunt. Non enim perpetuò reuulsorijs est insistendum medicamentis, sed tempus aliquod tanquam reuellentium feriam inserere oportet: vt qui priùs in parte adfecta constabilitus fuerit, vacuari sinamus humorem. Nempe si in ea parte permanserit, bifariàm molestus erit, nempe & quòd copia distendet, & quòd qualitate contristabit: quòd si eos vacuari humores qui ad partem sunt priùs illati, permiseris, partem vindicabis à dolore, faciliúsque aliquid per reuellentia remedia assequeris, parte non ampliùs humores ad se vi doloris proritànte, ad inclinationem quam ab initio non rectè fecerant.

Humorem alium non prodeuntem educere conuenit, prodeuntem simul effundere, operari simile, vt dolor dolorem sedat: dissimilia sublimè lata deorsum soluere, atque ad contrarios locos, vt capitis purgatio, venæ sectio est, quando non temerè affertur.

Quòd humor alius non procedens educendus sit,

ſit, ex his conſtat, quæ tum in aphoriſmis, tum in libro de ſuccis didicimus. Nam ſi contriſtans excernatur, mediocríſque ſit vacuatio, nihil curioſè agens Medicus expectet, quomodo ſi non mediocriter fiat, quippiam moliatur, interdum quidem copiam retinendo, interdum & quod vacuationi deeſt excitando, quod ipſe nominauit, cùm dixit: prodeuntem συγκυμοῦν, id eſt, coeffundere, ἐκχυμώσεις ſiquidem eas quæ in vaſis fiunt effuſiones & vacuationes vocare conſueuit. Verbum verò ἐργάσασθαι, id eſt, operari, dictum eſſe conſtat pro μεταλλάττειν, id eſt, mutare, vel μιγνῦναι, id eſt, miſcere. Atqui incertum vtrum cum prædicto ordinandum ſit, an ei quod deinceps dictum eſt adiungendum. Nempe vtrolibet modo dici non propriè videtur: atque ob id nonnulli tanquàm ſequens prædictis illis cōiunxerunt, deinde altero principio dixerunt, ſimile: vt dolor dolorem ſedat. Alij verò principium ſequentium fecerunt: operari ſimile. Sed quoniam, vt dixi, dictum modo vtroque, neutrolibet eſt probabile, multi ad mutationem ipſius ſunt progreſſi: veluti & aliorum quæcunque in nomine vno obſcuritatem habent. Nonnulli itaque primam ſyllabam per ο, ſecundam verò per γ, & ι, ſcribunt ὀργίσασθαι, alij verò primam quidem per ε, & ρ, ſecundam verò per γ, & α, ἐργάσασθαι τὸ ὅμοιον, id eſt, operari ſimile. Deinde autē in parte exempli dictū eſſe:

vt dolor dolorem sedat. Scriptum etenim hoc in exemplaribus multis, sed rectè in exemplaribus Dioscoridæ scriptum non est. Videtur siquidem ab aliquo tanquàm adscriptum expositioni: sed rursus à bibliographo transpositum in dictionis contextum, quod verò per o, prima syllaba, per γ, & ι, secunda scribitur ὀργίσασθαι, id est, irasci, extimularíque, valde affectatum est; & longè ab Hippocratis interpretatione recedens, siue de nobis ipsis, siue de partibus quæ curantur, dicatur, siue de humoribus. Nam per verbum ὀργίσασθαι significari putant tanquàm ad iram humorem ipsum incitare, & ad excretionem proritare. Sed hæc quidem contemptibilia existunt, & parua, veluti & omnia quæ de dictione explanantur, si rerum veritas seruetur. Quòd si illa moueantur, tales vitare oportet scripturas, quomodò & impræsentiarum scripturas expositorum omnium, qui sanationes aliquas interdum per similia fieri, & non perpetuò per contraria haudquaquam improbant. Quòd Hippocrates ipse nonnullos existimasse suspicatus sit, vno exemplo errorem ipsorum demonstrauit in aphorismis scribens: Est autem vbi in distentione citra vlceratione͂, iuueni bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio caloris reuocationem facit: calor autem hæc soluit. Nempe frigidum existentem affectum tetanum, simili auxilio solui quis arbitrabitur, frigidam ipsi perfundens aquam, sed

hoc

hoc non ita habet: nempe calorem reuocando auxiliatur, ita vt si non reuocauerit, summè lædat. Vt autem auxilium hoc quod frigidum videtur, tetanum frigidum affectum calefaciendo interdum iuuat. sic calefacientia alia per accidens refrigerant, caliditatem igneam discutientia & euaporantia. De his sanè in tota methodi medendi tractatione scriptum est à me, vbi per contraria affectibus auxilia curationem perpetuò fieri demonstraui. Qui verò dolorem minorē per maiorem curari putant, maximum quippiam perperàm vident. Non enim dolor curationem operatur doloris, sed affectus dolorem procreantis remedium quod cum dolore est. Nempe quòd symptomatis nullius curatio primùm fiat, sed perpetuò affectus symptoma ipsum facientis, didicisti. Si verò quis nunquam quidem primùm sed interdum per accidens similia similium sanatoria esse dixerit, per media primùm contraria, & verum dicit, & scientificè hoc constat, tum per sanatoriam tractationem, tum etiam per eos qui in aphorismos confecti sunt commentarios. Quòd autem quidam inusta coxæ vertebra in Ischiadicis dolorem dolore sanari dicant, id manifestam habet absurditatem. Non enim per dolorem curatus est affectus: sed per inustionem, in qua dolor fortè fortuna contigit. Frangens verò membrum vel secans, vel quouis aliter modo ad dolorem perducens, nequaquam sanauerit. Atqui si dolor re-

medij causa esset, perpetuò Ischiadas curasset. Eodem pariter modo in dentium dolore, dolentem dentem vbi quis sustulerit, hominem absque dolore fecit, sublato non ob concitatum dolorem dente: sed propter ablationem cum qua simul dolor cœpit. Nam si & absque dolore trahi potuisset, pari modo æger & absque dolore fuisset, quo modo & citra extractionem si frangens quis ipsum vel dimouens quis dolorem concitauerit: vt dolorem quidem vehementiorem fecit, sic & nihil attulit iuuamenti. Quòd igitur modo vtroque dolor dolẽtibus, quantum in se est, inutilis existat, neminem latere puto. Nempe per anodyna remedia dolentes partes multæ curantur: atq; in alijs sæpiùs magni dolores qui per forinsecus adhibita fiunt, quietem nullam ob affectionem aliquam dolentibus inferunt. Vnum siquidem est sanans quod prorsus affectum quouis modo extirpauerit, siue citra dolorem, siue cum dolore. Ratione eadem dolor dolorem sedare non est natus, quin potiùs contrà, prorsus exacerbare. Hoc itaq; exemplum conspicuè est adulterinum. Ad aliud autem eorum quæ dixerunt, pergentes, prauitatem ipsius contemplabimur. Nempe aiunt vomitum vomitu sæpiùs curari, mordentésq; deiectiones clystere. Est autem & hoc in loco sanatio vna, affectum scilicet prorsus extirpare: in quo vel nauseabundi existunt, vel continuè mor si consurgunt. Fit autem hoc bifariàm, vt cõstat.

Vno

Vno quidem modo vacuantibus nobis humores, qui tum nauseam, tum morsum intestinorum faciunt: altero verò modo, tum coquentibus, tū permutantibus in qualitatem commodam, vel cōtemperantibus. In his autem & sanationem à contrarijs fieri est demonstratum. Nam humorem, tum alienum, tum præter naturam vacuare, & ipsum tenere inter se contraria existunt: atq; ea quæ in qualitate est mutatio per contrariam efficitur qualitatem: sed impræsentiarum perquirere non oportet, cùm per totam curandi methodum sanationem per contraria perpetuò fieri sit demonstratum. Sed quoniam sæpiùs rationibus, tum empiricis, tum methodicis adducti quidam calumnijs premere ipsum conantur, similes nuper dictis adferentes rationes, forsan satiùs est vt absoluta præsenti enarratione librum componamus, in quo contraria contrariorum remedia sola primùm & per se esse demonstrabitur. Nempe per accidens caluus Medicus caluum ægrum, similis similem sanare potest: & qui acuminato est capite acuminatum habentem caput, & claudus claudum. Liber autem componendus inscribetur: Quòd bene ab Hippocrate dictum sit, contraria contrariorum remedia esse. Nunc rursus peruenimus ad propositæ dictionis explanationem, in qua primam syllabam per ι, & ε, anti quis in exemplaribus scriptā esse dixi, & quam vetustissimi expositores in hunc norunt modum.

Obser

Obseruauit eam Dioscorides, quanquam antiquas scripturas multas permutauerit. Scripsit itaque, sibi tanquam in commentario Hippocrates, vt alias multas, tum coniecturaliter, tum breuiter, sic & orationem ἐργάσασθαι τὸ ὅμοιον, id est, operari simile. Præfatus siquidem, quòd interdum meliùs sit his quæ vacuantur opitulari, intulit ἐργάσασθαι τὸ ὅμοιον, id est, ἀναμίξαι, id est, humori qui probè vacuatur permiscere simile: licet & quod ab ipso infertur, dissimilia, sensu eodem explicare. Nempe & dissimiles humores cum his qui probè vacuātur effundere conuenit. Quòd si ἐργάσασθαι quis accipere voluerit pro μεταβάλλειν, id est, permutare & ἀλλοιῶσαι, id est, alterare, & πέψαι, id est, coquere, ita quoque & medicinalem sensum habuerit dictio. Nam si probè quis excernatur humor, eos qui vacuatione indigent conuenit συνεκχυμῶσαι, id est, ὁμοιῶσαι, id est, assimilare & συνεκκρῖναι, id est, simul excernere, siue similitudinem aliquam ad ipsum habuerint, siue dissimilitudinem. Potest & Hippocrates orationem diuisisse, ita vt operari simile, prioris finem fecerit, posterioris verò principiū huiuscemodi fecisse: dissimilia sublime lata deorsum soluere, vt sensus talis sit: dissimiles partibus in totum humores sursum quidem latos soluere: si verò deorsum repant, sursum reuellere, intelligentibus nobis dissimilia dicta esse quæ locis propria non sunt. Eandem faciemus expositionem, & secund

cundùm scripturam aliam, in qua prima syllaba per ο, & ϱ, scripta est. Nēpe ὀργίσασθαι τὸ ὅμοιον indicare dicimus, oportere vnumquemque ex nobis humores qui effunduntur similes his qui vacuantur reddere. Pari modo & dißimiles, similes faciendi. Potest forsan, vt nonnulli existimauerunt, verbum ὀργίσασθαι dictum esse per metaphoram ab animalium turgore. Nempe & ita vsus videtur Hippocrates cùm inquit: Medicari in valde acutis oportet, si turget materia eodem die. Nempe in promptißimis ad excretionem, properantibusq; ad vacuationem humoribus, tum hîc, tum in aliĳs aphorismis voce, ὀργᾶν, id est, turgere vsus videtur. Sic & nunc par esse inquiunt, vt ὀργίσασθαι de humoribus dictum sit, pro παρασκευάσαι, id est, faciles ipsos ad excretionem apparare. Rursus autem principio altero ad commodum quippiam veluti pronum ducamus sermonē. Nempe quoniā inquit: τὰ ἄνω ἀρθέντα, id est, sublimè lata deorsum soluere, atq; ad contrarios locos, ἀρθέντα quidem, vt tanquam ὁρμήσαντα, id est, irruentia, vel impetum capientia significet, est existimandum, vt de prima adfectus generatione agat, ad contrarios locos confestim, repellere iubens. Deorsum quidem in his quæ sursum habent generationem, sursum verò in his quæ deorsum repunt, veluti curationem ratione eadem vsi molimur, ad diuersos autem ducimus locos. Nam si fluxionem ad pedes & crura

decu

decumbere senserimus, ex venis cubiti sanguinem auferemus, aut per vomitum purgabimus: non quomodo quidam putant nullo pacto sursum reuellendum esse, & si ad inferiores partes irruentibus humoribus magnus quidam futurus in ipsis sit affectus. Possumus & ἄνωθεν ἀρθεῖσα intelligere vt de humoribus sursum irruentibus dictum sit, vt verbum ἀρθεῖσα proprius dictum sit. Intelligentia verò eadem & nunc manet. Nempe humores ἄνω αἰρομένους, id est, μετεωριζομένους, id est, quod est sublime petentes, deorsum reuellere oportet, quod non probè ruant: contrarios verò contrario modo, vt si in caput repant, per deiectorium medicamentum & sectionem in cubito venæ retrahimus. Nempe, vtraque deorsum, tum vacuant, tum reuellunt. Verisimile est autem & contrarios locos ita dictos esse ab eo in tali quodam sensu: morbos, tum sursum latos, tum inibi genitos, deorsum quidem statim ab initio retrahere conuenit, & ad contraria his deinceps agere: quod est localiter vacuare, vt in capite. Dolentem enim parte capitis posteriore, secta in fronte è directo vena iuuat, topicum existens remedium.

Abſceſſus veluti bubones, ſigna quidem ſunt germina habentium, tum aliorum, tum præcipuè viſcerum. Maligni autem ſunt hi.

HIC

HIC COMMENTARIVS GALENI DESIDERATVR.

Spiritus parui crebri, magni rari, parui rari, crebri magni: extrà magnus, intrà paruus, intrà magnus extrà paruus: hic quidèm tardans, ille verò festinans: duplex intrò reuocatio veluti super inspirantibus, calidus item frigidus.

HAEC EXPOSITIO EX primo de spirandi difficultate.

Difficultatum spirandi diuisionem integrè hoc loco scripsit Hippocrates, & quæ secundum magnitudinem paruitatémque, & quæ secũdum densitatem & raritatem existunt: nempe oppositiones duas manifestè connectit, tum eam qua magnitudo paruitati aduersatur, tum eam qua frequentiæ raritas: facitq; primùm quatuor difficultatum spirandi coniugia: vnum quidem quo minor frequentiórque naturali est respiratio: alterum quoties maior rariórque: mox tertium quo minor & rarior: quartum quo maior & densior. Primæ autem illæ difficilis respirationis differentiæ, totius sunt respirationis, quæ ex duabus conflatur partibus, expiratione scilicet & inspiratione, & neutrius partis. In aliis autẽ duabus differentiis quæ consequuntur, vbi inquit: extrà magnus intrò paruus, intrò magnus, extrà paruus, partes duæ respirationis cõparãtur inspiratio

&

& expiratio. Duæ verò sequentes differentiæ in quibus dicitur:hic quidem tardans, ille verò festinans, alterius partium respirationis propriæ esse putandæ sunt,quæ maximè in essentia motus existunt:nulli siquidem præterquàm motui propria sunt velocitas & tarditas. Quod verò deinceps dicitur,duplex intrò reuocatio,veluti super inspirantibus, inæqualitatem denunciat inspirationis: quæ quidem inæqualitas similem in expiratione efflagitat,quam non ab Hippocrate sed à scriptore prætermissam existimauit Galenus. Non aliud autem significat nisi spiritũ intercisum,quem alij offendentem dicunt, alij duplicatum,alij deficientem, alij velut reuocatum, alij reuulsum. Quæ omnia si altius percontari volueris,ad tertium de difficultate spirandi tibi eundum arbitror. Deinceps ad calcem orationis scribit difficultatis spirandi oppositionem hoc pacto:calidus,frigidus. Nempe vt magnus & paruus,& densus rarúsque:ita calidus & frigidus est spiritus,de quibus fusissimè in prognostico agitur.

RVRSVS INCIPIT
Galeni commentarius.

Spiritus autem frequens quidem cùm existit,dolorem vel phlegmonem in locis septo transuerso superioribus indicat. Magnus autem & ex longis interuallis,delirium:frigidus verò si ex naso & ore prodierit,lethalis admodùm iam est.

Med

Medicatoria continuarũ oſcitationum longa ſpiratio.

Dictionem quoque hanc in ſecundo epidemiorum explanauimus.

Non bibentium verò,& vix bibentium breuis.

Vt in ſecundo epidemiorum exemplaria plurima orationem ita ſcriptam habent:non bibentium verò, & vix bibentium longa reſpiratio, ita hoc loco breuis, ſed de vtraque ſcriptura in cõmentarijs ſecundi epidemiorũ abundè eſt dictũ.

Secundũ rectitudinem fiunt lateris dolor,hypochondriorum diſtentiones,lienis tumores,& ex naribus eruptiones,quæ itẽ ſecus aures ſunt, & magna ex parte talia ſunt,quæ in oculos decumbunt.

In plurimis exẽplaribus oratio habet vt nũc ſcripta eſt:comperies verò & hanc, quanquam raro:Secundum rectitudinem & lateris doloris, hypochondriorum tenſionis,lienis tumoris, & ex naribus eruptionis:quam quidem ſcripturam & ego recipio tanquam & medicatoriam & conſpicuam:& ſanè quod ex altera ſignificatur oratione idem exiſtit,expoſuimúſque anteà dictionem hanc in ſecundo epidemiorum. Verùm hoc loco ſuperfluè apponitur quod dicitur de auribus & oculis,quòd partes hæ ſubiaceant his quæ ſecundum rectitudinem fiunt, duobus modis. Nempe interdum ex ſeipſis in alias quaſdam

partes reiectiones moliuntur secundum rectitudinem: Interdum verò & affectus alijs in oculos, vel aures hæc decumbunt.

Considerandum nunquid omnia secundum rectitudinem fiãt, an ea quidem quæ infernè sursum, qualia circa maxillas fiũt, oculos,& aures:ea verò quæ supernè deorsum non secundum rectum fiant:quanquã synanchici rubores laterúmque dolores secundum rectitudinem fiant.

In secundo epidemiorum non amplius dictio ipsa adiacet,in qua dubitatur, an ex abscessibus qui infernè sursum fiunt,commodè semper seruetur rectitudo:ex his verò quæ supernè deorsum fiunt,corrumpantur, & fiant quidam non secundum rectitudinem abscessus. Incertum sanè vter prius scriptus sit,vel liber secũdus epidemiorũ,vel hic.Nõ enim quòd liber ille secũdus,præsens verò sextus inscribantur, propterea prius illum scriptum esse putandum est:tali quidem dictione in illis libris, qui ad publicationem ab ipso confecti sunt. In commentariis verò non amplius. Nam quæ discriminis causa ab Hippocrate in chartis vel tabulis scripta sunt, ea filium ipsius Thessalum collegisse inquiunt, atque hos duos libros tum secundum, tum sextum confecisse: quidam & quartum aiunt: ad publicationem autem confectos esse fatentur tum primum, tum tertium. Quidam & ob eam rem verisimile esse consent

consentiunt ex prioribus in secundo epidemiorum scriptis, posteriora hæc quæ in sexto continentur, scripsisse: contemplatum verò posteà ipsum abscessum ad inferas partes factum commodè non secundum rectitudinem, ita scripsisse quæ in hac oratione continentur. Si verò addubitans quidem hoc loco, & posteà quàm iudicauit deinceps ea de quibus dubitauit, securè in secundo epidemiorum enuntiauit, illis magis est credendum. In his itaque quæ scribit: quanquam synanchici rubores, & laterum dolores secundum rectitudinem fiant, de commeatione intelligere oportet, non ea quæ ex lateris dolore ad synanchicum fit, sed ea quæ ex synanchico ad lateris dolorem, sermonem esse. ipsa etenim supernè deorsum fit, de qua addubitans prædixit: ea verò quæ supernè deorsum, non secundum rectum fiant. His itaque sibi per exceptionem obiectis, deinceps infert quæ in sequenti dictione ita habent.

Considerandum quoque, nunquid quæ sub hepate existunt, aut supernè distribuũtur secundum rectitudinem fiant, veluti cùm in testes, vel varices fiunt decubitus.

Costarum dolores ex anginosis secundum rectitudinem fieri præfatus, deinceps inquirit, vtrum & in his abscessibus, qui ad inferas corporis partes fiunt, perpetuò seruetur rectitudo, an non, vt in antecedente addubitauit oratione. Sed hîc quidem dixit: quæ supernè deorsum, nunc ve-

rò, quæ ſub hepate: terminum ſtatuens, vt videtur, omnium tum inferarum tum ſuperarum corporis partium. Nam gibba ipſius ſepto tranſuerſo coniuncta eſt, quo fit vt quæ hepate ſuperiora ſunt, ea & ſepto tranſuerſo ſint ſuperiora, cor ſcilicet, pulmo, & thorax qui hæc continet: atque adhuc multò magis collum, caput. Cætera omnia ſunt inferæ corporis partes, quæ ſi inter ſe comparentur, ex ſuperis hæc quidem magis, illa verò minùs ſupera exiſtit. Conſueuimus verò in his quæ ita dicuntur, minus ſuperam, inferam dicere, veluti ad id quod ſupra iacet conferentes: minus verò inferum, & ſuperum ad quod ipſo eſt inferius. Atque ob talis locutionis negligentiam non parum in conſuetudinem extenſæ, æquiuocatio quædam oritur, atque in ſermonibus conturbatio, cuius memores vbi intelligemus dicentem ipſum: abſceſſus ad inferas partes meliores eſſe, conſiderandum quónam vſus modo dixit κάτω, *id eſt, infera, atque vnà & partium dignitates definiendæ. Nempe ob id magna ex parte ſuperi abſceſſus grauiores ſunt: quòd partes hoc obſeſſæ malo, periculo magis pateant quàm inferæ. Nam ſi cerebrum vel guttur, vel ſtomachus, vel pulmo, vel thorax, vel cor phlegmone obſideantur, lethalis eſt morbus. Partibus verò hepate inferioribus phlegmone obſeſſis, pauci admodùm moriuntur, & præſertim ſi rectè curentur: hepatíſq; ipſius gibba quàm ſima periculi magis particeps.*

ſúntque

ſuntque qui eum inter totius corporis ſuperas partes conſtituant, veluti os ventris. Hæc igitur à nobis præter inſtitutum dicta ſint, quanquam præter inſtitutum non exiſtant. Quod verò ex præſentis orationis explanatione ſupereſt, deinceps abſoluamus. Inquirere ſiquidem videtur Hippocrates, an abſceſſus ſub hepate supernè tranſmiſsi, veluti in teſtes & varices vt ſecundum rectitudinem fiant, melius ſit: vel ſi non ſecundum rectitudinem fiant, ſimiliter ipſis auxilio eſſe poſsint. In nonnullis quidem fieri non poteſt vt rectitudo cognoſcatur: vt quòd varices inſaniam curent, ſecundum rectitudinem facto abſceſſu. Nempe diſcerni non poteſt, an dextra cerebri in parte facto abſceſſu inſaniuerint, aut in ſiniſtra: quemadmodum neque ſi ex longa tuſsi citra lateris dolorem in teſtem abſceſſus fiat: quanquam fortaſsis & in his ſeruetur rectitudo, quanquàm non certò cognoſcamus vtra pulmonis pars vel cerebri adfecta fuerit. Præterea melancholiam hæmorrhois ſæpius ſanauit, neque hîc cognoſcentibus nobis rectitudinem. Quòd & ſanguinis vacuatio per vuluam copioſa morbos plurimos ſanet, nemo eſt qui ignoret. Imo neque hîc cognoſci poteſt, vtrum per venas dextri vteri, vel ſiniſtri, vel vtriuſque excretio fiat: hæc itaque vel cognitu difficilem, vel prorſus incognitam habent rectitudinem. In quibus autem dignoſci poteſt rectitudo: in his, vt videtur, conſiderandum

esse ait Hippocrates, an perpetuò abscessus qui ad partes inferas fiunt, meliores his sint, qui secundum rectitudinem fiunt.

Considerãda hæc quò, vnde, & quamobrem.

Si ex solis vltimis, vel omnibus prædictis de abscessibus tum his qui secundum rectitudinem, tum alijs qui non secundum rectitudinem fiunt, illatum hoc sit, est incertum. Quod autem dicitur huiusmodi est: Considerandus, inquit, locus ad quem fit abscessus: nam verbo hoc, quo significatur. Consideranda & pars ex qua fit, nempe & ex voce: vnde: indicatur. Consideranda quoque & causa ob quam fit. siquidem & hoc ex oratione: quamobrem significatur. Scire enim oportet vtrum à natura ex morbi concoctione, vel transfluente citra concoctionem ex altera in alteram partem contristante humore, abscessus fiat. Potest quis dictionem hanc à prædictis separare, principiúmque consequenter dictorum iuxta præscriptum modum facere: Consideranda hæc, quò, vnde, & quamobrem, venæ temporum non firmantur, neque viriditas pellucida. Dixi & ita posse quempiam totam diuidere orationem, veluti vtique & alio quodam modo qui talis sit: venæ temporum non conquiescentes, neque viriditas pellucida, si spiritus deficit, & quæ sequuntur. Nempe nisi: viriditas pellucida: orationi adiectum esset, potuisset oratio multiphariam

diu-

diuidi, vt commentarius, non operis contextus: nã de hoc iam intellexit. Adiecta verò & hac oratione, χλώρασμα λαμπρόν. id est viriditas pellucida, obscurior adhuc efficitur sermo. Nempe & iã diximus in alijs orationibus in quibus χλωρὸν nomen scriptũ est, nosci manifestè nõ posse, quísnã color per ipsum significetur: sicuti neq; si χλόασμα scriptũ fuerit, vt quidã scribunt. Videmus si quidem & nunc in ipsa Cῷ Hippo. patria, & omni nostra Asia, χλωρὰ quidem appellari & olera, & arbores, & plantas, tanquàm χλοβά, id est viridia. χλωράζειν quæ pecora dicimus, quæ vernã herbam edunt. Dicunt etiam & homines quosdam χλωροὺς qui non habent colorẽ herbæ similem, sed potiùs pallidum. Incertum est itaque, an Hippoc. ὕπωχρον appellet colorem χλωρὸν, & χλοβὸν, quod valde multis contingere videtur, aut χλόη, id est herbæ similem, quod raro admodum fieri videtur. Cùm itaque hæc obscura sit dictio, maior præterea fit obscuritas, si adijcitur vox λαμπρόν, id est pellucida. Nempe quidnam indicare voluerit ex orationis huius: χλώρασμα λαμπρόν, id est viriditas pellucida: scriptura, inuentu est difficile, & ob id sanè interpretes quidam talem omnem obscuritatem effugere volentes scripserunt: οὐδὲ χρῶμα λαμπρόν, id est color pellucidus, aiuntq; λαμπρὸν de naturali ægri colore intelligendum esse. Sic & Sabinus legendum contendit.

Venæ temporum non conquiescentes, neque viriditas pellucida, si spiritus deficit, vel tussis sicca ferina non fuerit, vt morbus in articulos firmetur expectare oportet, plurimúmque secundum rectitudinem distentionum ventris.

Dixi fieri posse vt absque prima orationis parte per se legatur: si spiritus deficit, & quæ deinceps ab ipso scripta sunt. spiritus autem nunc intelligendus qui naturalem excedit, vt sermo eiusmodi sit: si in morbo labore quidam leuati, venas temporum habuerint οὐχ ἱδρυμένας, id est, non conquiescentes, quod est ἐπὶ πλέον διατεταλομένας, id est, quæ plus iusto dilatentur, colórq. non secundum naturam fuerit, & respiratio maior fuerit, atque cætera quæ sequuntur, his in articulos abscessum fore est expectandum. quæ sequuntur hæc sunt: primum quidem sicca tussis, secundum non ferina. Tussis itaque sicca dici consueuit, in qua nihil excreatur. hoc autem ita in operis contextu dictum, manifestè ostendit ænigmatosa oratione oblectari authorem. qui si rudem quandam velut in commentario fecerit descriptionem, nemo culpauerit. Multa siquidem hoc pacto consueuimus nobis ipsis summaria descriptione coniecturaliter designare. forsan verò & nunc sibi ipsi hæc scripsit Hippocrates, plurimis in morbis faciens sermonem: in præsentia quidem de sicca tussi in pe-

rip

ripneumonijs & pleuritidibus. Nempe & respiratio his est consentanea: priora verò quæ circa faciem videntur, scripsit in febribus calidis & perurentibus: dici autem & illa de thorace & pulmone potuerunt. fiet itaque omnis sermo talis: si plus iusto vnà cum prædictis tusses siccæ fuerint, in articulos abscessum sperare oportet. Distinctionem verò quandam tussibus adscribens obscuram, alteram fecit quæstionem, quænam scilicet tusses θηριώδεις, id est, ferinæ existant. Quidam itaque ex lumbricis vbi ad os ventriculi sursum delati momorderint siccas fieri tusses aiunt: quod si verè contingere videatur, non est quæstio. Sed nunc decies millies lumbricos cernimus os ventriculi citra tussim infestantes, atque ob id plerique interpretum sese ad alias converterunt explanationes. Nonnulli quidem, ferinum, de tabidis dictum esse aiunt: quoniam illis vt feris vngues incuruentur, quidam ἐπὶ κακοήθους, id est, pro maligno. in abscessibus enim indicatorijs vt incoctum oportet esse morbum, sic & constanter permanentem. Nempe qui coquitur citra abscessum, denuntiat solutionem. Perniciosus, neque vllum abscessum fore iudicatorium. Si verò plus iusto incoctus permaneat morbus, maligniúsque non adfuerit, abscessum fore aliquem est expectandum. Quòd autem morbum tum incoctum, tum simul & constantem longo permanere interuallo oporteat vt abscessus

ſperandus ſit, dilucidè ipſe oſtendit in prognoſtico ita ſcribens: Qui tenues & crudas diutius mingunt vrinas, ſi & alia veluti reſurgentibus adfuerint ſigna, in his abſceſſum ad inferiores ſepti tranſuerſi ſedes ſpectare oportet. fiet itaque totus ſermo talis: Si incoctus permanſerit tum in thorace, tum in pulmone morbus aliquis, nihílque maligni habuerit, abſceſſum expectare oportet, quòd morbus incoctus ſit, tuſsis ſicca oſtendit. Nam ſi quidpiam excreauerint, ſignum eſt concoctionis: quod autem expuitur, ſi liquidum & tenue fuerit, mediocris: ſi craſſum, perfectæ. De talibus autem dictum fuſiſsimè in commentarijs in librum de victus ratione in morbis acutis, in libris de indicationibus, atque item in libris de temporibus morborum. Quod autem in calce orationis ſcripſit, vbi inquit: ſecundum rectitudinem diſtentionum ventris, plurimi quidem cum prædictis copulauerunt: alij & per ſe ſolum proprium habere inquiunt ſenſum. ſi itaque copulatum ipſum cum prædictis legerimus, ſermo erit talis: Cùm ex prædictis abſceſſum fore ſperaueris ventris, diſtentiones præterea aſpice. Nempe ex his ſi in dextram corporis partem vel læuam abſceſſurus ſit morbus, inuenire valebis. Nempe diſtentiones ipſæ ſecundum rectitudinem ſuam abſceſſus fore denuntiant: ſi verò ipſum per ſe quis legerit, ſecundum rectitudinem diſtentionum vẽtris, ſermo erit eiuſmodi: vt cùm ex reſpirationi

rationi deputatis organis affectis, cum incoctione & constanti permanentia abscessus fieri cernimus: ita & in ventre contingere reperies: erunt siquidem & ipsi secundum adfectarum partium rectitudinem.

Habent autem ex his plurimi faciem impensè rubram, qui scilicet albidiore sint naturâ, neque ex naribus profunditur, sanguis: aut si profunditur, paucus quidem.

Faciem scilicet hos habere valde rubentem in morbis est subintelligendum, esséque natura albidioris habitus. Nempe in multis abscessum quendam habituris in morbis salubriter longis, rubens permanet facies, & maximè vbi decubitus ad aures futurus sit: quibúsnam autem ita affectorum facies impensè rubra videatur, declarauit tales homines naturæ esse albidioris, inquiens: nigrioribus etenim naturâ, quanquam sanguis aliquando in facie redundauerit, non tamen clarè signum præstat. In albis verò corporibus atque in externis, cùm exiguum dissimilis coloris quippiam interrepserit, statim id clarescit. Hoc itaque ab ipso interseritur, sed sermonis continuitas eiusmodi est: Qui faciem impensè rubram habent, his cùm salubriter cunctatus fuerit morbus, per abscessum iudicationem fieri speretur, nisi facta per nares sanguinis profusio, superabundantem sanguinem in articulum aliquem

aliquem lapsurum prius vacuauerit. Qui autem ita habent vt dixi, vel nullo pacto sanguinem profundunt, vel paucum, & morbi exuperantia indignum, hoc habent abscessus modo.

Et si quidem ex fluentibus aliquid relinquatur, promptus in abscessum est morbus.

Si absque coniunctione, μὲν, id est, quidem, oratio scripta fuisset, dilucida erat. nempe vbi dixit, his qui faciem impensè rubram habent fieri abscessus, non fluente è naribus sanguine, vel saltem pauco iure optimo intulit si fluentis aliquid humoris relinquitur, promptus est in abscessum morbus. sed quoniam coniunctio μὲν, id est, quidem, adiacet, subaudire conuenit: Si verò non relinquatur, non erit abscessus. Tales autem orationes non solùm in commentarijs quos sibi præscribunt homines, verùm quoque & in operum contextibus reperiuntur, vt vbi coniunctio μὲν prædicta fuerit, nihil ampliùs ipsi posteà aßignetur. quod & maximè Dioscoridem noui sciuisse: quoniam & Grammaticam sibi quàm cæteri magis vendicaret, atque seruasse vetustam scripturã, quam & interpretes omnes norunt, & exemplaria habent omnia. Aut si superflua coniunctio μὲν esse visa sit, tollere eam ausi sunt potiùs quàm permutare in τὸ μὴ, id est, non, nempe oratio: & si non ex fluentibus aliquid relinquatur, promptus in abscessum est

morbus,

morbus, inter se dissidentia continet: nam verbum, relinquatur, quæ non perfectè, sed ex parte vacuantur significat. Oratio verò, & si non ex fluentibus, contrarium ostendit, veluti & copiosè fluere. Vt igitur verbum, relinquatur, de hoc dicere non conuenit: sic neque de eo, in quo nullo pacto effluxit. Nam si verbum, relinqui, de contristante humore dictum esse non recepe- rimus, quomodo quidam volunt sermonem ad morbum conferentes, tanquam in deficientibus sanguinis profluuijs, verbum, relinquitur, mentem habebit. Fluente enim sanguine non tamen abundè, imperfectæ morborum iudicationes fiūt, in quibus dici, relinquitur, conuenit.

Ratione eadem si relinquitur sitis, orísque siccitas, insuauitásque, atque ciborum fastidium.

Cùm placata febre quædam permanserint symptomata, morbi aliquid quod reliquum sit, relinqui dicitur. Memorauit autem Hippocrates tanquam in exemplo quæ ex relictis principatum obtinent: sitim scilicet: siccitatem oris, insuauitatémque, & ἀποσιτίαν, id est, ἀνορεξίαν. id est, fastidium, inappetentiam, vt dictio ipsa, explicatio illius sit, quod in antecedente est prædictum dictione, vbi inquit: & si quidem ex fluentibus aliquid relinquatur. Bifariàm siquidem relinqui intelligimus. Vno quidem modo de committente morbum humore: altero verò de

morbosa adfectione. Explicat autem nunc signa relictæ morbosæ adfectionis.

Febres non acutæ tales sunt, nempe reuertuntur.

Et hoc vnum est ex his, quæ ad futurorum abscessuum prænotionem conferunt: nam febres acutæ, & citò iudicantur, & per excretiones perfectam habent solutionem. Quæ verò non acutæ vocantur, reuersoriæ sunt, cunctantúrque, & solutiones efficiunt imperfectas: posteà reuertuntur, & secundam habent excretionem ex apostemate perfectam solutionem.

Quæ reliquuntur post iudicationem, recidiuam facere consueuerunt.

Dictio hæc & in secundo epidemiorum scripta est, & ab hac aliæ vsque ad hanc: quæcunque ad tertianarum naturam propè accedunt, quas transgrediemur, quia anteà à nobis sunt explicatæ.

Primùm itaque lienum tumores, nisi in articulos finiantur, sanguinis eruptio fiet, vel dextri hyponchondrij contentio, nisi vrina perfluxerit: ipsa etenim est interceptio amborum: & reuersio iure horum. Abscessus autem ipsorum facere, qui non fiunt, qui verò iam fiunt, declinare, qui prodierint quales oportet, & quà oportet, recipere conuenit. qui non satis exierint, iuuare: alios verò qui prorsus inutiliter prodierint

dierint, auertere, & maximè qui futuri sunt: si non, nuper venientes.

Deest huic texturæ commentarius Galeni, quòd retulerit ad commentarium in secundum epidemiorum, vt anteà est dictum, vbi eadem ferè dictio reperitur à Galeno, vt ipse refert, iam explicata. Constituit autem Hippocrates, lienis tumorem, aut, si mauis, hypochondrij sinistri distentionem inter ea quæ relicta sunt in morbis: atque quòd soluetur inquit, per sanguinis eruptionem è naribus, nisi, priùs in articulos abscessus fiat, vel per distentionem dextri hypochondrij, nisi copiosa vrina ab huiusmodi distentione liberauerit. Solent enim humores à liene ad hepar repere, & distentionem in ipso efficere, nisi præuertat sanguinis è naribus eruptio, aut copiosa fluat vrina: nam quæ gibba maximè pars recipit, per vrinæ meatus vacuatur. Vrina autem copiosa amborum viscerum intercipit redundantias: quæ si non copiosè fluat, causa est reuersionis horum. Cætera videntur manifesta.

Quartanæ hæmorrhagiæ iudicatu difficiles: intermittentes enim vnum diem, altero superrigent cum iudicio ex quinque ad septem.

Neque in hanc texturam reperitur Galeni expositio, quòd in secundum epidemiorum remissa sit, vt antè est dictum. Videtur autem

hic Hippocrates egisse de sanguinis eruptionibus, quæ in febribus tertianis quarto die fiunt, vel quarto circuitu, quæ difficile faciant iudicium, cùm tertianæ hoc naturâ habeant, vt per rigorem iudicentur: & si iudicentur eo die, quo rigor non fit, non probè iudicantur, cùm hoc non die iudicatorio fiat. Iudicantur autem tertianæ exquisitæ ex quinque in septem circuitus.

Quæ propiùs ad tertianæ naturam accedunt, his nox ante accessionem implacida est.

Quásnam τριταιοφυέας, id est, propiùs ad tertianæ naturæ accedentes dicat Hippocrates, est explicatum, vbi & de semitertianis, & tertianis extensis actum est. Vnum siquidem solum fatentur recentiores Medici, in dictorum nominum expositione de exquisitis tertianis, quòd ipsarum accessio intra duodecim horas circunscribatur, reliquæ verò horæ sine febre sint: alienum autem methodicorum in nomine semitertianarum vsum, ad memoriam reuocare bonum non est. Si verò tertiana exquisita accessionem habuerit duodecim horas exuperantem, & quindecim horas vigentem, omne verò quod restat tempus, febris expers fuerit, vocabitur tertiana simpliciter sine adiecto: quòd si quis exactè loqui voluerit, tertiana non exquisita. Et si Hippocrates ipse inquit: Febres quæcunque non intermittentes, tertio die fortiores fiunt, omnes periculo-

riculosæ,quocũque autẽ modo intermiserint,periculum abesse significatur : omnes tertio vrgentes die,sed ad integritatem desinentes, sine periculo erunt. At si periculo has carere dixerimus, mentem sequuti Hippocratis:semitertianam verò periculo carere ipse non viderit,febris hæc intermittens non erit. Sed quæ non minùs quàm vigintiquatuor horarum spatium interuallum habent, omnes simpliciter tertianæ dicentur:quibus verò intermißio quidem hoc tẽpore breuior fuerit, acceßiones verò longiores, tertianæ extensæ hæ vocabuntur.Conueniunt autem prorsus in interualla tria,quatuor omnibus in tertiana periodo existentibus. Duo siquidem dies,& duæ noctes medium duarum acceßionum occupant,his quæ tertio quoque fatigant die. Rarò autem comperies quæ supra tres vrgeat intermißiones peruenire ad integritatem, quam consueuit Agathinus magnam semitertianam appellare,veluti vtique mediam in qua æquabile sit tempus, tum acceßionis,tum intermißionis.Cui verò acceßionis tẽpus intra viginti quatuor horas circunscribitur, paruam semitertianam hanc appellat:ita vt neque tertianam,neque extensam vnquam tertianam appellauerit. Nã si exquisita tertiana duodecim horas non excedat,quæ verò has exuperat, statim parua sit tertiana, nulla simpliciter tertiana erit:neque adhuc magis extensa tertiana, quæ si nõ existant, neque tertianam exquisitam

appellare est necesse: nam si nulla sit exquisita, superuacua est adiectio. Quo itaque modo tertianam exquisitam appellare consueuit Hippocrates, cùm liceat simpliciter vocare tertianam, si hæc sola est tertiana, quæ paulò diuturniorem quàm duodecim horarum habet accessionem? Constat itaque hanc ab ipso vocari exquisitam, magísq; quæ & alia habet à nobis in commentarijs indicationum scripta indicia: simpliciter verò tertianam quæ supra duodecim horas extensam habet accessionem. Si verò viginti & quatuor horas supergressa fuerit accessio, tertianam longam hanc vel extensam nominabimus. Quæ verò supra tria interualla accessionem produxerit, rarò hanc ad integritatem peruenire comperies. Nec verò semitertianam iam appellabimus, nisi repetitiones fecerit horridas, nisi item die altero alteram accessionem citra repetitionem habuerit. Hanc itaque semitertianam appellabimus. Si verò febris aliqua tertio quoque die vrgeat, ne breue quidem interuallum efficiens, vt in ea æger prope synceram integritatem videatur, hanc acutam appellabimus febrem. Hoc ipsum quod inest de ea dicentes, quòd tertio quoq; vrgeat die. Sola itaque ex his quæ tertio fatigant die τριταιοφυὴς appellabitur, quæ prope ad integritatem peruenerit. Si verò quis & febres alias omnes acutas, quæ tertio quoq; infestant die τριταιοφυεῖς appellare voluerit, videbitur forsan & ipse non absq;

ration

ratione in hanc peruenisse opinionem: nullam tamen ex his febribus quæ ad integritatem desinũt, semitertianam ab Hippocrate appellari condonabimus. Nempe illæ periculo vacant, periculi verò particeps est semitertiana. In harum autem medio sunt παραφυεῖς, quas implacidam habere noctem ait quæ antecedit accessionem. Planè siquidem hoc illis inest, ac tertianis extensis non omnibus. At ne molestiam exhiberem, sæpiùs de significato semitertianæ, tum scribens, tum inquirentibus respondens, vnum de ea re librum seorsum scripsi. In aphorismis verò simpliciter citra mentionem τριταιοφυῶν inquit Hippocrates: Quibus fit iudicatio, his nox ante accessionem tristis est: quæ verò sequitur, vt plurimùm placidior, κρίσιν autem, id est, iudicationem intellexerunt, in qua mutatio quædam effatu digna celeriter repit: alij simpliciter accessionem. Consueuit autem reuerà nox quæ præcedit accessionem tristior esse febribus propemodùm omnibus, quæ tertio quoque exacerbant die, citra exquisitas tertianas: quòd si aliquando & in his fiat, postero die sequuturam ostendit iudicationem, & maximè si signa quoque alia futuræ iudicationis consenserint.

Tusses siccæ leuiter irritãtes in ardentibus febribus, non insigniter siticulosæ existunt: neque linguæ arefactæ, nõ à ferino, sed vento: quod liquet. Nam cum loquun-

tur vel hiant, tunc tusśiunt: quod si non faciant, non tusśiunt, hoc autem in febribus laboriosis maximè contingit.

De eisdem in aphorismis ita scripsit: Quibus plurimùm tusses siccæ in ardentibus febribus leuiter irritantes fuerint, non admodùm siticulosi existunt, oratio itaq; οὐ πάνυ τὶ διψώδεες, idem valet quod, οὐ κατὰ λόγον διψώδεες, id est, non siticulosæ, & non admodùm siticulosæ. In ardentibus siquidem febribus absque sicca tußi valde sitibundi ægri fiunt. Si verò tußis sicca fuerit, sine siti quidem esse non possunt: verùm tußis vehementia frangitur, vt sitiant quidem, sed non pro febris ratione. Tusses autem leuiter irritantes esse, non frustrà est dictum: nempe vehementes, thoracis, pulmonísque partes calfaciunt, atque ob id febrem augent, sitímque. Paruæ autem si fuerint, atque ex longioribus interuallis, tãdiu partes agitant, quandiu procedit aliqua in ipsas humiditas: contingétque ita, vt neque lacerent vellicéntque vehementer, neque febrem accendant, præsténtque partibus humiditatem, quæ in moderatis tusśibus ad eas quæ mouentur peruenit partes, ob quam ægri sitis expertiores erunt. Cùm verò siccæ fiant tusses, & ob quandam morbi malignitatem, quam deinceps qualísnam sit dicam, ab hac separans tusses quæ in præsenti recensentur sermone, ipsas οὐ τῷ θηριώδῃ, id est, non à ferino, sed τῷ πνεύματι, id est, ab aëre, fieri ait.

Quidam non simpliciter τὸ κακόηθες, id est, malignum omne dici ab Hippocrate existimant τὸ θηριῶδες, id est, ferinum. Verùm alij quidem φθίσιν: quoniam & aduncis vnguibus fiant, ob id θηρίοις, id est, feris similes videntur. Alij autem θηρίωμα vocari propriè dicunt in pulmone vlcus. Alij autem cùm lumbrici ad os ventriculi peruenerint, tusses ipsas irritare aiunt: hoc ipsum neque ratione, neque experientiâ demonstrare valentes. Vt ergo θηριῶδες κακόηθες, id est, malignum intelligatur, satius est: siue ex decumbente à capite destillatione tussiant, siue ex vlcere respiratorij alicuius organi, vel existente in ipso apostemate siue ex appellatis empyematis. Tusses autem aliæ, quæ malignæ non sunt, ob intemperiem fiunt deputatorum respirationi instrumentorum, aut asperitatem, vel faucium, vel asperæ arteriæ: interdum quidem ob cibos, vel potus exasperantes, atque ex ambiente nos aëre. In aphorismis itaque ipse scripsit: Si verò aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, dolores lateris, & pectoris. Nempe aër qui inspiratur, cùm abundè frigidus fuerit, interdum quidem, tum fauces, tum asperam arteriam exasperat, refrigerátque: interdum verò pulmoni, omni thoraci intemperiem parit: sæpiúsque dicta vtraque contingunt, tussiúntque mediocriter ex ipsis tusses aridas. Signum autem ita habentium est, quòd in inspirationibus irritetur, cùm scilicet

vniuersim irruat, tum loquentibus, tum hiantibus, & cùm inspirauerint. Cum verò per nares inspirauerint, calidúmq; externum aërem in ædibus ipsorũ quis reddiderit, vel prorsus minimum tußiunt, vel nullo modo: quam ob rem & ante nares vestimentum quidam apponentes ita inspirant, tusses exacerbari experti, cùm vniuersim frigidus externus aër partes, tum exasperatas, tum refrigeratas cõtigerit: id quod in laboriosis febribus fieri ait. Quásnam verò laboriosas appellet febres, est incertum. Vtrum eas quæ ob vehemẽtes fiũt agitationes, vel quæ quanquã per se cõsistent, laboriosum tamen inferant sensum. Talia verò nullus ferè obseruat Medicus, neque inter eos qui hoc degunt tempore, neque inter superiores: & si innicem exempli Hippocratis habeant diligentiam, quam imitari eos oportebat qui veritatem per se, non propter gloriam quæstúmve sibi vendicant. Ego itaq; melius esse excogitaui, experientiâ examinare quod dicitur. Nempe tales tußiculas laboriosis ob externos labores febribus supervenire vidi, aliis verò non admodùm, ipsisq; per externos labores non simpliciter, sed in frigore laborantibus, & in vehementi æstu, & præsertim per viam puluerulentam, vt per accidẽs aliquod magis, nõ ob laboriosam affectionem tußire mihi viderentur. Nempe quòd exasperatæ sint fauces ob frigus, vt dixi, vel puluerem, vel ob immoderatam ambientis nos aëris procreatam ipsis siccitatem.

tatem. Adde quòd & ob intemperiem instrumentorum ipsorum hi tussiant. Constat enim quòd & propter intemperiem tusses fiant.

Nihil contemnendum: nihil comprobandum temerè.

Hoc quidem & ipsum per se, tum dictum, tum scriptum, nullis alijs ad fidem intelligentiámque indiget, neque prædictis, neque inferendis. Hîc verò & iure prorsus post institutum est ordinatum. Talia siquidem theoremata, tum parua, tum tenuia, tum indigna multis videntur, atque ob ipsa negliguntur, ita vt de talium natura, neq; ratione, neque experientia disceptent: vt autem prædictus sermo exemplum est nihil negligendi, ita & nihil temerè & inconsultè comprobandi, quomodo ego in ea quæ hanc antecedit dictione feci, atque alijs omnibus. Non enim scriptis ab Hippocrate solùm, verùm quoque & ab antiquis alijs simpliciter fidem adhibeo: sed & examino ipse, tum ratione, tum experientia, an verum sit aut falsum quod scripserunt. Qui verò ab vno seipsos vel seruos, vel libertos pronuntiauerunt, hi vbi scriptum ab ipso aliquid inuentum est, confestim comprobant, tum temerè, tum inconsultè: quomodò & hoc quod dixit, in laboriosis febribus tusses aridas fieri maximè. Neque enim quásnam dixit laboriosas quæsierunt: vtrúmne eas quæ & à laboribus & externa defatigatione obortæ sunt, an eas quæ citra hæc ean-

dem habent affectionem. Neque vtrum simpliciter, an & per accidens labor ipsis obortus sit. Quod autem in his, idipsum & in aliys infinitis contigisse cognoscatis, non his solùm qui libros scripserunt, verùm & his qui ipsos explanauerunt, atque etiam multò his magis qui quotidie vrbes circumeunt Medicis, sola vsis quæ ratione caret exercitatione. Multa siquidem tanquam parua aspernantur, cõuenientibus interdum paruis multis, vnam ex his summam quæ insignis sit, aceruari nescientes, temeréque scriptis à viro vno, cuius vnusquisque seipsum seruũ pronuntiauit, assentiunt. Quod si quis non fecerit, sed modo altero interdum viso persuasibili, in primo imaginationis conceptu citra multi temporis considerationem assenserit, per se & cum aliys temerè inconsultéque de rarenter viso, tanquam sapiùs, vel aßiduè apparente pronuntiat. Et has vtiq; in sectis discordias hinc maximè ortas esse par est, viris tum sapere apparentibus, tum sui amantibus visa probabilia, extrà sapiùs cum multis iteratam considerationem vera esse credentibus. Quo autem modo nunc in significatorio theoremate, tanquam in exemplo sermonem fecimus, sic in curatoriys, nihil quod paruum esse videtur, est contemnendum, neque temerè, neque absque examine dictis ipsorum facultatibus credendum, vt in therapeutica didicimus tractatione.

Cont

Contraria sensim adhibere oportet, atque interquiescere.

Sanatorium consilium vocare potes & salubre ipsum, tum nihil contemnendum, tum nihil temerè comprobandum demonstrando, veluti in exemplo quodam sermonis huius. Nempe Medici quidam consuetudines veluti paruum exemplum aspernantur, nullam ab ipsis ad sanationis discrepantiam fieri indicationem existimantes: alij verò non aspernantur quidem, sed nonnullos à prauis consuetudinibus ad contraria vniuersim raptímque transferre conati, non parùm errant. Non enim aspernari, neque vniuersim raptímque transferre oportet, sed sensim, & cum quietis interpositione. Verbum autem διαναπαύειν, id est, interquiescere bifariàm intelligere possumus. Vno quidem modo, vt non solùm quosdam paulatim ad contrariam deducamus consuetudinem, verùm quoque & in media tota transmutatione conquiescamus: vt si ex ocio ad exercitationem ducamus, primum quidem à leuißimis exordiemur, & sensim eam adaugebimus, deinde diem vnum aliquando, vel etiam duos ociosos adhibebimus. Altero autem modo potest verbum διαναπαύειν intelligi, tanquam verbo προσάγειν, id est, adhibere, contrarium: vt in quibus consuetudinem quæ anteà non fuit inducere volumus, sensim eam adhibeamus. In quibus verò

eam quæ priùs fuit soluere volumus, rursus in his interquiescamus.

Dolenti parte capitis posteriore, secta in fronte recta vena profuit.

Veteres interpretes ὠφέλησεν, id est, profuit præterito in tempore scriptum norunt: aiúntque verbum ὠφελέει in aphorismis scriptum esse, quòd in his quidem vniuersalem fecerit senex enuntiationem. Hic verò ὠφέλησεν sibi ad memoriam scripserit, in aliquo vno: vt cùm in multis auxilium expertus sit, de eo vniuersaliter enuntiare audeat. Constat autem & hoc topicum esse auxilium, & ad contraria reuulsorium. Rectam verò in facie venam & ex dissectionibus conspicuè videre licet: dissectio autem ipsam vtrinque confluere ostendit. Non rectè itaque quidam de sectione dictum esse verbum, recta, existimauerunt. Non enim dolentibus remedium propter sectionis figuram oritur, sed propter sanguinis vacuationem.

Considerandæ hypochondriorum exceptiones, ex qualibus ad qualia, atque aliæ. Inflammationum item viscera obsidentium qualia possunt, siue ex iecinore in lienem fiant, siue contrà, & quæcunque talia.

Non solùm ex qualibus atque aliæ scriptum reperimus, verùm quoque ex qualibus qualia alterent, & ex qualibus qualia faciant. Primam

sanè scripturam veteres norunt, & Rufus: alteram autem, scilicet ex qualibus qualia alterent, Sabinus & Dioscorides. Tertiam verò: ex qualibus qualia faciant, Lycus, veteris scripturæ intelligentia est vniuersale quippiam admonens, aliarum verò particulare. Nempe de hypochondriorum exceptionibus solùm enuntiant, non de omnibus. Satiùs verò in quibus licet, & verum est, vt ipsum vniuersale magis docere existimemus, vniuersalis autem sermo est eiusmodi: Exceptiones considerandæ sunt, tum hypochondriorum, tum aliæ omnes, ex qualibus fiant morbis, vel membris, in qualia, tum membra, tum morbos, veluti in hepate & liene: nempe exempli gratia horum meminit. Nouimus siquidem periculi plenos esse morborum transitus, qui à liene ad iecur fiunt: vacare autem periculo & ad bonum magis esse qui ab hepate in lienem. De absceßibus autem omnibus, & quos natura sola per se consueuit, & quos nos cum illa, vel soli, & in libro de humoribus, & in secundo epidemiorum anteà exposui, sunt autem & aliæ scripturæ quas prætermisi, tum in hac dictione, tum in aliis multis. Ego verò statim ab initio dixi memoriam esse faciendam paucarum, tum expositionum, tum scripturarum ne plures literæ præsentis fiant commentarii.

Reuellere si non quà oportet repãt humores:

mores: si verò quà oportet, aperire conuenit, vt singuli repant.

Iam & de his didicisti ducendos quidem esse quò repant per conferentes locos: auertendos verò & reuellendos qui non probè repant, στομοῦν, id est, aperire nunc dixit, non quomodò in castris dicere consueuimus, pro aciem penetrare, sed hoc generosius, in quo ἀναστομοῦν continetur, quod est aperire: aperimus siquidem venas in mariscis, vacuationésque molimur per nares, vel vuluam, & canales quosdam ex idoneo quidem tempore assuetos, sed aliquando adstrictos. Et cum quædam per aures ex consuetudine cerebrum expurgaret, retentáque subitò vacuatione vertigines superuenissent, aures ipsas aperientibus medicamentis irritantes, confestim adiutum hominem nouimus.

Lata exanthemata non valde pruriunt, qualia hyeme Simon habuit, qui cùm iuxta ignem vngeretur, vel lauaretur calidâ, iuuabatur, vomitus non conferebat: puto si quis calidis fouisset, iuuari ægrum potuisse.

Vt in phymatis dicimus quæcunque à calido fiant humore, citò indicatoria esse & minimè lata, quæ verò à frigido, lata & diuturna: ita & in exanthematis intelligere licet. Non enim toto genere à phymatis differunt: sed humoris talia procreantis qualitate. Procreãtur siquidẽ naturâ

profun

profundum corporis expurgante, vt interdum per excretionem, sic per reiectionem ad cutim: humores siquidem tenuiores aquosioresque digerit attenuans: crassioribus verò cuti infarctis & magis epidermidi quæ densa sit, exanthemata fiunt, idque magis ijs contingit quibus cutis, tum densior, tum durior existit. Nempe difficilis per ipsam fit humorum, tum crassorum, tum viscosorum transitus. Sic itaq; & Simoni hyeme lata exanthemata fieri cõtingit, quo tempore insigniter calfactum est corpus cùm lauacris vteretur. Reliquo verò tempore manebant in profundo taliũ exanthematum causæ humores: deinde ait ipsum à vomitibus non adiutum, vtrum autem Hippocrates ipse vomitibus vtendum cõsuluerit, vel alius quispiam, non aperuit: neque verò vt sciamus est necesse. Solum siquidem nosse sat est humores ad cutim repentes per illam vacuandos esse, quòd aduersissima ipsis sit in profundum reuulsio, vt per ventrem vel vomitus euacuẽtur, forsan itaq; existimabis me dicere, nunquam in talibus purgatione per ventrem vtendum. Ego verò hoc non dico. Nempe in libris methodi medendi didicisti, purgationes vtiles esse, vbi superfluitas humorũ multa sit. Nam si quis per fotum solum, id est, calidis vsus, priusquam vacuatũ sit quod abũdat, vel per sectã venã, vel per purgationẽ digerere conatus fuerit, per cutim reuellet magis quàm vacuabit. Infarctorum verò cuti prorsus curatio est

per

per fotus & calefacientia medicamenta, & potissimùm cùm lata fuerint. Ostenditur siquidem humor qui talia generat, neque calidus, neque tenuis esse: sed abundè crassus, vel frigidus. Iam & de phymatis anteà didicistis, quæ in acutum fastigiantur, & veluti turgent, calidorum humorũ sobolem esse: contraria verò frigidorum. Turgere autem ipsa dignoscere licet, per pruritum & dolorem. Nempe mediocriter calida, pruritus solùm pariunt: quæ verò ad caliditatem magis accedũt, statim mordent & contristant.

Quæ maturare conuenit, ea intus claudere oportet: contraria verò exsiccare, & aperire.

Sæpiùs & de hac re audiuistis, & potissimùm in ea quæ est de medicamentis ad suppurationem ducentibus tractatione, quòd vim ipsorũ euaporatoriam esse non conueniat: sed appellatã emplasticam, id est, meatuum obstructoriam, hæc siquidem intus coërcent, continéntque, atque intus claudũt natiuũ calorẽ, ne transpiret: coquuntur autem ab eo excremẽta. Rursus hoc loco neq; obaudiatis, neque existimetis me omnia dicere & quæ ægrè maturantur, & quæ pus nullo pacto habent, hoc curari modo: putrescunt siquidem nonnulla talia ab emplasticis medicamentis, vel ob humorum qui ipsa pariunt malitiam, vel ob affectæ partis imbecillitatem, quæ calorem natiuum ita paucum & imbecillum habeat,

vt neq; concoctionem humorum qui ad ipsam decubuerunt, aggrediatur. In his itaque profundis scarificationibus cutem aperimus, sæpiúsque & ad profundum vsque intersecamus in multis adfectæ partis locis, medicamentísque quæ maximè siccent, vtimur. Propè est enim talibus inflammationibus quæ vocatur gãgræna, victo iam in ipsis & propè ad finem extinctionis veniente natiuo calore. in quibus itaque phlegmonis, vel prorsus quibuscunq; tumoribus, abest à periculo extinctionis & perfectæ internitionis natiua caliditas, atque ob id auxilium consequuta vincere humores possit, in his vtimur emplasticis medicamentis, quæ in hoc ipso manifestauit inquiens: Quæcunque maturare conuenit. Quæ verò propè sunt vt gangrænam sentiant, & quæ iam putrescunt, neque principio ipso vt maturentur indigent: ideo hæc quidem, vt dixi, curamus tum vacuationibus per scarificationes & sectiones, tum validissimis medicamentis: quæ verò iam putrescunt secamus & vrimus. bene itaque adiecit: contraria verò exiccare & aperire, quæ scilicet vt ad suppurationem ducantur, non indigent. In his siquidem quæ suppurant, aperire oportet effluuia omnia, atque affectas partes arefacere. Constat itaque ex his non rectè ab aliquibus scriptum esse: Quæcunque maturare conuenit, κατακεῖσθαι oportet, id est ἡσυχάζειν κατακείμενα, quod est, iacentia quiescere.

Nemp

Nempe præter id quod paruum sit, liquidũ quoq; & opus non esse, vt diligenter de ipso Hippocrates scripserit, contrarietásq; ipsa declarauit, quòd non ad discubitum, sed ad inclusionem facta sit. nempe conclusis vtrísque cohibitis contraria sunt tum quæ euaporantur, tum exiccantur. Dictioni huic quidam copulant sequentem, & potißimum qui post hanc scriptum esse volunt τὸ ὅιον, vt totus sermo talis sit; Quæcunque maturare conuenit, ea intus claudere oportet, contraria autem aperire & siccare, vt fluentibus oculis si aliud conferre videatur, ad fauces reuellere oportet. quanquam non simile sit quod in hac oratione docetur, ei quod antè dictum est: Nempe siccare & aperire à reuellere differunt. Quo siquidem pacto præfatus: contraria siccare oportet & aperire, dicere tanquam exemplum potuerit in fluentibus oculis reuellere ad fauces oportet.

Oculorũ defluxus si modò conferre videatur, reuellere ad fauces oportet. & quà ructus prodest: & quæcunq; alia id genus.

Vnum aliquod speciale est reuulsorium auxilium, quo diuturnos oculorum defluxus transferre nobis præcipit, reuellitque ad fauces per acria scilicet medicamenta, quibus & palatum innungere conuenit, & gargarizatum iubere, modo nihil ex ea re deterius simus operaturi. Nempe *in quibus veremur, ne in asperam arteriam & pulmonem fluxio conuertatur, talem vitamus re-*

uulsio

uulsionem. Vt igitur in hoc praecepit, ita & in alijs te praeuidere voluit, ne pars ad quam reuulsionem moliris, laesionem insignem sit acceptura. Sunt qui orationem hanc Hippocrati factā asserant, de habentibus in oculo appellatam Rhoeada, vt Lycus, qui longam protrahens orationem ait, ex oculis ad palatum distribui meatum, per quem quod in oculis est procreatum superfluum euacuetur, positúmque meatum hunc ad medium angulum: fieri quoque & rhoeada tribus modis, vel meatu quodammodo conniuente, vel obstructo, vel collecto ita multo in oculo excremento, vt quippiam superfundatur, meatu nō omne id propter naturalem adstrictionem suscipiente: altero modo, cùm cicatrix in angulo procreata meatum occaecauerit; quam post euchantidum sectiones fieri ait, atq; aliter vlcerato loco. Hanc itaque insanabilem, reliquas sanabiles reuellentibus nobis ad fauces. Oratio autem: & qua ἐρεύξις, id est ructus prodest, scribente sibijpsi per notam Hippocrate. Nempe quòd vbi commoda sit eructatio, illuc ructus mouere oporteat, liquido cōstat omnibus, verùm in quibusnam commoda sit, non dixit. Imo neq; in fluentibus oculis simile est huic: ideo & praeter ordinem positum: obscuritatem fecit. Nempe de fluentibus oculis reuulsorium scripsit remedium. Orationem verò, & qua ructus prodest: ex duobus alterum vel de fluentibus oculis dici oportet: videtúrque nihil conferre ad

ipſorum ſanationem, vel alterius cuiuſdam orationis principium. Eam ob cauſam nõnulli hanc à prædictis ſeparantes coacti ſunt aliam hanc facere dictionem : & qua ructus confert, & quæcunque alia id genus meatus aperire. ſed neque hoc rurſus propriè inferri videbitur, vt nares atq; alia quæ oportet, & quæ ſequuntur. Qui itaque hoc ipſum per ſe ſolum ſummaria deſcriptione deſignaſſe ſibi Hippocratem aiunt : & qua ructus confert: exiſtimant ipſum velle interdũ præcipere vt ructus moueantur: aiúntque ipſos conferre in his qui ventrem flatibus diſtentum habent, & maximè, in quibus flatuoſus ſpiritus infernas non percurrit partes. Præterea ſtomachum ipſum languentem roborari per ructus aiunt, tanquam per propriam exercitationem, ructúſq; mouere iubent non ſolùm per medicamenta, verumetiam & ipſum aßiduè ſtudere vt eructet, quanquàm exiguum quempiam flatum in ſtomacho ægri ſentiant. Sabinus autem bibentem bombylio anguſtioris mouere ructus præcipit. Sunt qui ſpiritus flatuoſi vacuationes vndecũq; fiant, & quomodocunque ἐρυγὴν, id eſt ructum nominaſſe ipſum dicunt: ſecundũ quos & tußis, & ſternutatio, & ſingultus, & flatus qui per ſedem excernitur, & ſpiritus per vniuerſum corpus tranſpirationes ἐρεύξεις vocabũtur. Alij & excretionẽ omnẽ vocatã eſſe aiunt ἐρυγὴν, neque ſolùm ſi flatuoſi ſpiritus fuerit, verùm quoq; & liquid

liquidorũ aliorum, poëtæ dictionẽ testem citantes vbi inquit, ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω, id est, excernente foras mari, malam hanc expositionis viam dissecantes. Nam quæ raro à poëtis poëtico quodam modo dicta sunt, si vt propriè dicta quis enarrauerit, peruertere poterit & omnia quæ manifestè dicta sunt.

Meatus aperire oportet, vt nares, & reliqua omnia quæ oportet, & vt oportet, & qualia, & quà, & quando, & quantum oportet, vt sudores, & reliqua omnia.

Hoc per se quidem vt memoretur dignum existit: nempe meatus omnes superfluorum excretorios aperire conuenit, prædictæ'que orationi copulari potest, duplicem præstans vsum: proprium quidem in oculis fluentibus, communem verò omnium in quo reuellere, vel deriuare expedit. Nam si reuulsionis vsus fuerit, eámque facere vereamur, sanguinem vacuare conuenit, vacuúmque totum reddere corpus. Quæ deinceps scripta sunt, iam sæpius ab eo didicimus in vacuatione omni vtilia esse. Oportet siquidem non simpliciter cùm vacuationis necessitas fuerit, in ipsam procedere, sed quomodò facere hanc oporteat addefinire, & qualia esse conuenit quæ vacuanda sint, & per quem locum, & quando, & quantum. Dicendum verò & nunc recordationis gratia summatim de singulis. Oratio quidem: vt oportet: tale quippiam indicat:

Meatus aperiendi sunt, non tamen simpliciter, & qualitercunque, sed vt oportet. Hoc autem modum significat, per quem vacuationes sumus facturi: vt in ventre per clysterem, per balanum, & per subductorium medicamentum, atque in ipsorum singulis per qualiacunque. Nempe & clysteres varijs componuntur modis, & balani, & deiectoria subductoriáque appellata medicamenta. Oratio itaque: vt oportet: tale quippiam indicat. Verbum: qualia: eorum quæ euacuantur qualitatem indicat, id est, an aquosa & tenuia vacuare melius sit, vel pituitam, vel bilem amaram. vel melancholicam, vel aliquem ex his humorem, vel omnes. verbum ὅπῃ, id est, qua, partem corporis ostendit, per quam vacuare expediat, non solùm enim quòd per inferna vacuare conueniat scimus, verùm quoque & per quem infernum locum addefinire oportet. Ideo quidam pro ὅπῃ οὗ scripserunt. τὸ δι᾽ οὗ, id est, per quod indicantes, vtrum scilicet per vesicam, vel ventrem, vel vterum: & rursus per superiora, vtrum per nares, vel per os. Est autem & per vniuersum corpus vacuatio quædam per sudores, vel obscuram inuisibilémque appellatam transpirationem. Verbum, quando, temporis in quo vacuandum sit, est indicatorium: vtrum circa initia ante morbi coctionem, cùm scilicet, vt ipse dixit, turget, & ad excretionem humorum incitatur dispensans animalia natura, vel post con-

tristan

tristantium humorum coctionem: nempe & hoc ipse demonstrauit, quomodò & anteà in aphorismis. Oratio: quantum oportet: in dictionis calce posita, quantitatem eorum quæ euacuantur indicat, quam medicum obseruare oportet. Deinde in exempli partem adiecta est oratio: vt sudores. nempe quanquàm vtilis esse videatur ægris sudor: mediocritate tamen & ipse indiget. Nempe immodicus virtutem dissoluit: vbi autem in sudoribus copiæ excessus noxius fuerit, multo magis in his quæ vomuntur, vel deijciuntur, vel per mariscas, vel vterum euacuantur.

In magnis malis facies si bona fuerit, signum bonum. In paruis verò contraria bonæ significans, malum.

Dictiones quoque huius secundum partem alius aliter scribit, ex his qui librum enarrauerunt. Si verò ipsi quis articulum, τῇ, adiecerit hoc pacto, τῇ εὐσχημίῃ, id est, bonæ scilicet faciei, nihil ambigui talis habebit dictio: in paruis verò contraria τῇ εὐσχημίῃ, id est, bonæ, significans, malum, vt & sermo omnis talis sit: In magnis malis, vel morbis, vel symptomatis facies, si bona fuerit, id est, naturali similis, signum est bonum. In paruis verò, rursus hic vel morbis, vel symptomatis si contraria indicans fuerit facies prædictæ bonæ, malum aliquod indicabit. Quidam verò propemodùm, veluti ab initio factæ orationis cum articulo enarrationem fecerunt:

sed non ostenderunt vetera exemplaria habere τῇ scriptum cum ἰσχμίῃ, forsan errante primo libri scriptore. Alij non solùm aliter scripserunt, verùm queq; & perperàm enarrauerunt. Ego verò prouidēs, vt in principio prædixi, ne in prolixitatem commentarios extenderem, multa ex his quæ perperàm dicta sunt prætermittere statui. Idoneus siquidē esse mihi videtur expositionis scopus, si quis in ipsa & vera docuerit, & secundum mentem senis: quomodò & nunc fecimus sublato multiloquio. Nam magnis existentibus malis, si facies vt morbus expostulat, non collapsa fuerit, signum est bonum. In paruis verè si econtrariò, malum quippiam significat: vti autem & his licet cui ita placuerit. Ego verò ad veterem, & alijs interpretibus omnibus confessam, pergam scripturam.

Ad magnū cuiusdam vxor post heroum ictero∫o superueniente.

Siue præscriptæ orationis finem faciat dictiuncula hæc: παρὰ τὸ μέγα, id est, ad magnum, siue loci alicuius index sit, permittam his quærendum qui medicinalia quidem percurrunt, sed vt grāmatici potiùs quàm vt medici cupidè exponere proponunt. Nempe in dictiuncula hac: ad magnum: tantum dicere satis erit, quantum veteres dixerunt interpretes, vt vel theatrum, vel ᾠδεῖον, id est, locum in quo canitur, vel gymnasium heroum, vel domicilium aliquod significetur

mag

magnum, vel quoduis aliud eiusmodi. Deinde si ad opera artis quippiã vtile fuerit, ad illud pergere: contemplari autem quòd æger ille habitaret post heroum, vel Menelaum, nam quidam ita scribunt, nihil commoditatis habet, sicuti neque quod post hæc dictum est: ictero so superueniente: & si quàm maximè vtile esset Hippocrati ad memoriam forsan quidem prædictorum, forsan verò & ipsum per se. Morbi siquidem vel coloris icterosi qui mulieri superuenit, meminit: hîc quoque tum apud veteres interpretes, tum exemplaria perperàm scripta est oratio. Nempe secundum alios quosdam interpretes adiectum est orationi: ictero so superueniente: verbum, permanebat, quomodò & rursus secundum alios cum negatione, non permanebat: nonnulli &, ipsi, adiecerunt. sed hoc quidem in dictione accipit discrimen non in intelligentia. Priora verò intelligentiam mutant ad contrarium: nempe altera scriptura icterosum morbum, vel colorem permanere significat, altera non permanere. Per se itaque scripta præsenti dictione, neque si permanebat, neque si non permanebat, habet commodum quippiam, ignorantibus nobis quónam pacto intellexerit, vel quam habuerit adfectionem: si verò suprà scriptis coniungerentur, superflua prorsus essent. Nempe dictum esse solùm ictero so superueniente, sat est: exemplóq; hoc eius quod circa faciẽ apparuit, tanquã sola alia parua

esse apparerent, declarauit contrarium, quoniam valde recessit à naturali. Nempe quod infertur docebit me hoc testari, ad quod transire iam est occasio, relictis alijs præsentis dictionis expositionibus: forsan enim & quæ nunc dicuntur, præter meam mentem protrahuntur, qui prætermittere statuerim quæcunque nouellos ipsa legentes nihil ad artem iuuabant. Non enim ipsis apparatum sophisticum apparare proposui quem semper odi, sed ad artis opera, in prænotione & curatione, quæ & mihi perpetuò exercitationi fuere.

Qui apud Timenei neptim habitabat, hic nigro est infectus colore.

Si ad ea quæ de facie dicta sunt & hoc quis referat, commoditatis quippiam habebit: tanquam in exempli parte dictum. Nempe & hunc ex alijs paruis versionem corporis insignem in id quod præter naturam est nactum, obijsse vel periclitatum fuisse par est, ob id solum. Si verò & μελάγχλωρος, id est, ex nigro viridis scriptum fuerit pro μελάγχρους, id est, nigro colore, vt in quibusdam exemplaribus scriptum reperi, iam colorem hunc solum malitiam quandam magis demonstrare videbitur, quanquàm ægro reliqua parua fuerint.

In Perintho genituram repræsentans tale quòd iudicatorium, & quæ circa abdomen talia: quòd vrinæ fluunt, quia neque flatu multo, neque copioso stercore

viscoso

viſcoſo percurrente euacuabatur, nõ enim magnum erat hypochondrium. Crambẽ ſeptimo die edit, cùm adhuc difficulter ſpiraret, quæ circa abdomen erant, euacuabantur, bene ſpirans effectus eſt: aluúſque ipſi eſt reddita.

Non principium præſentis orationis, ſed finem prioris exiſtimat Sabinus in Perintho. Ait ſiquidem præſentem ſermonem vniuerſalem eſſe, particularem verò illum. Conſueuiſſe autem Hippocratem particularibus ſermonibus adſcribere, vel locorum, vel ægrorum nomina: quanquam præſens ſermo particularis, vt conſtat ex his quæ inferens inquit ipſe Hippocrates: quia neque flatu multo, neque copioſo ſtercore viſcoſo percurrente euacuabatur. Complura in epidemijs quidem ſcripta ſunt, quæ particulariter in quibuſdam viſa ſunt: ſubiecta verò præceptis vniuerſalibus, vel perpetuis, vel quæ vt plurimùm euenerunt. Sic itaque & hoc loco γονοειδὲς, id eſt, genituram repræſentans, ſiue vrina, ſiue deiectio fuerit, in Perintho iudicatoria apparuit. Vtrum autem vel multis, vel paucis, vel vni contigerit, non eſt in oratione Hippocratis definitum. Probabilius tamen eſt hoc multis eueniſſe vagantium morborum tempore cùm hæc ſcriberet Hippocrates. Nempe cùm in vno quodam factum quippiam ſcribit, adijcit, vel locum ciuitatis, in qua iacentem hominem vidit, vel

ætatem, vel nomen: vrbem autem nominatim perstringere consueuit in illis expositionibus, in quibus multos qui hæc paterentur vidit. In hoc itaque magnum discrimen non est, vt ad artis opera, copulétque quibus quis voluerit orationem, in Perintho. Genituram repræsentans autem vel vrina, vel deiectio indicatoria interdum fuerit, cùm humor à Praxagora vocatus vitreus euacuetur. hæc verò oratio: & quæ circa abdomen talia, eget quidem vt ad quod prædictum est referatur: nempe talia ad alterum referri dicuntur. sed nihil de abdomine est dictum: forsan itaque vel cùm primum exemplar commentariorum Hippocratis scriberetur, prætermissum est tale quippiam scriptum, vel hoc sibi ipse in commentarium regessit, quod ad primum ægrum refertur, de quo hoc solùm prædixit: Qui apud Timenei neptim habitabat, hic nigro est infectus colore. Quidam propter hanc ambiguitatem ita duplicauerunt dictionem, quòd indicatorium, & quæ circa abdomen, quasi & ita scriptum sit: genituræ similem vrinam quòd indicatoria, & quæ circa abdomen sunt mala considerare oportet: & rursus principio alio, talia quòd vrinæ fluant, vt intelligamus talia quæ in abdomine fiunt. Reique huius testimonium deinceps scripsit: quia neque flatu multo, neque copioso stercore viscoso percurrente euacuabatur, id est; nullo alio facto

quod

quod abdominis tumorem soluere potuisset, ex solis genituram repræsentantibus vrinis morbus est iudicatus. Forsan enim tale erat abdomen, quale & in prognostico ipse percurrit in hac oratione: Hypochondriorum dolores, tumorésque, si & recentes, & sine inflammatione fuerint, murmur in hypochondrio factum soluit: & maximè quidem si cum stercore & vrina egreditur: quòd si non egressum fuerit iuuat si ad infernas descẽderit partes. Non enim phlegmonem, vel huius quippiam ægrè solubile aut in hepate, aut intestinis, aut in ventre constans, genituram repræsentans vrina soluit: quapropter ipse intulit, non enim magnum erat hypochondrium, quòd si vtique magnum erat, non est solutum ipsum per excretionem genituram repræsentantis. Quoniam verò quod infertur, non admodùm consonare videtur hoc pacto prædictis, ob id quidam ipsum principio alio legerunt in prima syllaba οὗ aspirantes, articulúmque masculinum in casu generandi facientes, perinde atque ita dixerit: οὗ γὰρ δὴ ἀνθρώπου, id est, cuius siquidem hominis magnum erat hypochondrium, Cramben edit septimo die difficulter adhuc spirans: quoniam verò abdomen euacuatum est, εὐθύπνους, id est, bene spirans, & secundum naturam respirans factus est. Vtrum verò Crambe subducta aluo, vel diminutionis ratione auxilium præstiterit,

non

non scripsit. Alij dictionem ἰυθύπνυς exposuerunt veluti vocato ipso, significari ex ea orthopnoicum appellatum difficultatis spirandi modum dicentes. In ænigmaticis siquidem orationibus quod quis docere voluerit, potest, nihil nobis insigniter in ipsis adiutis. In quibus neque Hippocratis mentem discere exactè possumus, quanquam interpretum.

De sanguine ichoroso considerandum, quòd in timentibus talis sit, vel in peruigilibus, siue bonus siue malus fuerit.

Quòd non simpliciter tenuem & aquosum sanguinem vocauerit Hippocrates ichorosum, existimare oportet, sed qui cum virulenta quadam & maligna sit virtute. Nempe in secundo epidemiorum ipse scripsit: Fiebántque sub cutem ichores, intúsque prehendentes calefiebant, ciebántque pruritum: deinde phlyctænides, veluti ex igne ambustis suscitabantur, atque sub cutem inuri videbantur. quónam itaque pacto non parua ab ichoribus symptomata fieri aiat, est manifestum. Et Plato in Timæo tale quippiam indicat ichorum appellatione, ita inquiens: Ichor autem qui sanguinis serum existit, mitis est: nigræ verò bilis & acidæ, agrestis. Ichorosus itaque sanguis vocatur, qui prauam in se continet humiditatem tenuem, non aquosam, & mordacitate vacuam, sed tum mordicantem, tum rodentem. Cùm autem Plato dixit: Ichor autem

qui

qui sanguinis serum est, benignus existit, bilis verò nigræ & acidæ, agrestis: nobis ostenditur, vt in lacte serosa quædam est humiditas, veluti crassioris in eo partis colamentum & offusio, ita & omnibus, esse tum succis, tum humoribus serosam quandam & tenuem humiditatem. Different igitur inter se pro naturis humorum quorum sera sunt: fietque molestissimus quidem bilis nigræ, minus verò molestus flauæ, & hoc multò minus molestus pituitæ, mitissimus autem omnium sanguinis ichor & serum: nihil enim impræsentiarum intererit dicere hoc vel illo modo. At quoniam sanguinem bifariàm dicimus, interdum quidem contra nuper dictos humores distinguentes: interdum verò & per mixtionem totum qui in vasis continetur humorem ichorosum, sanguinem nunc intelligere oportet in secundo significatu: quomodo dicunt & ex vsu Medici omnes vacuatum esse sanguinem, interdum serosum, interdum melancholicum, interdum pituitosum, interdum biliosum, & interdum secundum naturam. τίτθώδης itaque, id est, timentes, siue turbatos cum metu perpetuo faciet sanguis ichorosus, atque etiam peruigiles. Si verò & praui cuiusdam succi serum non solùm sanguinis in sanguineis vasis contineatur, desipientias, phrenitidas & manias procreabit. At nunc meminisse seri sanguinei visus est, recordationem quandam sibi scribens talem: Nempe pi-

tuito

tuitosum serum timiditatem parere æquum est, quanquam non vigilias vel turbationem, vel motionem animæ timoris plenam. Pigrum enim ipsi & frigidum inest, non mordicans neq; malignum, nisi forsan & hoc corruptum, aut acre aut salsum fiat. Præterea inquisitione dignum existit illud quod dicitur: siue malus, siue bonus fuerit. Nam si quis sanguinem ichorosum simpliciter malum esse pronuntiauerit, bene dicere videbitur: nempe omne quod ita dicitur, ad id quod secundum naturam est comparatur. Si quis verò cum cæterorum succorum ichoribus sanguinis ichorem comparans non malum, vel bonum esse diceret, hoc etiam pacto vera loqui rectè existimaretur. Sæpius enim huius temporis homines atque antiqui, minus malum appellare consueuerunt vel bonum, vel vtile, vel laudabile, vel tale quippiam, & maximè cùm magna quædam fuerit valde mali exuperantia, ad id quod mediocriter à naturali recessit. Quærente igitur Hippocrate de sanguine ichoroso si vel bonus, vel malus fuerit, possumus nos respondere, optimo quidem comparatum sanguini, malũ esse ipsum: cæteris verò omnibus quibus ichor cum altero quodam prauo humore est permixtus, multò tum meliorem, tum valentiorem, atque ob id commodum.

Quibus lienis deorsum vergit, his pedes, manus, & genua calent, nasus & aures

aures perpetuò frigent. an ob id quòd tenuis sit his sanguis? an & naturâ talem hi habent?

Quòd lienis quidem κατάῤῥοπος, id est, deorsum inclinationem habens dicatur, per ipsam etiam vocem constat. Si autem in tumoribus qui partes ipsius inferas obsident, vel quando in ipsas corporis inferas partes prauos pellit ex se humores, lienem appellauit catarrhepon, ex voce doceri non valemus: quanquam fieri posßit, quantum ad rerum naturam attinet, vt iuxta dictum vtrumque, dictum ab ipso esse lienem κατάῤῥοπον concedamus. Pedes siquidem inquit, manus, & genua calent, nasus verò & aures frigent: genua itaque & pedes in liene deorsum vergente calida apparere, non sine ratione est, veluti & nasum & aures frigidas esse. Manus verò in morbo deorsum vergente calidas esse, rationi est dißentaneum. Nempe manus ipsas quis superas inter partes posuerit, si minus, saltem non inter inferas. Causam itaq; respiciens Hippocrates, quòd aures quidem & nasus frigeant, inferna verò caleant inquit: an ob id quòd tenuem habeant sanguinem, aut cùm lienes deorsum vergentes fiant? Nempe quidam non lienibus opponi aiunt, an & naturâ talem hi habeant, sed illi quod ab ipso scriptum est, faciúntque talem orationem totam: an & natura talem habeant, vel empyematis. Est itaque diligentiùs de ipso

deinceps

deinceps considerandum ,qui ita scribunt , vel, empyematis prædictis his coniungunt : qui verò principium ipsum volunt deinceps scriptorum, verbum,vel,sustollunt,& talem quandam efficiunt dictionem : Quibus empyematis terminus, suppuraturis his alui perturbantur : ventris perturbationem suppuratorum signum constituentes. At verò non suppurantium omnium ,sed eorum solùm quæ excretione per intestina rumpuntur,signum hoc scripsit Hippocrates. Si verò non definiens de qualibus dicat, pronuntiauerit, nihil miri si eius quod ab initio est dictum, memores fuerimus ; Hippocratem scilicet sibi hæc veluti apparatus quosdam in commentarios scribere. Solùm enim pertinet ad memoriam eorum quæ sibi vult indicare quod proponitur in scriptura : alui perturbantur : dicente ipso ventres perturbari in talibus suppurationibus , quibus antequam rumpantur , desudat ichor quidam tenuis ex pure : ob quem demorsa intestina , ventris perturbationem quandam efficiunt , id est tum morsus,tum continuas excernendi cupiditates. nonnulli verò & talem quandam norunt scripturam.

Quibus suppurationibus vmbilicus terminus est, suppuraturis his alui ptur bātur.

Vult paucis ostendere Hippocrates quod in prognostico manifestè est dictum:minimè autem quæ sub vmbilico infestant ,vertuntur ad suppuratio

purationem: quibus verò suppuratio rumpenda est: ventres antè perturbantur. Diuersis autem modis atque aliter scribunt, diuidúntq; non hanc solùm orationem, verùm quoque & alias quamplurimas, qui librum hunc exposuerunt: ita vt quis eorum qui ad opera artis properant, excidat. Videntur quidam facere quod Timon dixit, confingens quiduis, caro exigua, ossa multa. Nonnulli & sequentem dictionem, cuius principium est: lienis non suprà, sed infrà durus, huic coniungũt, vt de lienum differentijs sermo ipsi fiat. Pergentes itaque ad illam, differentias contemplemur: habent enim quippiam quod vtile est.

Lienis non suprà, sed infrà durus, rotundus, latus, crassus, longus, tenuis.

Tumorum præter naturam lienis differentias in hac scripsit oratione, forsan sibi summaria descriptione designans, quòd lienis deorsum vergentis meminerit. Prima itaque differentia vna est ex huiusmodi lienis differentijs: nempe cùm durus fuerit non suprà, quòd infrà durus fuerit, constat omnibus. Secunda autem earum quas recensuit in præsenti oratione differentia, deorsum vergentium lienum ipsorum rursus propria est. Horum siquidem deorsum vergentium lienum, cùm commune sit partes quidem superas non habere duras, inferas verò habere: alius quidem rotundus, alius latus, alius in longitudinẽ auctus, vel cum tumore præter naturam, vel absq; illo solum na-

ctus secundùm longitudinem incrementum, priorem declarauit, cùm inquit, crassus, longus: posteriorem verò cùm dixit, longus, tenuis. Bis siquidem verbo, longus, ab Hippocrate scripto, vt quispiam imaginatus fuerit, alterum sustulerunt qui librum scripserunt, talémque fecerunt orationem, qualem nuper antè scripsi. Vt autem agamus de prima ipsorum differentia, in qua dixit: lienis non suprà, id est, infrà durus, tanquam & deorsum vergens, rationi est consentaneum, deinde differentias ipsius quatuor dixit: vnam quidem quâ rotundus, alteram quâ latus, communem vtrisque bis habentibus, non adauctum scilicet secundùm longitudinem lienem, duas verò alias differentias: alteram quidem, quâ longus & crassus fit, reliquam quâ longus & tenuis. Bis enim, vt dixi, scripto verbo, longus, cum qui ex antiquis rescripsit commentarijs tanquam superfluum prætermisisse par est. Vetus itaque scriptura talis quædam est, in qua verbum, longus, bis ab Hippocrate scriptum dico, semel à bibliographo. Forsan autem fieri potest, vt quanquam semel ab ipso Hippocrate scriptum fuerit, in medio tamen verborum, tum crassus, tum tenuis admittatur, coniunctúmque, tum prædicto, tum post ipsum dicto, multa siquidem atque alia einsmodi apud veteres reperiũtur. Interpretes verò sum admiratus, qui diuersis transcripserunt orationem modis, atque aliter alius. Nempe si quis

prorſ

prorsus à vetere discedere scriptura audeat, circa aliquid quod verisimile sit contendere hunc oportet, quomodo rationi consentaneum esse nunc dixi, vbi bis scripto verbo, longus, alterum est prætermissum. Quòd autem ita habentem scripturam norint veteres omnes interpretes, testimonia & de Zeuxide fuerint optima. Is enim quòd præsentē dictionē perperàm interpretatus Glaucias fuisset, nihil quidem de scriptura obijcit, quanquam & oratio hæc ambigua ipsi videretur: quòd verò dictis negationes adiecerit, accusat. Hærere enim ait ipsum, & non posse præsentem dictionem exponere prædictis omnibus negationes adijciendo, tanquam ita scripsisset Hippocrates: Infrà rotundus, non latus, non longus, non tenuis. Existimabat etenim Glaucias impoßibile esse vt mala hæc omnia excipiat lienis, quæ simul esse non possunt, tanquam homine in vno omnia hæc intelligere necessarium sit, neque item differentias consequenter scripsisse Hippocratem ad memoriam, vt anteà scripsit, tum difficultatis spirandi, tum febrium: ita nec in deorsum vergentibus lienibus tumorum præter naturam. Si verò dictis affirmatiuis negationes apponere liceat, omnem ita quis corrumpit doctrinam, nullámque veterum quæ certa sit, seruabit mentem.

Minus his qui à capite coryxa laborant.

Nihil aliud intelligere possumus, quàm quòd quæ dicta sunt lieni contingere, minus his fiant qui à capite coryzam patiuntur. Causam rei huius referunt, tum Rufus, tum Sabinus, quòd sanguis per coryzam expurgetur: ob id siquidem existimant nihil ad lienẽ pertinere. Verùm ad vniuersalem sermonem, non particularem reducere est melius, rarißimum siquidem est toto in corpore partes quasdam duas similiter imbecillas esse. Nempe plurimis tale vnũ fieri videtur, in quod & si plethora & succorum malitia quædã fiat, superflua confluant omnia. Pars autem vna vbi ea excipere anteuerterit, reliquæ secundùm naturam manent. Non solùm itaque his qui à capite coryza laborant, verùm quoque & his qui partem aliquam vel respirationi obseruientem vel circa renes, vel circa hepar, vel circa ventrem, naturâ imbecillam habent, pati illud magis inueneris, quàm lienem. Hoc autem existente communi & vniuersali, adijciat quis proprium eorum quæ nunc dicuntur: in quibus colligitur pituitosa humiditas vel tenuis, vel aquosa, quales sunt à capite coryza laborantes, his non admodùm tumores præter naturam in liene consistunt, qui scilicet crassos & melancholicos concomitantur humores.

Quæ'nam circa ægrum œconomia fuerit, est considerandum, quæ'nam ad morbum interrogationes, quæ æger narrat, qualia,

qualia, quomodo accipiendi ſermones, quæ ad ægrum, quæ ad præſentes, & quæ ad exteriora ſpectant.

Peculiare nomen dicendorum inuenit, cùm inquit œconomia, id eſt, adminiſtratio & diſpenſatio. Non enim vt in cæteris ferè omnibus libris affectuum vel dignotiones, vel curationes, aut futurorum præſenſiones ſcripſit, ita & nunc: ſed quónam quis modo medicinalibus ſpeculationibus vtatur, inſtante perſequitur oratione, non ipſis quidem particularia, ſed vniuerſales tantùm ſummas ſcribens. Primúmque inter hæc commemorat interrogationes, quas ad ægrũ facit Medicus: deinde percurrit narrata ipſius. Narrare ſiquidem ægri multa conſueuerunt, quæ dicentis mentem aperire poſſunt: vt ſi non anteà ipſum viderimus, ex his quæ narrabit, qualíſnam ſit intelligemus, ita ſecum agentes. Nempe ſi hominem hunc prudentem eſſe ſciueris, pariterq; non meticuloſum, loqui vera eniteris, nihil quæ in morbis ventura ſunt veritus. Si verò, tum imprudentem, tum meticuloſum eſſe noueris, ita vt & triſtior ſit, referre hæc omnia nihil quod inſigne ſit mentiens tentabis: quòd ſi & ſummũ ob ægri metum certam ipſi ſalutem polliceri compellaris, ſaltem cùm diſcedes familiaribus ægri vera dicito. Conor verò & ægris ipſis tametſi ſummè meticuloſis, non vt qui promptè mentiuntur, ſalutem polliceri non adijciẽdo te principiũ hoc fore

si omnia feceris probè, & Medicorum obtemperaueris præceptis, nempe hoc pacto neque ille formidabit, & tu sæpius vera dices. Plurimi siquidem fallaces morbi, ægros Medicis haudquaquam obtemperantes euertunt: sicuti pauci admodùm tollent, si neque deliquerit Medicus, neque æger, neque ministri, neque aliud quippiam externum fortè fortuna nocumento adsit. Qui enim ægros in morbis fallacibus plus iusto alacriores reddunt, tristitiam sequentibus diebus aceruant ipsis cumulatiorem, cùm scilicet morbus fieri videatur vel diuturnior, vel deterior præter Medicorum promissiones. Sunt præterea plerique homines, qui perinde atque absque periculo ægrotent confidentes, Medicis non valde obediunt. Satiùs itaque fuerit, vt ægri mores quos dum valebat obtinebat, anteà cognoscantur. Si verò ita sit vt nunc ipsi occurramus, ex his quæ narrat qualísnam ipse sit, intelligemus. In quibus verò præcognoscimus, nonnihil quidem quod ad morbum faciat reperire valemus. Nam si naturâ modestus fuerit, & audaciter respondeat, prudens itidem naturâ si in narratis imprudens videatur, ex eo mentem ipsi oblæsam esse demonstratur: quomodo si & sobrius, & cogitabūdus, aut vigil fuerit, eúmq; naturâ longæ oblectent narrationes, segnísque & lentus in narrationibus, vel responsionibus videatur. Ex voce ipsa quoque & nonnihil de morbo

coniectu

coniectura assequi licet. Nempe alij vix loquuntur, alij raucè vel acutè cùm morbus fatigat: alij balbutiunt, tortáque loquuntur lingua, quorum singula quídnam significent, ex aiijs constat. Ex talibus verò de ægro certior fiet Medicus, qualísnam & mente, & moribus sit, & quénam morbi ipsius forma: rursúsq; ipse tum ægro, tum ministris ex ipsis operibus qualísnam quis sit arte declarabit. Nasum siquidem acutum, concauos oculos, & collapsa tempora quis acuto in morbo contemplatus, interrogat vacuatióne aliqua ipsi facta sit, vel vigilia, vel mœstitia, ciborúmque inopia, & labor vehemens: quòd si ab his immunem conspexerit, interrogabit, fuerítne consuetarum excretionum retentio, an præter con suetudinem ex ocio, & repletione dissolutus sit. Poterit & de frigiditate inquirere, & inustione, & liberali vini potione, atq; talibus quibuscunque pro eorum modo: ita vt ob id primùm ab aßidentibus laudetur. Nam si Medicus ægro, assidentibúsq;, tum præcognita, tum quæ præcognoscuntur interrogat, continuò ipsum demirantur: quomodo si his quæ contigerunt contraria interrogat, vituperant. Prætereà si quædam eorum quæ ægris contigerunt priusquam ab ipsis audierit, media orationis figura, tum interrogandi, tũ enuntiandi consequutus fuerit, demirantur. Sed dicta sunt alibi hæc omnia à nobis. Et nunc, vt dixi, quòd sola ipsa, primásque summas perse-

quatur Hippocrates, nos itidem ipsa secundùm primam quandam sectionem percurrimus. Nam si particularia omnia dixero, huc & prognostici, & de iudicationibus commentarios traducere compellar. Exteriora sunt quæ ad œconomiam vsumq; conferunt: & nonnulla eorum, quæ ab Herodoto scripta in eo sunt libro, qui Medicus inscriptus est: dicta quoque & à nobis sunt, in quibus præsensionem persequimur. Rursus itaq; sumptis ab initio sermonis summis, ad aliquod eorum quæ scripta sunt, transeamus: vt in vita nancisci conferentia omnia, cibos dico, instrumenta, ministros, subiugalia, atque pecora alia, domos, frumentum, legumina, bellaria, vinum, oleũ, atque alia eiusmodi, ab horum conuenienti vsu, quod œconomiam vocant, valde differre. Consimili modo non est idem in medicinalibus artem didicisse, & commodè his vti quæ quis didicit: qui scilicet sciat tempestiuè quidem interrogare, loquíque, & tempestiuè audire aliquid ex ægro & familiaribus, atque cum ipsis differere, vt in obsequium exhibendámq; operam quàm commodissimi existant. Prænoscenda quoq; & exteriora quæ, tum à Medicis, tum ab ægri familiaribus contemnuntur. Inter quæ maximè commoda existunt, quæ ad decubitum spectant, vel ædibus omnino prauis existentibus, aut cubiculo ipso in quo ægri habitant, prauum ob odorem, vel aërem aut calidum, aut frigidum, aut putrilaginis re-

fert

fertum. Prænouisse quoque Medicum oportet & molestiam quam inferunt, tum vicini, tum qui publicas occupant vias, & de his omnibus cùm ægri, tum ministris, tum amicis disserere. Ea siquidē est, & talis quædā circa ægros œconomia.

Quòd in calidiore & robustiore, dextra scilicet vteri parte, ideò & nigri, ob id & extrà prominent venæ, & biliosiores existunt.

Neque est vt mirum sit hoc loco sermonis totius maximè continuitatem prætermissam esse. Neque enim liber hic opus est quod ad publicationem confectum sit, sed adparatus quidam, vel formulæ quales nobis ipsis facere consueuimus. Nempe *si opus fuisset, orsus ita vt in aphorismis scripsit, sequentia adiunxisset, totam orationem ita componens: Fœtus mares quidem in dextris vteri partibus magis coagmentari, formaríq; reperiuntur. Fœminæ verò in sinu altero, læuo scilicet. Quòd enim calidius in calidiore vteri parte formetur, par est: calidior autem est mas, vt venarum magnitudo ostendit, & color, nigriores siquidem quàm mulieres omnino sunt viri. Ita quidem si opus scripsisset Hippocrates, sicuti libros de fracturis, de articulis, prognosticum, & alia eiusmodi, enūtiationem confecisset. At quoniam, vt dixi, soli sibi hæc summaria designauerit descriptione, ob id sermonis summam prætermisit: neque enim de conceptis maribus dici hæc*

aperuit. Marem autem in dextra vteri concipi parte, alij quoque vetustißimi viri affirmauerunt, nempe Parmenides ita inquit: dextris quidem pueros, sinistris verò puellas. Empedocles ita: Mas in calidiori terræ loco fuit, & ob id viri nigri robustioréſque, & capilloſi magis. Quod autem vera ſit de maris tanquam calidioris temperatura opinio, in libris de temperamentis ſermo eſt abſolutus. Nunc verò, vt ſæpiùs dixi, decreta Hippocratis non niſi obiter demonſtrare propoſui, ſed dictionem explicare. Fuerunt ex recentioribus interpretibus, qui dictionem hanc tranſcribere auſi ſint, pro τερεάτερον, id eſt, robustiore, τερεώτεροι, id eſt, robustiores facientes: arbitrabantur ſiquidem ipſi à ratione alienum eſſe, vt dextra vteri pars ſicuti calidior, ita & robustior diceretur. Nempe quantum ad robur attinet, pariter habere videtur: atque ob eam rem ſcribendum eſſe dixerunt, quòd in calidiori vteri parte robustiores & nigri, per hoc ſignificante oratione, in calidiore vteri parte dici τερεώτερον, id eſt, ἰσχυρώτερον & εὐρωστότερον, id eſt, valentius & fortius, quoniam & calidius natura existit. Sed de veritate decreti, impræſentiarum dicere tempeſtiuum non eſt. At quoniam affirmantibus dextras omnes partes calidiores eſſe, & valentiores propter poſitum hepatis, contradixerunt quidam obijcientes: cor in ſiniſtris ſitum eſſe, dextrum oculũ ſiniſtro nõ magis

cernet

cernere, aurem non magis audire, crus non magis ambulare, sanè sola in manu tale probabile esse videtur: ob id pauca aduersus ipsos dicentur. Nempe potissimum argumentū quòd masculorum bona pars in dextris partibus concipiatur, ex animalium apparet dissectione. Duos igitur habente sinus vtero, qui in collo vtrique communi coëant, mares quidem prorsus in dextro concipi videntur: fœminæ verò in altero. Satius verò erat rei huius apparentis causam inquisiuisse, & veritatem non tentasse peruertere ob causæ ignorationem, vos verò & causam in anatomicis administrationibus didicistis, ad dextram quidem vteri partem perpurgatum in renibus sanguinē pertinere, ad sinistram impurum & serosum contemplati. Vidistis & cor in medio thoracis situm esse, non in sinistris. Quosdam verò existimasse cor ipsum in eam partem magis collocatum esse, æquum est: quòd hîc pulsum indicet, tanquam sinistro ipsius ventriculo pulsante.

Quod concreuit coaluítque celerius, motum quiescit, tardiúsque augetur, & longiore tempore.

Sæpiùs dixi hoc in libro mille esse scripturas, quas propter obscuritatem alij aliter concinnant, prout vnicuique verisimilior visa fuerit explicatio, sed antiquas praeopto scripturas, tametsi incredibiles esse videantur, maiorémque habeant ambiguitatem. Ob id siquidem ita dictas

esse

esse quis credit: quòd & si ambiguitas circa expositionem comperiatur, vetustissimi tamen interpretes in his concordant: quòd si & ipsas transcribere ausi sint, in pleniorem permutauerunt dictionem, ita vt verisimilior facta sit explicatio. Præsens itaque oratio & si nunc hoc pacto in vetustis exemplaribus scripta sit, eámque ita habere agnoscant antiqui interpretes, plurimi tamen ex recentioribus verbum ἐμολύνθη, id est, cessat, sustulerunt: alij verò verbo, motum, tardiùs adiecerunt, vt dictio facta sit eiusmodi: Quod concreuit coaluítque celeriùs, motum tardiùs augetur, alij orationem: atque ob id: in fronte orationis collocauerunt, vt talis facta sit: atque ob id concreuit coaluítque, sententiam verò in scripturis omnibus non valde permutauerunt. Volunt siquidem interpretes, tum concrescere, tum coalescere ob id celeriùs marem fœmina, quòd calidior sit, celeriúsque & ob id moueri aiunt. Propterea conuenit inter Medicos ferè omnes, marē fœmina non solùm conformari celeriùs: verùm quoque & moueri. Sed de his apertè dictum est, tum in libro de pueri natura, tū apud Dioclem de mulieribus. Rufus ait Diogenem Apolloniatem vnum contradixisse in secundo libro de natura, quem non legi. Testes porrò sunt & quæ vterum gerunt, mares celeriùs motum exordiri, mouerique motionibus, tum pluribus, tum vehementioribus. Dicitur autem in præsenti oratione:

Quod

Quod quidẽ celeriùs συνεκρίθη καὶ συνέστη, id est concreuit coaluítque, hoc est ἐπάγη καὶ ἐστερεώθη, id est, coagmentatũ firmatúmq; est: posteà augetur tardiùs mas quàm fœmina. An verò solã auctionem eam nunc dicat, quam cum vtero geritur habet, aut sequentem, est incertum. Est autem verum, fœminam ab enixu citiùs augeri, atque incrementum ipsi priùs consistere. Celeritatis autem incrementi causa est corporis mollitudo: faciliùs siquidem crescunt distenta eiusmodi corpora ad dimensiones tres, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Cõsistit autẽ ipsis priùs incrementum quàm maribus, iam non amplius ob corporis mollitudinem, sed propter infirmitatẽ. Nempe in animantibus vis est naturalis quæ molitur ipsis incrementum, ob quam imbecilliora quidem plus augentur, sed ob imbecillitatem celerius augmentum inquinatur cessátque. Si itaq; ἐμολύνθη, id est, cessat quiescítque, scripsit Hippocrates, tale quippiam significare videtur, quale in secundo epidemiorum scripsit, cùm inquit, secundùm sinistram aurem œdema, postero die & secundùm dextram: quanquam hoc minus, residebántque hæc simul, & ἐμολύνθη, id est, cessauerunt, neque ad pus peruenerunt. Celeris siquidem motionis permutationísque cessationem, refrigeriúmque ita nominauit.

Validius ideò biliosius, sanguine abundantiore, quòd locus animalis calidior sit.

Ob id inquit mas validior, biliosior & sanguine vberiore, quòd locus in quo concipitur, talis existit: dicit autem dextrum vteri sinum. Dictionem quoque hanc scribit alius aliter, seruant tamen sententiam eandem omnes, qua efficitur ratione, vt qualisnam reuerà sit Hippocratis dictio, exactè inquirere superfluum sit. Satius siquidem hoc non contemplari, sed si quod dicitur verum sit, veritas autem per dissectiones, vt dixi, reperitur, cùm mares in dextro vteri sinu prorsus cõcipiantur. Dicta est & causa ob quam sinus calidior sit, quæ & per anatomen est cognita.

COMMENTARII SECVNDI FINIS.

GALENI IN

SEXTVM EPIDE- MIORVM HIPPOCRATIS LIBRVM COMMEN- TARIVS TER- TIVS,

*

Ioanne Vassæo Melden-
si interprete.

***

CVTIS raritas,densitudo ventris,cutis cõstrictio, carnium incrementum,ventris segnities,omnium confusio,vasorum impuritas,cerebri diminutio,ideo & caluities, & attritio instrumentorum.

Quidam dictionem hanc catalogum eorum quæ medici nosse debent,esse arbitrantur: sed de rerum inter se copulatarum coniugatione dicta esse videtur. Prima autem coniugatio dicta est, quâ inquit: Cutis raritas,densitudo ventris: nempe quidam ob id ventrem habent densum, id est tum retentum,tum adstrictum,quòd per cuticulares meatus vacuentur multa: veluti contrario modo quibus cutis superficies non facile perspiratur,

tur, ij multa tum meiunt, tum deijciũt. Alia autem deinceps scripta est coniugatio: Cutis constrictio, carnium incrementum, quâ scilicet significatur contractionem condensationémq; cutis, sæpius immoderatæ carnium auctionis causam esse. Quæ hanc sequitur coniugatio, ita scripta est: Ventris segnities, omniũ confusio. Segnitiem autem intelligemus ventris circa cibos concoquendos infirmitatem, quæ omnium corporis affectuum causa est. Quod deinde dicitur: vasorum impuritas: potest quidem & huic annecti coniugationi. Nam quod in ventre probè coctum non est, sæpius impuritatis vasorum occasio existit: potest verò & non copulatum segnitiei ventris, de praua quæ in venis fit intelligi concoctione, vt quẽadmodum, quæ in ventre fit concoctio, si perfecta non sit, multa in toto animali perturbat & confundit: sic & quæ in venis fit suo fraudata voto, primum quidem impuritatem in venis facit: id est prauorum humorum redundantiam: deinde & damnum notabile, ita vt segnitiei ventris & vasorum impuritatis medium commune vtrique sit, quod omnium cõfusionem vocauit. Quod continuata serie dicitur: Cerebri minutio, ideo & caluities, tale quippiam mihi significare videtur: Cùm cerebrum longè minus fiat: fit autem his qui siccius ipsum naturâ habent, tunc à superiacentibus ossibus quæ dissectores βρέγματα, id est ossa sincipitis, vocant, discedit: sunt autem

dua

duo hæc, sed circunductum vtrunque rectis quatuor lineis, vna quidem sutura, scilicet, quæ ossi vtrique communis secũdum capitis fertur longitudinem. Posterius autem labdoidis suturæ lateribus, anterius verò coronalis, vtrinque verò suturis squamæ similibus. At cæteris verò caluæ partibus, potissimum quidem non magis abscedit cerebrum: quòd si & aliquando propter subiectas ossibus carnes abscesserit, non prorsus perit cutis humiditas, sicuti neque crines. Didicistis siquidem ex libris de temperamentis, neque ex cutis humiditate, neque ex ipsa vehementer desiccata capillos produci: humida si quidem est pueris capitis cutis, mulieribúsque & eunuchis, sicca verò, immoderatè caluis. Quòd verò cerebrum in iuuenibus caluam tangat & molle sit & humidum, atque internam omnem acceperit capacitatem, senibus verò abscesserit tum arescens, tum considens, sæpiùs vidistis in animantium dissectionibus. Non autem sententiarum Hippocratis *demonstrationes hoc loco scribere nisi obiter proposuimus, sed dictiones obscuras explicare vnà & summatim interdum adiunctis causis, quæ ad demonstratas consequantur sententias. Quòd autem cerebri* ἀνάλωσιν *perfectam vsque adeò perditionem vt prorsus consumptum fuerit, in animali viuo fieri intelligere non liceat, norunt omnes. quòd si non sit, relinquitur per* ἀνάλωσιν *intelligendum esse* μείωσιν*, id est minutionem,*

quam caluescentibus fieri ob siccitatem dixi: quo fit vt sincipitis ossa quæ cæteris tũ molliora, tum teneriora existunt, atq; in superiori capitis parte posita sint, ob absentiam siccescant cerebri ad ipsa non amplius peruenientis, neque attingere valentis: contrahitur siquidem & considit in suam sese basim deprimens. Arefactis autem his ossibus vt circuntensa cutis arefiat, consequens est: videtur quoque & sensu ipso valde sicca vt neque longa opus sit demonstratione. Cùm verò cerebrum amplius desiccatum fuerit: vt quibusdam contingit in extremo senio, tunc & ex eo productos neruos siccescere est necesse, ob id neque pari modo videre licet: neque audire, neque aliud quippiam in sensibus, vel voluntarijs functionibus perfectè obire, at dissoluta omnia languida, & infirma fiunt instrumenta per quæ anteà perficiebantur: quod κατάτριψιν, id est, contritionem vocauisse par est, sumpta à tritis tum vestibus, tum vasis metaphora: nempe videntur & hæc post longos vsus sicciora nobis esse vbi contrita ea esse dicimus. Quidam verò scriptorum intelligentiam per coniugationem non concipientes: atque singula eorum quæ dicta sunt separatim designantes, admonere Hippocratem hoc loco, vires ipsorum considerandas aiunt: vt statim vim huius orationis: cutis raritas: nam prima scripta est: cognoscendam, quidnam scilicet

licet

licet possit, affirmant. hac videlicet causa vt & ipsam componamus cùm vsum habuerimus, tollamus verò cùm non fuerit vsus. scriptum quoque esse aiunt & in libro de alimonia: Corporis raritas ad perspiratum, quibus magis adimatur hi melius valent: quibus minus, morbo magis obnoxij. Sed cum his pugnat quod in medio scriptum est: densitudo ventris, cutis astrictio: si catalogus esset rerum Medico ad cognitionem vtilium. Præterea quod deinde ita dicitur: ventris segnities, omnium confusio: scribere Hippocratem ostendit quæ inter se simul esse nata sunt, non simpliciter quínam adfectus in corpore consistant, vt cognoscantur indigi. Nempe oratio hæc, omnium confusio: non affectum, sed quæ ex prauo adfectu mala fiunt ostendit.

Extenuatio cursu, luctatione, requietibus, multis obambulationibus quæ celeres sint: his cocta maza plurima, & panis modicus.

Κενώσεως, id est, vacuationis nomen de solis humidis dicitur: καθαιρέσεως, id est, extenuationis de solidis quidem magis, sed interdum & de humidis. prætereà quæ hoc loco dicuntur diminutionis cõmunia sunt tum humidorũ, tum solidorum, cùm ipsam in sanis absq; sanguinis, vel purgatione, vel vacuatione facere cõsulamus. nemo siquidẽ ægrum cursibus & luctatione curabit. Commune siquidem horum atque aliorum ipsis similium

est exercitationum genus, quod discos complectitur, misilia, saltationes, halteras, quæ armis fiũt dimicationes, atq; omnia vitæ munia, & maximè quæ in agricultura obeũt homines, vel arantes, vel fodiẽtes, vel metẽtes. Omnes siquidẽ exercitationes copiã tum carnis, tũ pinguitudinis, tũ succorũ diminuunt, quibus vt vnum corpus vtatur, fieri non potest: sed pro habitu, ætate, viribus & consuetudine idoneã cuiq; exercitationem adinuenire conuenit, vt cõstat ex salubribus. Non enim hoc loco ex librorum Hippocratis expositione medicinales discunt speculationes qui eas ordine in proprijs tractationibus anteà didicerũt. In quibus omnibus sunt cognita tum ipsius decreta cum demonstratione, tum quæ ad decreta ipsa consequuntur particularia omnia: vobis verò qui dictorum ab Hippocrate historiam conquirere desiderastis, hos feci commentarios, & si præter voluntatem: scientiariam enim explanationem obscuræ repudiant orationes. Scripta itaque deinceps statim voce: requietibus: nõ est amplius dilucidè nosse quid per vocem hanc significasse voluerit Hippocrates: sed coniectare vt in cæteris obscuris dictionibus, ita & in hac oportet. quod huic verisimilius hoc esse videatur, aliud alteri, nẽpe & videtur, aliúsque aliter ἡσυχίαν id est requietem, exponit: fieri siquidem potest vt de intermißionibus, quæ in exercitationibus fiũt, dicatur, veluti in aphorismis dixit: Cùm laborare

re quis cœperit, requies continuò lassitudinem tollit: fieri quoque potest vt & de quietibus dicatur quæ diebus omnibus intermediæ veniunt. Potest & perfectam quietem in corporibus quibusdam præcipere. Nam si ipse ita dixit: Motus roborat, otium colliquat, poterit aliquando & vita otiosa corpus attenuare. Nempe & ita quibusdam ab exercitationum ad otium transitu contigisse vidimus. Sed exactis est opus articulationibus distinctionibúsque, quínam videlicet sint qui his extenuationis gratia indigere debeant: redundantium siquidem humorum vacuatione non est opus. Nunquam enim otium id facere consueuit. Iure itaque sermonem nunc Hippocrati esse de carnium extenuatione quidam affirmant, non de humidorum euacuatione qualis fieri solet in plethoris aquosísque habitibus. Potest & ipsius sermo de vtrisque factus, catalogus esse auxiliorum omnium & quæ vtriusque extenuationis communia, & quæ alterutrius propria existunt. Potest & eam quæ peracto exercitio fit quietem scripsisse de quotidianis exercitationibus, atque de consequenti quiete sermonem faciens, vt exercitati cibos non statim ingerant, vt consueuerũt, seruantes in corpore ab exercitationibus caliditatem, sed perfectè refrigerati. Hoc siquidem in salubribus rectè dictum constat cum ab alijs, tũ ab Erasistrato: quo fit vt ex ea re liqueat, multam quæ solers sit coniecturam esse in eorum ex-

positionibus, quæ propter breuitatem obscurè sunt enuntiatæ. Quòd verò & singulis dictionem pro arbitratu scribere liceat, longè sanè incertior redditur senis sententia. In præsenti siquidem dictione quidam, requietibus multis scribunt, scripturam tamen hanc ignorantibus tum vetustis exemplaribus, tum his qui primò librum exposuerunt. Quod si nos quis cogat eam explicare quæ peracto exercitio fit quietem, dicemus Hippocratem velle fieri multam: sed hanc quidem sinere oportet. Confessam verò omnibus scripturam exponentes, præcipere ipsum adfirmamus, multis inambulationibus & celeribus vtendum esse. Lentæ siquidem incrassant, veluti & lentæ exercitationes: mirórque quónam pacto in illis celeritatis prætermiserit nomen. Nam cursus celeres, exercitationésque huiusmodi, carnium tumorem extenuant, succorúmque euacuant redundantiam: id quod fatentur ferè omnes tum exercitationum preceptores, tum Medici. Hippocrates deinceps de cibis egit ad eos qui extenuatione indigent idoneis, ex vno exemplo, vt consueuit, commentarium sibi faciens vniuersalis omnibus quadrantis. Est autem hoc vniuersale, cibos dandos esse qui non multùm nutriant, cuiusmodi est suilla caro: sed qui parum, qualis est ouilla. Maza quoq; & parum nutrit: quo fit. vt huius plurimum, panis modicum ingerendum præcipiat.

Extenuationis signum eandem diei ho-

ram

ram seruare, nam repentè contrahitur & concidit.

Non est incertum coniunctam esse dictionem hanc præscriptæ, in qua docuit quemadmodum fieri extenuationem oporteat, quónam itaq; modo cognoscamus an quantitatem ipsius exactè obseruauerimus, signum nunc rei huius patefacit: fuit autem sermo hic vsque adeò obscurus, vt propter id, sententia nostra, liber hic sicuti iam sæpiùs dixi, non ad publicationem, sed ad tum formulam: tũ adparatũ sibi ab eo scriptus sit. Nam si ad publicationem scripsisset, quámnam eandem diei horam dicat in qua signum extenuationis obseruare oporteat. prorsus dixisset. Sed quoniam ipse non scripsit quidnã sit quod probabiliùs quis intelligere posit, quàm quòd eandem diei horam ad exercitationem eum qui extenuatione eget ducentes, obseruabimus vt præcepit: non solum enim subito ἐρύετο. id est συμπίπτει. id est contrahitur cõciditq; corporis tumor, verùm quoq; & labitur debilitatúrq; virtus, ferè enim verbum ἐρύεσθαι, ἕλκεσθαι. i. trahi significat. Potest autẽ & ab illo significatu ad ea trãsferri de quibus agitur propter rerum naturã, quibus vt sæpiùs dixi in obscuris enũtiationibus, quæ priùs ipsi cognoscimus, consentanea ea facimus. Quidã pro ἐρύετο scribunt ἐρείπετο. id est labitur conciditq;, clariorem rei ex hac lectione significationem fore sperantes. Sed vetus scriptura ἐρύετο vocem habet.

Abstinendum à laboribus, vel defluet.

Scribunt & hoc loco quidam ὑφεῖναι τῶν πόνων ἢ ῥυήσεται. id est abstinendum à laboribus, vel defluet. Vis autem sermonis, est eiusmodi. Vacuatio omnis nisi paulatim fiat, virtutem dissoluit, corporísque habitum subitò exhalat. ob id itaque nonnulli quidem scripserunt ὑφεῖναι τῶν πόνων, ἢ ῥυήσεται, subitam repentinámque per hoc verbum ῥυήσεσθαι vacuationem significari volẽtes. Quidam scribunt ἢ ἐιρύεται, adijcientes τὸ ἢ, & circunflectentes, & cum ι, subscribentes, vt significetur tollendos esse labores, quatenus homo hauriatur, verbum verò ἐιρύεσθαι & de corporis concidentia, & de virtutis lapsu dixisse Hippocratem aiunt, vt talis sit oratio: Minuendos labores quãdo & virtus labitur, & corpus euaporatur. Qui præterea ἐρείψεται scribunt, ad virtutis lapsum referunt sermonem.

Similiter enim totum concidit.

Præscriptæ orationi consequentem hanc in vetustis exemplaribus reperi, norúntque ipsam ita habere antiqui interpretes: & inter recentiores Sabinus, nullo tamen pacto ipsam explanauerũt: nempe vbi præsentem totam dictionem præscripsissent, deinde particularia ipsius explicuissent, dictionis huius expositionẽ subticuerunt, sicuti & Zeuxis inter vetustos interpretes vnus & ipse. Sunt qui dici ab Hippocrate inquiunt: Similiter enim concidit, tale quippiam indicare volen-

te: Sicuti repletio damnosa est, atque ob id extenuanda: sic & vacuatio quæ plus iusto fit, non secus quàm repletio obest. Concidit siquidem ab ea damnosè corpus, sicut in repletione attollitur in tumorem. Quidam expositionem hanc tanquã incredibilem culpantes aut nullo pacto dictionis partem hanc scripserunt, aut in hanc permutauerunt, ἀθρόως γὰρ ἂν ῥυήσεται. id est subitò enim defluet: nos ab Hippocrate admoneri volentes, vt diligenter corporis extenuationi mentem attendamus. Nam repentè fit exhalatio & fluxio in exercitationibus vbi pluribus deinceps diebus quis perseuerat, exercens quidem ipsos insigniter, & tenuiter dietans.

Cùm verò iam conciderint, suillas carnes assas adhibere oportet.

Per prædicta immodicam vult cauere extenuationem: sed quoniam interdum fit, vt in eam inuitus quis incidat: ob id medicum aduersus hac apparatum esse cupit. Nam si extenuatio vniuersim raptímque facta sit, tunc carnes suillas dari præcipit: carnes quidem suillas, quòd multũ nutriant: assas verò, quòd solidam, atque in tumorem exiguum coactam non humidam, neque excellenter humidam efficiant carnem. Quidam pro προσάγειν. id est adhibere, scribunt προσφέρειν. id est offerre, quare edendas carnes suillas, eũdem quidem seruantes sensum: sed verbo magis proprio προσφέρειν, pro προσάγειν vsi.

Cùm autem implentur, signum rursus floridum corpus existit.

Paucis quoque & hoc subscriptum est commune omnis refectionis signum: fit siquidem corpus floridum tum in exercitationibus, tum his qui ex bono sanguine sunt refecti recreatíque.

In exercitationibus signum sudor stillatim effluens, veluti ex tubis canalibúsque manans, vel concidentia ab extuberatione.

Deest dictioni huic extenuationis, vel concidentiæ nomen, aut tale quippiam: atque ob id quidam ausi sunt adiecto hoc, tanquam ab initio ita esset scriptum explicare, talem componentes dictionem: In exercitationibus signũ συμπτώσεως, id est, concidentiæ, sudor veluti ex tubis fluens. Deinde signum esse aliud ait repentinam ex tumore contractionem: nempe hoc loco repentinam subaudire oportet, tametsi nunc scriptum non sit, cùm antè dixerit: Nam repentè concidit, contrabitúrque.

Mulieri quam primùm in Cranone curaui, lienis natura magnus erat, febris ardens, valde rubra, spiritus, decimo die sudor, in superis partibus magis, & inferis decimoquarto.

Nihil quod insigne sit ex dictione hac discere possumus, admirabórque si ita Hippocrates non adscriptis vrinis scripserit. Nam si adscripsisset,

cumulatiùs aliquid ex ea re ad recordationem habuisset, nobis verò abundantiùs profuisset: atque hoc est obscurum quod in principio dictionis est scriptum, quam primùm in Cranone curaui. Est siquidem inquisitione dignum, an sibi vt nominum & locorum in quibus ægri habitabant meminisse consueuit, ita & hoc loco adscripserit, quam primùm curaui, vt mulieris nomen memoriæ dederit, aut mulierem ostendit nunc ex recidiua morbũ incurrisse, quod scriptũ πνεῦμα. id est spiritum, decimo fuisse, est obscurum, siue spirandi difficultatem simpliciter indicet qualemcunque, siue solam impulsam, & valde crebram spirandi difficultatis speciem. Sunt qui ex dictione, flatum in ventre abundanter collectum significari putant. Habent itaque hæc in dictione obscuritatem, alia verò in sola intelligentia. Nempe est incertum an ex solo liene adfecto mulieri contigerint febris ardens, & spirandi difficultas, vel ventris inflatio: colórque exuperans, aut alia quæpiam febrilis adfectio ipsi facta sit, ob quam hæc contigerunt. Maximum autem, vt dixi, est nos non nosse qualésnam vrinæ ad iudicationem vsque fuerint: & quam ob causam decimo die prehenderint hominem sudores. Nempe dies in quibus vehementiores fiant accessiones consueuit adscribere Hippocrates, vt sciamus ipsum ex multis particularium experimentis experientiam collegisse, per quam de morbis

omni

omnibus vniuersaliter enntiauit: Quorum acces- siones in diebus imparibus fiunt, ita & in diebus imparibus iudicationes perficiuntur. Quod autem omnium absurdissimum est in hac dictione, iam dicam. Nempe vtrum vel obierit, vel conualuerit mulier, est prætermissum: ob id & quod inter hanc & eam quæ pòst scribitur dictionem, medium existit aduerbium, minùs, quidam huic adiecerunt: alij in fronte illius quæ pòst scribitur collocet. Si itaque scriptum sit decimoquarto bene iudicatam fuisse mulierem, non debuit huic dictioni adscribi, minùs: Nempe posteà quàm dixit, decimo die fuisse sudores mulieri in superis partibus magis, deinde consequenter inferens. & inferis decimoquarto, quomodo ampliùs adiecit aduerbium, minùs, si prorsus seruata fuerit mulier? Rationi igitur est consentaneum, magis extensos per totum corpus fuisse bona facta iudicatione. Si rursum quis substituerit malè factos fuisse sudores, mortua scilicet muliere, non absq; ratione aduerbium, minùs, in calce præsentis dictionis constituetur, vt sit quod dicitur: Sudauit quidem decimo die in superis partibus magis, sed & inferis, sudauit autem & decimoquarto inferis minùs. Ad sequentem itaque dictionem iam pergamus. Forsitan enim in illa apertiùs quippiam inueniemus, cuinam scilicet constituere oporteat aduerbium, minùs: aut in calce nūc præsentis dictionis, aut in fronte sequentis.

Minùs his qui ex capite grauedine & raucedine febricitant, vt arbitror, recidiuæ.

Subaudire oportet placata febre. Nam quo secus modo minùs his fieri putabimus recidiuas, nisi febris priùs cessauerit? Quòd si ab hac dictione aduerbium, minùs, sustulerimus, vt placuit nonnullis calcem præcedentium ipsum constituentibus, contrarium huic sensum sermo obtinebit, his qui ex capite grauedine & raucedine febricitant, recidiuas fieri intelligentibus nobis. Quod itaque in omnibus facimus, non ex sermonis probabilitate quæ quæruntur explicantes, sed ex his quæ in ægris conspicuè videntur, si & nunc fecerimus, rectè præstitutum huic dictioni aduerbiũ, minùs, inueniemus. Nempe febris grauedini superueniens & raucedini, certiorem horum concoctionem facit, vt nõ ampliùs facilè recidiua fiat, etiam si quippiam delinquatur, cùm qui secus febriant citra eiusmodi causam ex errato recidiuas incurrant: sed quam ob rem aduerbium, minùs, huic præstituitur orationi, his qui ex capite grauedine, non enim ab alia quapiam parte fiũt grauedines. Fieri itaque potest vt sermo ita dicatur, vt in hac dictione: vertebræ autem quæ in spina. Fieri etiam potest vt quia raucedinis meminit: ideo, ex capite, adiecerit: quoniam & aliter fiant raucedines. Potest &, ex capite, dici, scribente ita sibi ad recordationem paucis Hip-

pocra. vt raucedines quæ à parua quadã externa causa fiãt, distingueret: atq; de his sermonem esse ostenderet, qui ob naturalẽ capitis imbecillitatem hoc capiuntur pathemate. Hos itaq; iure optimo vocat ex capite κορυζώδεις, id est, coryza, vel grauedine laborantes, nõ à frigore vel inustione, vel quadã simpliciter externa causa. Verbum, arbitror, in quibusdã exemplaribus reperitur, Hipp. de his quæ enuntiat dubitantem ostendens. Reperitur & oratio sine verbo, arbitror, verò existente quod dicitur. Per consequentem verò scriptam dictionem, demonstrationem eorum quæ rectè enuntiauit, adiecit. Ad eã ergo transeamus.

Quicquid suppuratur recidiuam non admittit: nempe ipsemet pepasmus id est concoctio, iudicatio simul, & excretio est.

Non obscura est dictio his, qui eorum meminerunt, de quibus iam sæpiùs dixit, πεπασμός. id est concoctio: meminítque & nunc ipsorũ prædictorum, vt dixi, gratia, vt sermo omnis talis sit: Grauedine & raucedine laborantibus ob destillationes quæ à capite fiunt, cum superueniente febre cocta fuerint tum frigidum, tum humidum, coctáq; excreta fuerint, certam spera morbi iudicationem fuisse, & non ampliùs in morbum reuersurum hominem.

Quibusdam quando concumbunt inflatur venter, vt Damagoræ: quibusdam tum crepitus fit, vt Arcesilao.

Dict

Dictionem hanc alij aliter scribunt, nonnullique adiecerunt ipsi orationem, quando incipiũt, quod in principio dictionis dicitur, quibusdam, tollentes, & talem efficientes dictionem: Quando incipiunt concumbere venter inflatur, eos qui hoc opus ingrediuntur pati quæ per dictionem significantur volentes, quanquàm scriptionem hanc non nouerint, neq; liber vllus antiquus, neq; interpres. Sabinus tamen sermonem Hippocra. esse ait de concumbere incipientibus, quanquàm per antonomasiam de homine Damagora mentionẽ fecerit. Hoc autem consueuit facere, cùm rem paucis quibusdam euenientem percurrit. Et sanè esto quòd nihil de his scripserit Hippocrates, quod experimentis apparet oportet discere. Non enim contingit vt his qui concumbere incipiunt, venter infletur, vel vt in ipso concubitu crepitum habeant: sed nonnullis horum magis & si rarenter, qui ætate declinant, & qui pathema habent appellatum tum flatuosum tum hypochondriacum, tum melancholicum, ventrem contingit inflari, quando scilicet venere indigebunt: aßiduè autem hi coïtum concupiscunt. Quod autem iam sæpiùs anteà dixi, siue scriptiones prætermisero quas in hac dictione fecerũt, siue omnes dixero, vtrũq; incusabunt pleriq; suis allecti desiderijs, symmetriã in sermonibus non in natura rerum iudicantes. Prætereà si & nõnulla recensuero eorũ quæ tum dicta, tũ scripta sunt, nõnulla verò prætermisero,

non

non minùs culpabor, quòd nonnulla quidem eorũ quæ dicta sunt, tanquàm delira prætermitti debuerunt: alia verò eorum quæ sunt prætermissa, vtpotè dictis haudquaquàm deteriora, dici debuerunt. Consimiliter & conuentus quotidie fieri videmus, vbi qualescunque velint intelligi explicationes, confidentes illis ipsis qui adsunt, cupiditatibus ipsorum consentire nituntur. at in libris idem faciendum non est. Malui ob eam causam in plurimis dictionibus, vel nullo modo de his qui veterem permutant dictionem loqui, vel de omnibus agere qui perperàm sunt interpretati. In quibusdam verò vel quæ non prorsus incredibiliter dicta sunt, meminisse oportet quòd legentibus commentarios, horum in vnaquaque dictione recordari graue sit. Quod itaque dicebat Sabinus, quòd scilicet maturè his qui re venerea vtuntur, pati ea quæ in dictione dicuntur contingit, id tanquàm verum supponens causam ipsius recensere conatur. alij contrario his modo scripturam dictionis talem fecerunt: Sunt quibus quando concumbunt inflatur venter. Sabinus non absque ratione his qui concumbere incipiunt, hoc contingere ait. primùm quidem quòd magna circa corpus fiat mutatio: scribit siquidem ipse, ob quam mutationem flatus, epilepsia, nephritides ipsis fiunt, atque alia diuturna mala. deinde & quod Democritus dixit: homo ex homine in coitibus prolificatur. Prætereà inquit, & ideo pruri-

tum multum propter ſeminis, tum ſalſuginem, tum acrimoniam patiuntur, communíque, vt inquit, ſermone, tum maſculorum, tum fœminarũ exiſtente, cauſam in fœminis conſpicuam eſſe ait, quòd vtero ſubſtratum ſit inteſtinum, ſuperiaceat autem veſica. Intento itaque ipſo rigentéque retinentur vtriuſque excretiones: quò fit vt intercluſo flatu, continuè infletur, atque ſuppreſſa vrina abdomen intumeſcat: hæc Sabinus, incredibiles eorum quæ non fiunt reddens cauſas. Non enim incipientibus coïre adoleſcentulis hæc contingunt, ſed melancholicis & flatuoſis appellatis. Qui itidẽ ætate declinant, talia patiuntur. Nempe flatus copia omnino ob natiui caloris fit imbecillitatem: qui ſi robuſtus fuerit, nihil eiuſmodi contingit. Ariſtoteles etiã in problematis quærit cauſam, ob quam libidinoſos contingat eſſe melancholicos, aítq; flatuoſum aceruari in ipſorum hypochondrijs ſpiritum non paucum, atque ideò ſpirituoſa flatuoſáque & hypochondriaca appellari talia mala: Diocléſque & Pliſtonicus, atque alij plerique Medici ea ita appellari affirmant. Non autem perperàm fiet ſi dictionem aliquam ab Ariſtotele ſcriptam recenſuerimus, quæ ita habet: Quare melãcholici libidinoſi exiſtunt? An quòd flatuoſi? ſemen enim flatus deceſſio eſt: quò fit vt ſi tale multum ſit, ſæpiùs appetere expurgari neceſſe ſit, nẽpe leuantur. Ob id itaq; Rufus dicebat ſe malle ſcribere pro ψόφ@,

Q

id est, crepitus, ψόφος, id est, timor, vt sermo Hippocrati de melancholicis esset, quibus peculiaris esset timor: aliud siquidem alij timori est. Vnum itaque prorsus singulis, cùm scilicet opportuna pertimescunt: si non, duo, pluráque, & valde multa, & quibusdam ipsa omnia. Fiet itaque secundùm Rufum dictio, quæ ita habeat: Quibusdam quando concumbunt venter inflatur, vt Damagoræ: hinc ipsis timor. Secundùm veteres interpretes, vt in principio scriptum est, nempe illorum scripturam semper adscribo: & si deliquisse apud eos videantur qui primi rescripserunt. Satiùs est enim, vt iam sæpiùs dixi, quod vt inuentum est scriptum, enarrauerunt: ita iam animaduertamus, intelligamúsque quídnam ipsi indicauerint, dicta est Sabini expositio. Capito autem ita scripsit: Quibusdam est cùm rem veneream agant vt venter infletur, vt Damagoræ: quibusdam in ea re crepitus. Dioscorides ita: quibus quidem cùm concumbunt inflatur venter, vt Damagoræ, his in ea re fit crepitus: sustulit etenim coniunctionem, δὲ, id est, autem. Neque tamen in expositione huius nominis, ψόφος, id est, crepitus, consentiunt inter se expositores: quidam enim βορβορυγμὸν, id est, internorum mugitum indicari aiunt, alij ἐρυγὴν, id est, ructũ. alij flatus per inferna exeuntes, alij quodcunque horum simpliciter, vbi scilicet in intestinis motio quædam fuerit, quæ sensui pateat auditus. Sunt

siquid

ſiquidem & aliæ quædam præter mugitus inteſtinorum in ipſis motiones, crepitúſque, aliæ quidem ſonitibus ſimiles, aliæ ſibilis, vel tali cuidam crepitus modo. Arceſilaus verò inquit, non ſolùm venter eſt inflatus, verùm quoque & ὤδησε, id eſt, œdema habuit, ſeu intumuit. Dixi autem iam ſæpiùs, œdema vocare ipſum tumorem præter naturam omnem, ſiue phlegmonoſus, ſiue eryſipelatoſus, ſiue ſcirrhoſus fuerit, recentioribus ſolùm qui laxus eſt, mollíſque tumorem œdema vocantibus. Sed qualem dicat tumorem Arceſilao factum fuiſſe, non parua eſt quæſtio. Sed videtur mihi tumorem eum dixiſſe, qui propriè à recentioribus appellatur. Non eſt verò incredibile eryſipelas, vel phlegmonem, vel ſcirrhum, vel aliquod eiuſmodi fuiſſe veneris tempore, vel paulò pòſt, vel non valde poſt veneris placationem. Interpretibus autem tota hæc prætermiſſa eſt conſideratio. Arceſilai verò huius & in alio libri huius loco meminit Hippocrates, vbi inquit: In congreßibus quidam crepitum emittunt, vt Arceſilaus. Conſtat itaq; talibus ventrem flatibus plenum eſſe, quos ob eam quæ in re venerea fit contentionem, contingit excerni. Dioſcorides ita ſcripſit dictionem: Arceſilao malum intumuit flatuoſum, pro eo malum ὤζησε, id eſt, malè oluit flatuoſum, ὤζει ſcriptum eſſe volens, alij omnes principium ſequentis dictionis verbum, flatuoſum, fecerunt, vt deinceps ſcriptum eſt.

Flatuosum in furfurosis concausa, nempe sunt & flatuosi.

Quósnam πιτυρώδεις, id est, furfurosos dicat, non est facile inuenire, si quis non vt Herodoti & Ctesij solùm, veluti Historiam libros veterũ Medicorum legerit, sed vt ad artis opera ampliùs quippiam habeat. Plerique autem interpretum, & maximè qui sophisticam sunt imitati formã spreto hoc ad expeditiorem perueniunt expositionem, quæ in dictionis ostensione est, non amplius dictorum veritatem in ægris examinãtes: sic itaque & nunc furfurosos dici admittẽtes qui furfures aßiduè in capite generãt, causam rei huius referre tentant, furfures ob superflua in caput elata fieri affirmantes, ferríque in sublime aiũt propter caloris spiritum, atque ob id flatuosos esse tales. Prauus verò est sermo ipsorum, primùm quidem quòd euidens testimonium non habet: sexcentos siquidem nouimus minimè flatuosos, quibus in capite aßiduè furfures fiunt. Deinde quòd & si quod apparet, fidẽ ipsis faceret, omniũ superflua calida nutriẽtium cõmunis sermo esset. Et tertio præter hæc quòd capitis ipsius vt plurimùm propter familiarem temperaturam symptoma est, furfures procreare habentibus secundùm naturam humoribus. Iure itaque nonnulli vetere scriptura permutata scripserunt: flatuosum concausa τοῖσι πτερυγώδεσι, id est, alatis. Scitis enim Medicis cõsuetudinem esse, vt πτερυγώδεις

γώλεις appellent qui ſcapulas in morem alarum auium habeant, in poſteras partes, tum prominentes, tum progreſſas. His itaque aiunt concauſam eſſe flatuoſum, vt in malum incidant, quomodo incidunt, id eſt, in ſanguinis reiectionem, eſſe ſiquidem flatuoſos ipſos: quod itaque flatuoſum ad vaſis alicuius in pulmone fractionem concauſa ſit, non eſt incertũ. Quòd ſi flatuoſi ſint qui anguſto ſunt thorace, hoc per experientiam à nobis diligenter examinandum. Nempe mihi viſi ſunt ferè omnes tales, & forſan propter inopiam vitalis caliditatis, quam ex corde proficiſci didiciſtis: paruum ſiquidem cor habentes quibus ſcapulæ in alarum prominent modũ, proportione huius & caliditatem omni corpori ex ipſo influentem imbecillam habent. Nempe & ob imbecillitatem huius ex initio ipſo, cor paruum, vt didiciſtis, fuit. Quidam non πτερυγώδεσιν, id eſt, alatis, ſed πυρέτώδεσι, id eſt, febrietibus ſcribunt, dictionem facientes eiuſmodi: flatuoſum febrientibus concauſa, nempe & flatuoſi ſunt. At non vera hi loquuntur, qui febrientes omnes flatuoſos eſſe putant. Dioſcorides verò, vt paulò antè dixi, ad finem præſcriptæ dictionis vbi flatuoſum ſcripſit, ita ſcripſit præſentem dictionem: Concauſa alati, vt dictionis continuitas omnino talis ſit: Arceſilao autem malum intumuit flatuoſum, deinde conſequenter principio alio: Concauſa alati, nempe & flatuoſi ſunt. Satis itaque de flatuoſis iam

dictum sit, ne verbo impræsentia perpetuò multorum scripturam negem, re verò promptus sim ad superfluam sermonis protractionem.

Frigidum valde venas rumpere solet, tussim excitare, atque constringere vt phe rea,& gongrωnæ, concausa & durities.

Non paucis dictum est, tum in libro de humorum vsu, tum in aphorismis, qualísnam sit frigidi facultas. Dictæ sunt quædam & nunc ipsius operationes, veluti in formula ad vniuersalis virtutis inuentionem idoneæ, vtiléſque: quantum siquidem in seipso est cogit, densat, constringítq; omnia quæ attingit: atque ob id transpirationes corporis inuisibiles, & sensui patētes effluxiones cohibet. Sic itaque & in aphorismis scripsit: In his frigido est vtendum, cùm est erupturus sanguis, non ad ipsa, sed circa ipsa vnde effluit: & quæ deinceps dixit, operationes sunt propriæ facultatis frigidi, cùm scilicet nullo operatur medio. Cùm autem & rursum dixerit: frigida qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinem & destillationes: pectori quidem inimica dixit secundùm frigidi ipsius fa cultatem, tusses verò mouere & sanguinem medijs alijs. Nempe quòd in se cogantur, constringantúrque sanguinem continentium vasorum corpora, ob id interdum tunicas horum rumpi con tingit, vt quod ob contentum multum in laxis mollibúsque fit vasis, id ob non multum in tensis

sis contingit. Ob eam itaque causam non simpliciter in præsenti dictione dixit, frigidum venas rumpere solere, sed frigidum valde inquit. Idem potestate & in aphorismis scripsit, cùm inquit: Frigida vt nix, & glacies, per exempla explicans quæ nam sint valde frigida. Rursum & in aphorismis scripsit, frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat. Nunc autem frigidum dixit στρεπτικόν, id est, quod constringit, συνακτικόν, id est, quod coalescere & cohærere facit. Sic itaq; & in partibus neruosis tumores facit, atq; in neruis, tum ganglia, tum alias quasdam tensiones, has quidem oblongiores, alias verò rotundiores. Et sanè mihi videtur oblongiores vocasse φῆρα, rotundiores verò γογγρώνας: φῆρα inquiens quæ φηρῶν similitudinem habent, ita siquidem vocauerunt ex Ionibus quidam satyros, quos oblongos tum scribunt, tum formant, atque extantias prope aures habentes. Γογγρώνας autem rotundiores cum duritie eminentias, quales sunt quæ quibusdam arboribus fiunt cohærentiæ, quas vocant γόγγρους, vt & Theophrastus in primo de plantis scripsit ad verbum ita: Nonnulla gongros à quibusdam vocatos habent, vel quod pro arboris natura respondeat, vt olea. Dicunt autem aliqui & nunc in Thessalia, audiuisse quosdam gongronas vocantes tales duritias, vbi in collo consistant: nullum tamen ego ipse audiui apud nationem aliquam qui pherea diceret, neq; quempiam

audiuisse crediderim, quanquam sint interpretes qui dicant Hippocratem pherea vocare, quæ in Pheris Thessaliæ fiant sæpiùs. Quòd verò pherea oblongas appellet eminentias, testimonio esse videtur quod in septimo epidemiorũ ad verbũ ita dicitur: Grassabantur populariter tusses, maximè autem pueris multis quæ circa aures fatigabant, qualia satyris. Quod autem in calce orationis scribitur, concausa & durities, tale indicat: Generationibus dictorum malorum à frigido, con causa est corporis durities, in quo adfectus consistunt, id est, vbi homo duram naturâ habuerit cutem: ob eam etenim causam, & frigidum generationis prædictorum adfectuum causa est & cutis dura. Nempe quòd, vt ipse inquit, cutim obduret, ob id tales parit adfectus, nequeuntibus ob id qui ab ipso collecti sunt exire succis. Quibus itaq; dura cutis naturâ est, his concausa & ipsa, quòd per cuticulares meatus non digerantur euaporentúrque crassi viscosiq; humores: sed collecti ob id dictos duros & scirrhosos pariãt tumores. Quod & venarum ruptio in naturâ durioribus ob frigidi violentiam fiat, minus est obscurum. Nam si à contento in venis sanguine vasorum fiat ruptio, in eiusmodi erit magis, quæ ob duritiem difficulter ægréque dilatantur. Nam quæ ampliùs extendi nata sunt, & si quod in ipsis continetur multum sit, id tamen continet citra ruptionem: iure autem & tusses in durioribus naturâ fiant

corporib

*corporibus, dictum siquidem hæc quàm mollia facilius exasperari. Cùm verò nonnulli in oratione pro βηχῶδες, quod diximus tusses mouere solere, scripserunt φυσῶδες, id est, flatus mouere solere, de ea re vt aliquid dicamus est consentaneum: nempe refrigeratis quotidie spiritu flatuoso repletus venter videtur. Sed vetus dictionis scriptura βηχῶδες non φυσῶδες habet. Nupérque in aphorismis, vt dixi, cùm exempli gratia materias frigidissimas commemorasset, non ipsis adiecit, flatuosum. Inquit enim: Frigida vt nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, sanguinem & destillationes. Docétque tum in præsenti dictione, tum in dicto aphorismo, non simpliciter quæcunque ob frigidum fiunt, sed quæ ob valde frigidum. Hîc quidem inquiens, valde frigidum venas rumpere solet: in aphorismis autem, sicut nix, & glacies. Quòd autem quæ inflentur de caliditate participare debeant veluti & * Cætera desunt. **

'Lapis à mictu pueris magis, vtrúmne quòd calidiores?

Quòd oratio quidem sit de calculo affectis pueris, omnes qui librum interpretati sunt, dixerũt: cur tamen orationẽ, à mictu, adiecerit, cùm simpliciter scribere licuerit, lapis pueris, non considerauerunt: sicuti neque quam ob rem dubitandi coniunctionẽ adposuerit, non simpliciter inquiẽs, lapis pueris magis quòd calidiores, sed vtrúmne

quòd calidiores? Nempe hæc oratio, vtrúmne quòd calidiores? quòd enũtiare ausus non sit manifestè indicat, quanquam in aphorismis simpliciter dixerit: Qui crescunt plurimùm caloris innati habent. Nomen autem συνάγμα]@, id est, lapidis, in solo epidemiorum septimo reperi, scriptore ita referente: & σύναγμα, id est lapis, apparuit in aqua post manuum ablutionem: quare autem, à mictu, vel ἄρα, id est, vtrúmne, adiecerit, deinceps contemplabimur, & primùm de addubitatione, quanquam secundo loco scripta sit. Vel ergo adhuc dubitans hæc scripsit, progressu verò temporis demonstrationem aliquam reperiens de eorum qui crescunt temperamento enuntiauit: vel, quòd & melius est, vt à nobis est definitum in commentarijs de temperamentis, & his quos in aphorismos confecimus: puer iuuene non simpliciter est calidior, sed calore natiuo calidior. Demonstratum est autem natiuo calidius simpliciter esse, quod natiuum non est, cuius bonam partem nacti sunt qui ætate florent: quare vt ab hoc calido magis concresceret in vesica lapis par erat, atque ob id iure addubitat. At verum est quòd pueris lapides in vesica ob vrinarum crassitiem concrescant: quod itaque crassißimæ in pueris vrinæ excernantur, medicos inter omnes qui nos antecesserunt conuenit: sed quam ob causam tales excernant, ex se quidem consideratione dignum existit, sed quod ad præsens attinet, ni-

hil contulerit, nempe quòd crassæ meiantur, tum conspicuè videtur, tum rebus est consentaneum. Nam crassum hoc, tum aceruatum, tum collectum, cùm semel aliquando non excretum quando oportet, diutius intus manserit, principium, tum coïtionis, tum coagmenti suscipit: factóque eiusmodi principio, reliquum quodcunque rursus in vesicam peruenit crassum, adformatur hoc, fitq; maior porosus lapis, veluti in rebus externis, tum in calidis sponte nascentibus aquis, tum in vasis in quibus aqua quotidie calefiat, concrescere videtur. Crassities igitur vrinarum generandis lapidibus, tum primam, tum maximam causam habet: caliditas autem etiam moderata materiæ huiusmodi adiuuat generationem. In calidis denique sponte nascentibus aquis, & si symmetris tepidiores sint, coalescere videntur tophi lapides. Ob id itaque videtur mihi & Hippocrates adiecisse coniunctionem ἄρα, quòd tanta caliditas quam pueri naturâ habent, confert quippiam ad coagmentationem, non tamen quod ipsius plurimum sit, sed materiæ qualitas ex qua lapis procreatur, coïtionis coagmentationísque ipsius causam habet. Cur itaq; adiecit orationem: à mictu: & nō simpliciter dixit: lapis pueris: est quod de vesicæ lapide, non renū, nunc faciat sermonem. Nempe mictu in vesica concrescunt lapides, in renibus verò ante mictum. Scimus autem pueros quidem in

vesi

vesica calculos sibi procreare, in renibus autem prouectos ætate. Quod itaque paulò antè dixi, quòd quidem ita hæc se habeant, fidem facit res ipsa quæ videtur, sed quæ'nam sit causa in schola inquirere licet. Expositio itaq; finita quidem est: sed causam vt in superioribus, ita & nunc ex abundantia dicam: priùs vtique eos accusans qui ob id pueris calculos concrescere aiunt, quòd vasorum meatus ob paruitatem angusti sunt, oporteret siquidem quantum in ea re est, pueris in renibus calculos magis coalescere: angustæ siquidē in illis permeationes. Vesicæ autem ceruix vsque adeò est capax, vt omnis materiei craßities promptè per ipsam exeat. An potius non in prouectis ætate angustia meatuum renum generationis lapidis causa est, sed functionum imbecillitas: & quod ex craßis succis est crudum inconfectúmq;. In pueris siquidē cùm naturales omnes functiones validæ fuerint, succorum craßities, tum fusa, tum dissoluta est: in seniescentibus verò coalescit, id quod & in externis apparet. Nam quæcunque per tenuia quædam colare volumus, quæ quidem fusa ob caliditatem liquatáque sunt, ea facile penetrant: quæ verò neque liquefacta neque fusa sunt, ea non pertranseunt. Exempla huiusmodi materierum sunt pix, resina, sebum, cera, & mel. Pueris itaque qui calorem natiuum multum habent, & validas functiones, materiæ craßities fusa ad renes peruenit, atq; ob id facile ad vesicam

colat

colatur, functionum robore non parum ad craßitiei penetrationem conferente. Vesica verò cùm frigida sit, quòd tum neruosa, tum pauci sanguinis existat, quódque valde multam intus habeat capacitatem, concrescit hic coagmentatúrque quod in eam trãsijt crassum, talis vt antè dixi, coïtionis principium adsumens, vbi diutiùs in vesica permanserit. Prætereà viscosum ipsum magis esse pueris par est, quòd confectum magis sit à natiua caliditate. Nam quæ à caliditate ad coctionem alterantur, quandam accipiunt progressu temporis viscositatem, & si ab initio nullam habuerint: atque ob eam rem vniuntur magis consistúntque, & concrescunt. Nempe inter ea quæ æqualiter crassa sunt, quod viscosius est ad vnitionem coagmentationemq́; est magis idoneum: quoniam verò nonnulla eorum quæ ad dictionem præsentem minimè sunt necessaria, pro causis assignantur, causam adhuc craßitiei vrinarum in pueris adijciam. Est autem eiusmodi, quòd voraces sunt, atque à cibo moueantur, tum salientes, tum ludentes: lactentibus verò ipsis & materia confert. Lac etenim crassum naturâ est, & ad lapidum generationem maximè idoneum. Et in adultis denique in caseorum vsu exuperantibus, calculos in renibus sæpiùs generari nouimus.

Figuræ leuant, vt quidam ex sarmentorum plicatione flexionéque superdoluit, decubuit, summúmque pali suffixi

accipiens

accipiens tenuit & leuatus est.

Ipsum quidem quod dicitur manifestum est: sed causam ipsius recensere, difficile est, quòd Hippocrates non scripserit, tametsi scribere potuerit, vel derepentè factum ipsi dolorem inquiens, vel paulatim cœpisse incrementum, cœpisséque cùm circa sarmentorum plicationem laboraret: vel continuò ab ea, vel in alio quodam diei, vel noctis tempore. Imò neque pars vlla, quam fatigaret dolor, dicta est. Manum verò esse existimant quòd accepto palo adiutus sit: si itaque doluerit cum sarmenta flecteret, quòd tali figurâ leuatus sit, non fuerit incredibile. Figura enim manus indolens qualísnam sit, in libro de fracturis, & in libro de chirurgia est dictum. Quòd si quædã in circunflectenda manu facta homini fuerit musculi peruersio, vel & flatuosus spiritus musculorum duorum medium prehenderit, exitúque caruerit, quòd in decenti illa figura in qua flatum vacuari contingit, dolens leuatus sit, par est.

Quem ex montana opera iuxta põtem vidi crura proiectantem, huic tibia altera minimè extenuabatur, femur autem valde, vrinæ & genitura non retinebantur.

Ο'ρεἰτύπους appellãt Græci, qui ex montibus in vrbem deferunt, vt ligna lapides, vel quippiã tale. Cùm verò scripsit Hippocrates non simpliciter hoc modo: Oritypon vidi crura proiectantem, sed orationi adiunxerit ἐξ præpositionem, & scripse

ſcripſerit: ἐξ ἐργείνῃς, id eſt ex montana opera, declaratur ex prima operæ montanæ actione adfectam homini fuiſſe circa lumbos ſpinalem medullam, à qua nerui proficiſcuntur qui crura agitant. Quod verò dixit: iuxta pontem: ſcriptum eſt duntaxat in ægri memoriam, ita vt arte nihil opus ſit. Superfluum autē fortaſſe fuerit inquirere, quánam ex cauſa crura homini ſunt adfecta: veluti & quídnam ſignificatur cùm inquit: crura proiectantem, vtrúmne immota & dolore vidua: nempe & hoc à quibuſdam improbabiliter eſt dictum: vel quod veriſimilius, crura impotentia habentem, & quæ inter ambulandum circūlationem haberent his ſimilem, qui ad externam iactant regionem, quòd valida non ſint. Sed neque quòd tibia vtraque, vel altera minimè attenuabatur, femur autem valde, nobis ad intelligentiā eſt auxilium: ſicuti neque Hippocrati ipſi ad memoriam. Talia ſiquidem non raro ſed ſæpiùs tum fieri, tum manifeſtè à medicis omnibus cognoſci videntur. Quanam itaque cauſa ſit ob quam hoc ſcripſit, tentabo ego oſtendere, dictionem totam recenſens ſed prius altera dictione tū clariore, tū breuiore ſuperfluis ablatis. Diſſolutus quis cruribus circa femur magis extenuabatur quā circa tibias: vrinæ verò & genitura retēta ipſi nō ſunt. hoc itaque vt cognoſcamus eſt vtile. Sed fortaſſe dicet quis, quídnam eſt quod eſt ſcriptū in libro de articulis? Nēpe lōgè plures,

tum

tum cruribus,tum manibus impotentes fiunt,corpusq; his obstupescit: & vrinæ his detinetur, quibus non extiterit quidem neque intus,neque foris digreßio,sed validè iuxta rectitudinem spinæ concußi fuerint. Ex hac dictione quidam adducti, symptomata huiusmodi ex spinalis medullæ adfectu,propter neruorum resolutionem fieri affirmauerunt, non attendentes quòd vertebris ex naturali sede transmotis,& sympathiæ ratione fiant circa vesicam & rectum intestinum,phlegmonæ quidem primùm,deinde & scirrhosi tumores quæ naturalibus horum instrumentorum actionibus damnum inferant:quo fit vt quæ priùs ab ipsis excernebantur,retineantur. Quòd si nerui soli nullo ex prædictis per sympathiam adfecto instrumento,oblædantur,non naturales adfectiones,sed arbitrarias adfici contingit: atque ob id præter voluntatem effluit ipsis vrina stercúsque, cum scilicet neruorum resolutio perfecta fuerit, eorum qui ad eos deferuntur musculos,qui in finibus tum vesicæ,tum recti intestini collocantur: à quibus instrumenti vtriusq; oscula tum clauduntur,tum constringuntur. Quòd itaque ori-typo cohibitæ non fuerint vrinæ,dictum est in oratione:si verò præter arbitrium, vel ex arbitrio excernerentur,non adiecit. Quòd igitur opus ad publicationem liber non esset,ex eo quod non adscripsit est manifestum. Prorsus siquidem demonstrauit ipsum non ita scriptum, sed vt dictum

est

est sæpiùs in primæ manus descriptionibus ad me moriam. Neque enim de deiectionibus scripsit ali quid, quanquam & eas necesse erat, vel nullo pa cto retineri, sed instar vrinarum inuoluntariè effluere, vel ex arbitrio excerni. At quæ de vrinis verba fuerunt, vt par erat ad eorum memoriam quæ viderat, satisfecerunt. Nam cum excrementorum alui vacuatio similiter vrinis fiat, si contraria quidem, quidnam circa alteram ipsarum fuisset, planè significasset, sed cùm hæc mutuò sese consequantur, meminisse vtriusque non erat necesse. Sed neque genitura, inquit, retinebatur, naturalis siquidem est & huius vacuatio, veluti tum vrinarum, tum sicciorum excrementorum. Quare autem concumbere volentes, in ipsam perueniant, haud volentes autem non, latius in tractatione de ambigentibus motionibus est dictum.

Quæcunq; laterum naturæ alatæ propter causæ imbecillitatem fiunt, idque in malignis destillationibus, siue excretio fuerit, siue non, malum.

Quósnam vocent medici πτερυγώδεις, id est alatos, seu quibus à tergo instar alarum prominent scapulæ, anteà, est dictum: constátque tales ex epidemiorum tertio ad tabem idoneos esse. ἀφορμὴν, id est, causam verò dicere cõsueuit Hippocrates, atq; antiqui ferè omnes materiam rei omnem vnde ad consequentes actiones fit susci-

tabulum, siue argentum fuerit, siue alia quædam suppellex, siue potentia aliqua, siue locus, siue fides, siue actio, siue causa, siue quodcunque aliud simpliciter. Quidam existimant Hippocratem primum adfectos locos aliorum ἀφορμὰς appellare: indicariq; hoc aiunt per hanc dictionem ἀφορμάς, id est causas, vnde cœptum laborare, esse contemplandas. Quod si ita se habet, significatur vt anteâ dixi vniuersale aliquod multorum talium particularium. Nempe Rhetores veluti & Historici, & Philosophi, ἀφορμὰς, hominum actiones dixerunt, tanquam & de his differentes. Translatum autem est nomen ab Hippocrate, veluti & alia multa tum naturalium adfectionum, tum adfectuum, in quibus omnibus commune est, vnde cœpit fieri. Nunc siquidem in dicta oratione Hippocrates dixit: vnde cœptum est laborare. Potest quoque & pari dici modo, vnde cœptum est nauigare, bellare, pacem habere, regnare, & aliud quiduis tale. Et sanè hoc loco primum principium quo quis alatus efficitur, dictum est: ἀφορμὴν verò non abs re quis dixerit. Quænam itaque est hæc caliditatis natiuæ, quæ ex corde principium habet, imbecillitas? Didicisti autē quemadmodū cum cerebro quidem magno simul caput augeatur, paruū verò si fuerit vnà & paruū fiat, ratione eadē, vnà cum corde tum augetur, tum minuitur thorax. Cor siquidem ipsum paruum efficitur propter vitalis facultatis

imbe

imbecillitatem, cuius substantia est natiua caliditas. Cùm itaque imbecilla ipsa fuerit natura, id est ab initio & ex prima conformatione, necesse est vt parua producantur tum cor, tum thorax. Quòd verò tria sint quæ animal gubernant principia, constant ex libro de Hippocratis & Platonis placitis demonstrationes. Qui existimauerunt ἀφορμὰς dici primum adfectos locos, circa præsentis orationis expositionem valde errasse comperies: atque eo quòd voluerunt nos subaudire non dictionem quandam vnam, sed orationem totam, tanquam dictio ita diceretur: laterum naturæ alatæ ob imbecillitatem causæ in destillationibus malignis maximè corripiuntur: & si excretio fuerit, & si non, malum. Cùm verò multa ab interpretibus in hanc dictionem recitata sint, satis est quod verißimum mihi appareat, & commodißimum sit his qui medicinalem artem didicerunt summaria solum designasse descriptione, & quoad fieri potuit paucißimis. Destillationes itaque quæ à capite in pulmones fiunt, tunc malignas esse est putandum, cum quæ defluunt & tenuia & facultate erodentia fuerint. Neque vt hæc in pulmone maneant donec cocta crassescant conuenit, veluti alia tenuia quidem, sed quæ nihil habeant quod erodat, ægréque concoquatur, neque etiam vt continuò excernantur. Nam si intus manent, non facilè concoquuntur, viscúsque exulcerare viden-

tur: cùm verò excernuntur, tusses excitant contentas vehemētésq;, ob quas caput repletur, repletúmq; ipsū rursus ad pulmones demittit destillationē, ita vt periculum sit, ne ob eam quæ ex tussi est contentionem vas aliquod rumpatur: id quod fieri solet his qui non facile ex pulmonibus screant quæ humida sunt, tenuia, & substantia aquosa: ascendunt siquidem ipsa ab emisso in tussibus spiritu sublata. Quæ si tenuia & aquosa fuerint, circunsecantur, rursúsque deorsum feruntur, quæ scilicet totam asperam arteriam non pertransierunt: quòd itaque læsio subsequatur verum existit, & cùm in pulmone liquida hæc manent, atque etiam cùm vacuantur.

Rigores incipiunt mulieribus quidem magis ex lumbis, & per dorsum, & tunc ad caput: sed & viris à tergo magis quàm antè, horréntq; corporis externa magis quàm interna, vt cubiti & femora. Cutis etiam rara est, declarat & pilus. Qui ab aliis rigent, forsan vlceribus à vasis incipit rigor.

Cætera quidem orationis explicuimus tum in aphorismis, tum in secūdo epidemiorum: sed quod in calce adiectum est, non paruam exhibuit his molestiam qui librum explanauerunt. Alij siquidem aliter scribunt, significantes omnes fieri nō posse, vt probabiliter dictio exponatur, seruata antiqua scriptura: illa itaque est talis. Ex ipsa autem quidam: forsan vlceribus: permutauerunt,

&

& scripserunt: vt vlceribus: vt hoc ipsum aliorum foret exemplum. Non enim ab vlceribus solum, verùm quoque & ab abscessibus qui in pus transeunt fit rigor. Prætereà inusti quidam & secti, ex tum inustione, tum sectione riguerunt. Quosdam & propter acre medicamentum vlceri impositum riguisse vidi: sed rigores eiusmodi omnes apparentem habent quæ præincipiat causam. Alij sunt in tertianis quartanísque febribus, & qui sæpiùs vnà cum crisi fiunt absque manifesta causa, de quibus dictum fuisse affirmant: rigores incipiunt mulieribus quidem magis, & cætera quæ sequuntur. quanquam hoc ipsum primum quispiam demiratus fuerit, quomodo in Aphorismis vbi maximè suam declarat mentem & sermonem de rigore scripsit, vniuersaliter enuntians sine huius distinctione quod nunc docetur. Nempe videtur si quis mentem huic attenderit, opinari non omnes rigores vno fieri modo, cùm dicat: qui ab alijs rigent vt vlceribus, incipit à vasis rigor. Adde quòd rigorem hunc ipsum ex vasis cœpisse dixerit, neque contra quàm prædicta habuerint discriminauerit, licet siquidem dicere, quòd ex vasis quidem incipiunt rigores, omnes id est ex ipsorum cacochymia, sed horrent primum quidem tum lumbi, tum dorsum: deinde & alia. Ob id itaq; quidam permutauerunt antiquam scripturam, & ita orationem conformauerunt. Qui ab alijs rigent

vt vlceribus, ex vasis rigor incipit, vt sermo talis sit: Qui absque loco affecto fiunt rigores, principiū ex lumbis & dorso accipiunt: cæteri à partibus affectis ortum habent, quæ & rigoris ipsius causæ existunt. Quidam pro ἀγγείων, id est, vasis scripserunt ἐναντίων, id est, contrarijs, vt in quibus affectus locus rigoris causa fit trahens ad se, vt inquiunt, tempore illo quo rigent, sanguinem ex toto corpore, videatur rigor ex parte adfectæ contrarijs incipere, contraria vocante Hippocrate superis infera, & sinistris dextra. His itaque qui mentem attendunt constat, quòd ex his quæ permutant, in maximè contrarias deducant sermonem enuntiationes: nonnulli quidem ex adfectis partibus rigores cœpisse affirmantes, alij ex parte affectæ contrarijs quæ, vt ipsi inquiunt, remotissima sunt. De causa igitur, vt sæpiùs dixi, licet volenti pro libito dicere: de his verò quæ euidenter apparent, non ita licet. nempe ita euerterentur artes omnes, atque hominum vita. Videntur autem vt in aphorismis docuit, rigores omnes principium ex lumbis & dorso accipere. Quod autem in calce orationis adiacet, si qui librum composuit, vt dicunt Thessalus Hippocratis filius in commentarijs patris reperiens conscripserit, malè fecit libro adiungens. Nam quæ à patre longa temporis vsura erant indicata, & per aphorismos in vniuersalem enuntiationem deducta, certiora esse hunc existimare oportebat

quàm

quàm essent quæ cùm anteà inquirebantur, nondum cognoscebantur. si verò ex seipso hoc adscripsit, longè deterius fecit, vniuersalem patris enunciationem in vitiosam distorquens. Si verò alius quidam ex his qui Thessalum sunt sequuti, librum hunc scripsit, perperàm ille fecit. Nempe, vt sæpiùs est dictum, experientia conspicuè apparentium est melior, non ratio quam vnusquisque sibi probabiliter confinxerit. Rei siquidem quæ sit, quidnam consonum sit ratio inuestigat, idq; esse contendit: quæ si planè fieri appareat, causam dicere tanquam factæ, delirum existit. Dicta sunt & alia quædam ab interpretibus in hanc dictionem: sed ego, vt iam sæpiùs dixi, meminisse omnium haud volui, & maximè cùm probabilißima visa, examinata falsa esse viderentur.

Summa, ex generatione, causa, & plurimis sermonibus, & sensim cognitis conferendo, & perdiscendo, si inter se similia sunt, & si non inter se similia, vt ex dissimilitudinibus similitudo fiat vna, sic & via fuerit, sic & rectè habentium, approbatio, & non rectè habentium, redargutio.

Quæ dicuntur non imperare, sed facere in ægris, est difficile. Prorsus enim artis summa in his consistit. Nam si quis exactè sciuerit, & ex prima generatione ægri naturam, atque quánam ex causa nunc ægrotet, pérque multos sermones

quæ ſenſim cognoſcuntur contemplatus fuerit, tum apparẽtes ſimilitudines, tum diſsimilitudines eſſe quæ videntur, atque reliqua quæ per dictionem dicuntur probè inuenerit, is ſanare poterit optimè. Contemplabimur itaque particularia omnia, ad memoriam quidem quæcunque alibi latiùs elaborauimus, reuocantes, addentésque ipſis ſi quid relictum fuerit. Quónam itaq; modo quis optimè vniuſcuiuſque ſanandi naturam ex prima generatione ſcire debeat tum dictum, tum demonſtratum ſæpiùs. Demonſtratũ quoq; nihilo minus, & quæ de affectis locis, & cum ipſis patientibus, tum ſcire, tum exactè cognoſcere in ægris oporteat: veluti & de cauſis quas & præincipientes & præcedentes, & continentes vocant. Oſtenſum quoque & in hoc libro cùm diceret: circa ægrum œconomia: quæ'nam quis commodè ex ægri ſermonibus ad opera artis colligere poſsit. Nõ ſecus & quòd ex particularibus ipſius tum proſpectis, tum conſideratis, diſsimilitudines in vnam deducere tum vniuerſalem, tum communem ſimilitudinem conueniat. Ex his autem quæ in his libris ſcripta ſunt, commoda ſunt plurima. Quod deinceps dicitur: rurſum diſsimilitudines his, ſectionem ab vniuerſalibus communibúſque & ſimilibus in differentias oſtendit: id quod & in omnibus artis partibus demonſtrauimus, in libro quidem de differentijs ſymptomatum in ſectione generalis ſymptomatis, ſic & in

libris

libris de differentijs pulsuum, de pulsuum sectione. Sed & inter has differentias similitudo est, secatúrque rursus vnaquaeque differentia vti demonstrauimus in alias particulariores differentias, rursúmque hae similitudines quasdam habent, iuxta illud itaque posteaquam dixit: rursum dissimilitudines in his, mox intulit: & si similia inter se fuerint, vt intelligamus aliquatenus rem contractam esse, vult siquidem nos dissimilitudines cognoscere, quae differentiae existunt: sunt rursum quadamtenus similes inter se, vt ex dissimilitudinibus similitudo vna fiat. Nam & ipsa per se vnaquaeque differentia com munem habet similitudinem, generalísque omnes complectitur: bene itaque dixit, ipsa: nempe via recta in omni artis constitutione est vt didicisti. Vocauerunt autem non ὁδὸν, id est, viam, sed methodum talem viam qui Hippocratem sunt sequuti: ex qua eorum quae rectè inueniuntur, & fiunt, in artibus approbatio, & eorum quae non rectè habent reprehensio.

Sanguinis è naribus eruptio, vel in subpallido nigricantibus, vel in rubro pallentibus, vel subpallidis.

Non est positum in oratione vtrum magis in morbis fiat sanguinis eruptio his qui dicti sunt, an hos magis quàm alios iuuet. Imo neque liquet quósnam dicat ὑποχλωρομέλαγχας, id est, in subpallido nigricantes: nempe vt sæpiùs iam dixit,

consueuerunt Græci in plantis χλωρὸν dicere ἀπὸ τῆ χλόης, id est, virente herba, atque huius colore plurimum. Abusi autem, tum robustum, tum qui peculiarem habet habitudinem ita nominant. Interdum & χλωροὺς ὠχρούς, id est, pallidos vocant, & nunc iudicio interpretum ita videtur dixisse Hippocrates ὑποχλωρομέλασι, perinde atq; dixisset ὑποχρομέλαοι, id est, in subcroceo nigricantibus. Hos nonnulli quidem ad sanguinis eruptionẽ paratiores esse aiunt, propter luteæ bilis permixtionẽ, quæ propter acrimoniam vasa aperire poßit: alij verò iuuari magis, quòd prauos habeant humores qui vacuatione indigent. Similiter & in ex rubropallentibus discordauerunt, alij promptiores ad sanguinis eruptionem dici hos affirmantes, alij iuuari magis. In vtrisque autem commune quidem quòd bilis redundet, non commune verò quòd in subpallido nigricantibus succus melancholicus magis permixtus sit, sanguineus verò in ex rubro pallentibus. Quidam ἐρυθροχρόες per ε scribunt, rubrum habentes colorem significari volentes. Per tertio loco dictos ὑποχλώρες, id est, suppallidos, intelligunt hoc loco ὑπώχρες, id est, sublutcos, voce autem eos significante, qui paucum lutei habent, cuínam hoc permixtum esse velint, subticent. Nempe si nigredinem habuerint, hos primos ab Hippocrate dictos esse aiunt: si ruborem, secundos. Fortasse autem cùm albedini permixtum fuerit, hos

vocat

vocat ὑποχλώρους. sed qui albo est colore neque est expeditus ad sanguinis eruptionem, neque quàm prædicti iuuatur magis.

Parùm indulgendum, deinde siccè incrassandum.

Hæc quidem antiqua est scriptura. Sabinus autem non βραχέα, id est, parùm, sed βραχίονα, id est brachium, scribit: atque reuulsionis gratia sectionem venæ brachij in sanguinis è naribus eruptione auxilio esse, non propriam solùm explicans scripturam, sed & probabiliter nos intelligere βραχίονα ὑφένα, de sanguinis à cubito detractione dictum esse volens. Ego talem venæ sectionem iuuare eam quæ ex naribus immoderatè fit eruptionem satis noui: reuellit siquidem eam, & fieri prohibet. Non tamen hoc dictionem Hippocratis indicare video, sed βραχέα ὑφένα dicere visus est, vt plurimi interpretum intellexerunt, pro eo quod est, indulgendum esse sanguinis fluori, deinde ad incrassationem pergendum: quoniam non simpliciter dixit incrassandum sanguinem, neque cum humiditate, sed cum siccitate. Sunt qui incrassandum ξηρῷ in dandi casu scripserunt, aiúntque subintelligendum pharmaco: nempe & hoc ex illatis declarari. his verò qui existimant consilium de his esse qui sanguinem profundunt non in morbis, sed vbi rectè incedunt, nec decumbunt, de victus ratione sermo dici videtur, præcipiente ipso bonum

succum

succum his ex incrassantibus cum siccitate conficiendum esse. Alicam autem, amylúmque hæc esse dicunt: lac item, caseum recentem, suillas, & potissimùm agnorum lactentium, præterea & hædorum. Qui verò sermonem hunc de his dici volunt qui in morbis sanguinem profundunt, consulere Hippocratem aiunt sanguinem absq; cibo incrassandum. Nempe hoc significat aduerbium ξηρῶς, id est, aridè: quoniam succorum malitiam concoquere volunt. Ad concoctionem autem confert & concoquentium medicamentorum vsus, atque interdum adstringentia. nempe & hæc incrassant sanguinem veluti concoctio. Dixit autem deinceps eiusmodi medicamentorum exemplum. Quidam non ξηρῶς per σ finem dictionis scribunt, sed per ῳ, ξηρῷ, id est, sicco, præcipere ipsum vt sanguis qui sanguinis è naribus eruptione vacuatur, sicco medicamento incrassetur adfirmantes.

In aliis autem minùs crassitudinem facere oportet.

Alios inquiunt dicere Hippocratem qui sanguinem absque succorum malitia profundũt, quibus neque crocea, neque atra bilis permixta sit. Quidam scribunt non παχυσμὸν, id est, crassitudinem, sed παχῦναι, id est, incrassare, clariorem dictionem reddere cupientes, sed eandem seruant intelligentiam: aiúntque Hippocratem iubere vt alij qui sanguinem profundunt ob sanguinis

guinis boni succi copiam, minùs incrassentur, intellecto scilicet verbo incrassare rursus bifariàm: alijs quidem victus ratione, alijs verò medicamenti ad nares admotione sanguinis craßitiem fieri volentibus, alijs etiam vtroque. Quòd autem talium dictionum nulla stabilem habeat cognitionem, dictum est à me sæpiùs.

Sicco verò est opus albo, vt est galla & alumen.

Hæc quidem est vetus scriptura, quam cùm explanatu esset difficilis, quidam transmutauerunt: alij quidem parum, alij verò ampliùs immutantes. Qui ampliùs permutauerunt, ita scripserunt: Sicco verò est opus albo à naribus, vt est galla & alumen, sensum ipsius talem esse volentes: Sanguinem immoderatè à naribus profundẽtes præter hæc, quæ antè dicta sunt, adhuc & topicis auxilijs curare oportet. Exẽplũ topicorũ auxiliorũ dici aiunt medicamentum siccum album naribus impositum: sed cùm galla alba non sit, quidam & alumen sibi adiunxerunt scribentes, vt galla alumen, sed hac vel illa iure sustulerũt, tanquam paruum & Hippocrate indignum, qui significare aiunt alterutra nare sanguinem profundente, siccum huic medicamentum esse imponendum. Seruata verò antiqua scriptura oratio ænigmatica est. Nempe quæ nam à naribus alba vacuare velit, vel expurgare, vel concoquere, vel quæ sponte ferantur contemplari, planè

inuenire est difficile, quòd Hippocrates nihil verbo, albo, adiunxerit. Ob id itaq; iure in hoc ipso primùm dissenserunt interpretes, intelligendum esse alius aliud volentes, & quod omnibus ipsis velut cecis, id est, galla aduersatur. conueniens enim erat dicere, vt cecide, id est, vt galla: hoc itaque communiter cum omnibus pugnat, neq; fieri potest vt vitetur absurditas interpretationis, nec possum non lapsum & dissolutam constituere qui scribo. Sunt qui dicant totum sermonem Hippocrati nunc esse adhuc de sanguinis per nares eruptione, consulere verò vtendum esse in talibus adstringente medicamento, quod nari sanguinem profundenti impositum sit, quoadusque alba exierint, placata scilicet sanguinis eruptione. Multa sanè & alia perperàm dicuntur in dictionem vitiatam, vt mihi videtur, & forsan ab aliquo subdolè insertam. Mirari verò licet vt in alijs multis, ita & nunc eos qui promptè dictiones Hippocratis in id quod ipsis visum fuerit transscribunt. Nempe cùm interpretes omnes scriptum esse in dictione, à naribus alba, non ignorent, permutauerunt tamen ipsi, scripserúntque à naribus albo. Sæpiùs autem retuli quòd in ambiguis dictionibus verba verisimiliter permutare liceat, dicendo priùs hoc ipsum tunc scripturam permutare conuenit.

Vbi concumbere vel hircire incipiunt, sanguinem profundunt.

Sangui

Sanguinem è naribus facilè profundunt non ægri solùm, sed & sani qui hanc agunt ætatem, in qua contingit quod hircire vocant, hi sanè tantùm concumbere possunt. Priùs itaque sanguinis copiam habebant cùm pueri essent, sed in augmento non pari modo multum habent. Sanguis verò calidior ipsis existit, atque ob id sanguinem profundunt. Vos autem memoria tenere arbitror sanguinis eruptiones eas quæ ex alijs partibus fiunt, perpetuò cum loci appellatione recenseri, eas verò quæ ex naribus fiunt, interdum & citra partis appellationem.

In concubitibus quidam crepitum emittunt, vt Arcesilaus, quidam horridi fiunt & rugosi: alij vbi congressi fuerint, ventre inflantur, vt Damagoras.

Si vt sæpiùs dixi, quæ à plerisque interpretibus valde perperàm dicta sunt, argumentis conuincerem, molestè commentariorum prolixitatem ferrent omnes. Quòd si non argumentis conuicta prætermisero, de moderatioribus agens, iam qui mentem habent ex se incitati, prætermissa iudicare poterunt, & nunc ita faciam. Verbum προσόδοισιν, *id est, concubitibus intellexerunt ferè omnes de ea quæ cum muliere fit commixtione, veluti & verbum* ἀποψοφέουσιν, *pro* φύσας προΐεσθαι *.i. flatus emittere. sed de ea re paulò antè mentionẽ fecimus. Quod autẽ deinceps est scriptũ, quidam horridi fiunt, tale quippiã indicat:*

quidam

quidam ex his qui concumbere aggrediuntur, cùm intercalescunt horridi fiunt, quam secũdum rationem iam omnes eos qui succorum malitia sunt prediti vbi confertiùs incalescunt, hoc pati sæpiùs didicistis. Quidam pro φρικώδεες, id est, horridi, scribunt ῥιγώδεες, id est, rigentes, quod valde rarum esse videtur, & maximè succorum malitiæ argumentum. Hinc est quòd neminem circa concubitus initium rigere cognouerim. Præterea pro ῥικνώδεες, id est, rugosi, κακώδεες scribunt, putántque ex his nonnulli κακώδεις ἀπὸ τοῦ κακοῦσθαι τὸ σῶμα. id est, malè adfecto corpore dici: alij verò ἀπὸ τοῦ κακὸν ὄζειν, id est, malè olente. De his quibus venter inflatur dictum est suprà. Dioscorides orationem hanc, vt alias multas in eam quam voluit permutauit dictionem, vt tota dictio talis esset: In coitibus quidam interdum flatus emittunt, vt Arcesilaus, vt flatus ipsius grauè olere intelligamus. Capito & ipse in valde multa transmutans, dictionem fecit: In concubitibus quidam flatus emittunt, vt Arcesilaus, alij rigentes fiunt & rugosi.

Mutationes cauendæ.

Securius in alijs quibusdam & in aphorismis hoc dixit, adiectis scilicet, multam & repentè. Neque enim continentis nos aëris mutationes, neque quæ à nobis paulatim fiunt, fallaces existunt. Solæ autẽ & subitæ & repentinæ, ad sanitatem tutæ non sunt, atque ob id tales cauere opor

oportet. Vitabimus autem ambientis nos aëris mutationes, & domi plurimùm manētes, & contrariorum adhibitione, resiccantes quidem corpus in humidis mutationibus, humectantes verò in mutationibus ad siccitatem: calefacientes item & refrigerantes, vbi vtriusque horum fuerit occasio. In victus ratione autem mutationes possumus in nobis ipsis effugere, neque ex gymnasijs in ocium repentè transeuntes, neque ex ocio ad gymnasia. Imò neque ex lauacri abstinentia, ad lauacrum, neque ex lauacro ad lauacri abstinentiam, neque ex aquæ potu ad vini potum, aut ex vini potu ad aquæ potum, atque in alijs omnibus modo simili. Hic itaque sermo verus est, atque vnà sæpiùs ab Hippocrate dictus. Non video quídnam passi quidam aiant sub hac oratione: Mutationes cauendæ: intelligendum esse casum hunc generandi, ætatum. Neque enim ætatum meminit cùm in aphorismis dixit: Plurimùm & repentè vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel frigefacere, vel alio quouis modo corpus mouere non tutum. Omne siquidem nimium naturæ est inimicum. Neque enim multum naturæ in ipsis est quæ paulatim transeunt, neque vberiore aliqua indigent cautione circa communia salubrium præcepta, sicuti neque cùm tempora paulatim permutātur, nempe has interdum magnas ad contraria permutationes repentè fieri videmus. Nullam tamen ætatem derepentè incidisse

ſcimus, ita vt puer poſtero die vir fiat, non pertranſita, tum puberũ, tũ adoleſcentulorum ætate.

Cibi parcitas laſsitudinem non facit, ſitim adimit.

Vbi vniuerſaliter cauendas eſſe mutationes protulit, vnum aliquod eorum quæ ad naturalia pertinent, ſcripſit deinceps ad memoriã ſibi. Nempe in vtriſq; mutationibus, tum aëris nos circundantis, tum eorum quæ ad vitæ noſtræ ſortẽ ſpectant, tum vniuerſæ victus rationis, & cibi parcitas, & quod laſsitudinem tollit, & quod ſitim in omnibus quæ exequimur, ſcopũ habent. Interpretes verò cibi parcitatem, tũ id quod laſsitudinem, tum id quod ſitim auertit eſſe dixerunt. Id quod falſum exiſtit, ſi tanquam vniuerſale dicatur. Nempe his qui pituitoſos habent ſuccos, aut ſanguinem vtilem, laſsitudinem multũ tollit, ſitímq;, cibi parcitas. Bilioſis verò vel inediam patientibus, neq; laſsitudinẽ, neq; ſitim aufert, vt in libro de victus ratione in morbis acutis demonſtrauit. Deterius autem opinati ſunt, qui ſcripſerunt: ciborũ abſtinentia laſsitudinem tollit, ſitim extinguit: ſed hi ſummè ignorantes ſunt, quæ neq; quiſpiam ex vulgo ignorat, ignorant. Quidam in calce orationis adiũxerunt, τῷ πεινῶντι. eſurienti: aiúntq; cibi parcitatem laſsitudinẽ tollere, & ſitim extinguere eſurienti: aſſerúntq; τ̀ πεινῶντα dici qui inediam ſentit, quanquam meliùs erat dicere: inediam quidem ſentienti, cibi parcitatem

intemp

intempestiuè adhiberi, non sentienti verò commodam esse: nempe constat plethoricum esse.

Extenuatio omnis cutem elaxat, deinde circuntendit, recreatio contraria: corporis labentis rugositas, recreati extensio, horridum, lene, alterutrius signum, subbiliosum, subrubrum: sic mammas laxari, graciles autem extolli, vel circunobtendi, quanquam ne ob id quidem fieri nemo credide rit, sed quòd caro aucta sit.

Demiror interpretum ænigmatosas dictiones quas nemo hominum nouit, qui soli se nosse profitentur: & quæ nobis omnibus conspicua existunt, soli illi non intelligunt. Præsentem itaque dictionem quæ ænigmatosa non est varijs distrahunt modis, alius aliter circunscribens eas quæ in oratione sunt enuntiationes, exponúntque circa ea quæ omnibus conspicuè apparent, quæ maximè omnium cauere ipsos oportebat. Est siquidem Hippocrati sermo de his quæ in corporibus nostris videntur, tum in extenuationibus, tum in recreationibus & refectionibus, hi verò neque quid sit λεπτυσμὸς, id est, extenuatio nosse visi sunt, tantùm abest, vt vel apparentia ipsis omnia, vel eorum causas nouerint. Nempe extenuationem fieri ob vacuationem pronuntiat, alij non interesse existimant si vel vacuatio, vel extenuatio dicatur: sed nosse id, vt retuli, præstantis scientiæ non est. Multi itaque sanguinis

copiam non paucam habent, sunt verò summè graciles, sicuti alij crassi obesiq;, & pauci sanguinis. Et mulierem quidem, cui iam ab octo mensibus menstrua suppressa erant maximè extenuatam, detracto non pauco sanguine, breui tempore ad peculiarem reduxi habitum, quemadmodum & alias non paucas, quod verò in illa, neq; enim ignobilis, celebre hoc fuit, secta quidem illi vena, sed ex hoc remedio certam futuram opem promittere trepidantibus Medicis, quidam nobis contradicere ausi sunt, lædendam à venæ sectione, non solùm propter mulieris gracilitatem, sed & propter inappetentiam esse asserentes: atque hæc quidem prolixiùs recensere præstat, quàm quærere exactè vt inueniatur de quónam ex Prodicis agat Hippocrates. Sed iam, vt sæpiùs dixi, Medici recentiores in eam, quæ magis sophistica sit, recesserunt formam, aspernati quidem quæ circa ægros fiunt exactè obseruare, atque eorum adfectus inuestigare, & causas ex quibus curatio inueniatur, quæ & ipsa per mulieris quam memoraui experientiam dijudicata est. Primo siquidem die detraxi sanguinis iuxta vnam & dimidiam libram, rursus secundo die vnam, tertio autem non multò plus quàm dimidiam libram, nẽpe vnciæ erant octo. Sophista itaque hæc ignorans, quærere incipit quis ex Græcis appellauit λίτρας, id est, libras, vel quis vncias. Medicus verò nosse concupiscet quænam signa & alia,

venæ

venæ sectionem in suppreßione muliebrium ostendant. Ego autem recensebo illa, vbi sophistis quòd malè valeant dixero, quòd scilicet venæ illi prominerent, sanguinis refertæ apparentes, & liuidæ colore. Dissecto autem vase pici liquidæ simi lis erat, & crassus: quam ob rem longè plùs vacuandum esse visum est. Hæc obiter his diximus, qui rectè curare desiderant. Ad propositum autem reuersus, dicam interpretes non rectè simpliciter pronuntiasse corporis extenuationem ob vacuationem fieri. Nempe distinctè erat pronuntiandum, quòd λεπτυσμὸς totius tumoris καθαίρεσις, id est, extenuatio quædã sit, vel σύμπτωσις, id est, collapsus vel contractio, vel συνίζησις, id est, considentia, aut quouis modo appellare libeat, παχυσμὸς verò contrà in tumorem augmẽtum. Interdum itaque cùm in carnoso genere imbecilla fuerit virtus, prauúsque contineatur, tum in arterijs, tum in venis sanguis fit λεπτυσμὸς: sæpiùs verò ex contrarijs παχυσμὸς, ita vt in vasis paucus sit sanguis, qui in alimentum carnis absumatur: probéque illas alat, atque ob illas corpus totum intumescat. Non hoc ignorant puerorum mangones omnes, quòd circum partes carnosas cutis obtendatur: norúntque naturas corporum nonnullas quæ in tumorem attolli cutis circuntensione nequeunt. Nempe summis digitis ipsam extendentes, inspiciunt quantum à subiecta carne recesserit, tantúmq; reficiendum vnum-

quodque gracile corpus sperant, quantum cutis increscebat. Nempe in extenuatis, tum mollis, tum laxa, in obesis opimatísque tensa esse videtur. Extenuationes itaque ob multas eueniunt causis, nempe exercitationes multæ, cibi inopia, vigiliæ, curæ, dolores, morbíque, tum colliquantes, tum vaporantes, & vacuatio multa per ventrem, vel vomitus, vel sudores, vel sanguinis profusionem extenuationum sunt causæ. Recreationis verò modus vnus, omnium scilicet commoderatio, quibus cùm valemus opus habemus. Hæc autem sunt, vt ipse in sequentibus narrabit: labor, cibus, potus, somnus, venus. Cùm itaque multi sint modi, quibus corpus extenuetur, commune omnium est, primum quidem vt cutis elaxetur, deinde circuntendatur, manente scilicet extenuatione. Succedente verò recreatione contrarium accidet, nempe tendetur cutis. Causas horum iam quidem audiuistis sæpiùs, sed & summatim nunc dicemus, reuocantes ad memoriam quæ sæpe in vtribus & vesicis estis contemplati. Nempe cùm interna capacitas repletur, circuntenditur cutis: cùm vacuatur, laxatur, mollescítque. Simili modo & in animantibus quæ probè aluntur, tendi videtur cutis, laxari autem in his quæ extenuantur. Nempe vt humor in vtres effusas membranas horum distendit: sic carnes cùm augentur, cutem sibi circuntendunt. Videmus obesos omnes tensam ita habere cutim, vt nemo acceptā ipsam

etiam

etiam modicè à subiectis carnibus dissociare possit: graciles verò ita mollem, vt qui ipsam extendat, acum transmittere possit, nihil ex subiectis vulnerando. Hactenus ferè omnes dictionem rectè intellexerunt, sed turbati ob id sunt quod huic adiacet orationi: Extenuatio omnis laxat cutem, contrariúmque non ab ipsa fieri aiunt: & ideò quidam orationem, deinde circuntenditur, de recreatione dictam esse putant, non videntes ipsis aduersari quod infertur vbi inquit: Recreatio contraria: fiet siquidem si subsequatur expositionis sententiam sensus quidam talis: Extenuatio omnis cutem laxat; circuntenditur autem contrà his qui recreantur, recreatio contrà facere solet. Atqui primùm quidem consentaneũ erat, vt non contraria recreationem facere diceret, sed contrarium. Nempe cùm vnum de extenuatione dictum esset, vnũ & de recreatione contrarium dicere rationi erat consonũ. Si itaq; extenuatio cutẽ laxat, recreationẽ circuntendere oportebit, coniunctionẽ itẽ, autẽ, post verbũ, recreatio, dixisse videtur, faciliore, clariore, & breuiore existẽte tali sermone: Extenuatio omnis cutẽ laxat, recreatio autẽ circũtendit. Quid igitur est quod ab oratione significatur, in qua inquit: deinde circuntẽdit? nihil sanè aliud nisi quod conspicuè ab omnibus intelligitur: Laxari quidẽ primùm cutẽ in extenuationibus, deinde circuntendi, permanente scilicet extenuatione, & in recreationem

non transeunte. In recreatione autem modo contrario, quòd principio quidem cutis circuntendatur, tempore verò elaxetur. Hæc autem si ita accuratè quæ videntur quomodo Hippocrates animaduertissent, ita fieri vidissent. Primùm itaq; vbi vos admonuero quæ conspicuè vidistis, post hæc causas apparentium recensebo. Fiat autem admonitio de his qui in morbis sunt emaciati, & potissimùm ea macie quam Græci μαρασμὸν περιφρυγῆ, id est, tabem obtorridam vocant. In quibus meministis cutim non aliter tensam esse quàm aridum corium: & quid mirum in illis longo exiccatis tempore cutim tensam esse videri, quando & primis diebus hoc interdum contingat? Agit siquidem Hippocrates ipse in prognostico de his quæ morbi principio accidunt, explicans & inter alia faciei signa hoc: cutis circa frontem dura & intenta. Quòd autem à vacuatione id fiat, docuit deinceps ita scribens: Interrogare oportet nũquid vigilauerit homo, aut aluus valde liquida fuerit, vel inediæ quippiam eum habuerit. Atqui hoc quidem fatẽtur omnes qui Hippocratem sunt sequuti: veluti vno ore pronuntiantes, quòd in multa vacuatione, interdum quidem visibiliter facta, interdum verò & inuisibiliter talem fieri faciem contingat, qualem descripsit in hac oratione: Nasus acutus, concaui oculi, collapsa tempora, aures frigidæ contractæq;, & lobis leniter versæ, cutis circa frontem dura

intent

intentáque, ita vt nos conspicuè docere videatur, validam vacuationem mediocri contrariam circa cutim facere affectionem. Sermo ipsorum verisimilis quidem, sed non verus videtur, cùm inquiunt: manentibus his quæ adfectum pariunt causis fieri non potest, vt ad contrariũ fiat transitus. Nempe id conspicuè accidit in vacuationibus immoderatis siue sensibiliter permanere ipsæ diutiùs videantur, siue obscurè; ægris vel distabescentibus, vel per transpirationes exhaustis. Priusquam itaque vacuatio ad propriam cutis substantiam peruenerit, veluti cùm vtres vacuantur, vel sacci, vel vesicæ, laxatur cutis. Diutiùs autem perseuerante vacuatione, non secus fit quàm in tum corijs, tum pellibus quas extendere ob siccitatem non possumus. Talis videtur & tũ vtrium, tum vesicarum cutis fieri, vbi valde inaruerint: quoad verò intus quippiam admissum sit, humida & mollis manet, & rursus dimissum sit: excipiens quidem vbi valde expleta est tenditur, vbi euacuatur, relaxatur. Bene itaque dixit Hippocrates: Extenuatio omnis cutim laxat, deinde intendit, nempe & ita fieri videntur, causáque est dicta: bene quoque adiecit, recreationem contraria efficere. Principio siquidem cutis extenditur, sed tempore, tum laxior, tum mollior fit: durior siquidem naturâ, & subiectis carnibus siccior, posteriùs quàm illæ, tum in extenuationibus induratur, tum mollescit in recreationibus.

Cùm itaq; dura & arida iam fuerit, & succedat recreatio, primùm carnes adaugens iure optimo intenditur, progressu verò temporis sumpto alimento, tum mollior, tum humidior efficitur, atque ob id rursus laxatur, quemadmodũ aridæ, tum pelles, tum coria, vbi aqua perfusæ fuerint, & oleo, & adipe perunctæ. Hæc itaque, tum verè, tum euidenter ab Hippocrate dicta perperàm sunt explicata, propter rerum, de quibus agitur, ignorationem. Quæ consequuntur non ita patent. Forsan verò & perperàm scripta perspicua esse putant, quanquam & in ipsorum explanationibus dissentiant, non minùs quàm hi qui veteres permutant scripturas. Vt autem sermo manifestior sit, partem dictionis quamlibet seiunctim expromam. Corporis collabentis rugositas, recreati extensio. Quòd itaque in extenuationibus cutis elaxetur, priusquàm in propria substantia quippiam patiatur, in recreationibus verò tendatur: quòd item arescens tempore in contraria transeat, est suprà demonstratum. In hoc autem sermone collabentis quidem corporis ῥίκνωσιν, id est, rugationem fieri ait, recreati verò extensionẽ, ῥικνὸν autem vocant Græci, tum corpus, tum cutim quod in rugas vnà cum contractione agatur, sicuti in senibus videtur, affectúmq; ipsum ῥίκνωσιν, id est, rugationem. Videtur & in iuuenũ corporibus rugatio quædam fieri flaccescentibus venis, & potissimùm in euaporato qui in ipsis

redund

redundabat ſanguine, quis medicamentum, tum auſteræ, tum adſtringentis particeps facultatis ſuperpoſuerit. Fieri autem & talem cuti conditionem ait collabenti, id eſt, cum paucioribus redditis quæ in ipſa continentur collabatur & in ſe conſidat. Conditionem contrariam ἔκτασιν, id eſt, extenſionem vocant homines, cùm in longitudinem & latitudinem increuerit. Contingit verò interdum in longitudinem ſolùm vel latitudinem, tum tendi, tum conſidere. Sed præſentem dictionem de ipſis, tum contractione, tum tenſione ſecundùm dimenſionem vtranq; intelligere oportet. Qui verò dictionem anteſcriptam intellexerit, non hac valde indigebit: Horridum, lene, ſignum alterutrius, ſubbilioſum, ſubrubrum. Sunt qui ſcribant: rugoſum lene alterutrius ſignum: ſed quoniam in antecedente dictione de rugoſitate ſcriptum ſit, conſentaneum magis eſſe nunc viſum eſt vt φρικώδης, id eſt, horridum dicatur, oſtendēte Hippocrate factam eſſe in his qui rugas contrahunt formam his ſimilem qui inhorrent, ſimilitudo autem fit ſecundum cutis inæqualitatem, & veluti aſperitatem, partibus ſcilicet nonnullis cauioribus viſis, alijs verò eminentioribus. Cùm verò paruis admodùm interuallis hoc per totam fiat cutim, vocatur ſymptoma & φρίκη & φρὶξ, id eſt, horror, túque intellige exquiſitæ vndarum tranquillitati lenis corporis conſtitutionem adſimilaſſe: horrorem verò nuper

incipie

inuenire est difficile, quòd Hippocrates nihil verbo, albo, adiunxerit. Ob id itaq; iure in hoc ipso primùm dissenserunt interpretes, intelligendum esse alius aliud volentes, & quod omnibus ipsis velut cecis, id est, galla aduersatur. conueniens enim erat dicere, vt cecide, id est, vt galla: hoc itaque communiter cum omnibus pugnat, neq; fieri potest vt vitetur absurditas interpretationis, nec possum non lapsam & dissolutam constituere qui scribo. Sunt qui dicant totum sermonem Hippocrati nunc esse adhuc de sanguinis per nares eruptione, consulere verò vtendum esse in talibus adstringente medicamento, quod nari sanguinem profundenti impositum sit, quoadusque alba exierint, placata scilicet sanguinis eruptione. Multa sanè & alia perperàm dicuntur in dictionem vitiatam, vt mihi videtur, & forsan ab aliquo subdolè insertam. Mirari verò licet vt in alijs multis, ita & nunc eos qui promptè dictiones Hippocratis in id quod ipsis visum fuerit transscribunt. Nempe cùm interpretes omnes scriptum esse in dictione, à naribus alba, non ignorent, permutauerunt tamen ipsi, scripserúntque à naribus albo. Sæpiùs autem retuli quòd in ambiguis dictionibus verba verisimiliter permutare liceat, dicendo priùs hoc ipsum tunc scripturam permutare conuenit.

Vbi concumbere vel hircire incipiunt, sanguinem profundunt.

Sangui

Sanguinem è naribus facilè profundunt non ægri solùm, sed & sani qui hanc agunt ætatem, in qua contingit quod hircire vocant, hi sanè tantùm concumbere possunt. Priùs itaque sanguinis copiam habebant cùm pueri essent, sed in augmento non pari modo multum habent. Sanguis verò calidior ipsis existit, atque ob id sanguinem profundunt. Vos autem memoria tenere arbitror sanguinis eruptiones eas quæ ex alijs partibus fiunt, perpetuò cum loci appellatione recenseri, eas verò quæ ex naribus fiunt, interdum & citra partis appellationem.

In concubitibus quidam crepitum emittunt, vt Arcesilaus, quidam horridi fiunt & rugosi: alij vbi congresſi fuerint, ventre inflantur, vt Damagoras.

Si vt sæpiùs dixi, quæ à plerisque interpretibus valde perperàm dicta sunt, argumentis conuincerem, molestè commentariorum prolixitatem ferrent omnes. Quòd si non argumentis conuicta prætermisero, de moderationibus agens, iam qui mentem habent ex se incitati, prætermissa iudicare poterunt, & nunc ita faciam. Verbum προσόδοισιν, id est, concubitibus intellexerunt ferè omnes de ea quæ cum muliere fit commixtione, veluti & verbum ἀποψοφέουσιν, pro φύσας προΐεσθαι. i. flatus emittere. sed de ea re paulò antè mentionẽ fecimus. Quod autẽ deinceps est scriptũ, quidam horridi fiunt, tale quippiã indicat:

quidam

quidam ex his qui concumbere aggrediuntur, cùm intercalescunt horridi fiunt, quam secũdum rationem iam omnes eos qui succorum malitia sunt præditi vbi conferctiùs incalescunt, hoc pati sæpiùs didicistis. Quidam pro φρικώδεες, id est, horridi, scribunt ῥιγώδεες, id est, rigentes, quod valde rarum esse videtur, & maximè succorum malitiæ argumentum. Hinc est quòd neminem circa concubitus initium rigere cognouerim. Præ tereà pro ῥικνώδεες, id est, rugosi, κακώδεες scribunt, putántque ex his nonnulli κακώδης ἐπὶ τοῦ κακοῦσθαι τὸ σῶμα. id est, malè adfecto corpore dici: alij verò ἐπὶ τοῦ κακὸν ὄζειν, id est, malè olente. De his quibus venter inflatur dictum est suprà. Dioscorides orationem hanc, vt alias multas in eam quam voluit permutauit dictionem, vt tota dictio talis esset: In coitibus quidam interdum flatus emittunt, vt Arcesilaus, vt flatus ipsius grauè olere intelligamus. Capito & ipse in valde multa transmutans, dictionem fecit: In concubitibus quidam flatus emittunt, vt Arcesilaus, alij rigentes fiunt & rugosi.

Mutationes cauendæ.

Securius in alijs quibusdam & in aphorismis hoc dixit, adiectis scilicet, multam & repentè. Neque enim continentis nos aëris mutationes, neque quæ à nobis paulatim fiunt, fallaces existunt. Solæ autẽ & subitæ & repentinæ, ad sanitatem tutæ non sunt, atque ob id tales cauere opor

oportet. *Vitabimus autem ambientis nos aëris mutationes, & domi plurimùm manẽtes, & contrariorum adhibitione, resiccantes quidem corpus in humidis mutationibus, humectantes verò in mutationibus ad siccitatem: calefacientes item & refrigerantes, vbi vtriusque horum fuerit occasio. In victus ratione autem mutationes possumus in nobis ipsis effugere, neque ex gymnasijs in ocium repentè transeuntes, neque ex ocio ad gymnasia. Imò neque ex lauacri abstinentia, ad lauacrum, neque ex lauacro ad lauacri abstinentiam, neque ex aquæ potu ad vini potum, aut ex vini potu ad aquæ potum, atque in alijs omnibus modo simili. Hic itaque sermo verus est, atque vnà sæpiùs ab Hippocrate dictus. Non video quídnam passi quidam aiant sub hac oratione: Mutationes cauendæ: intelligendum esse casum hunc generandi, ætatum. Neque enim ætatum meminit cùm in aphorismis dixit: Plurimùm & repentè vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel frigefacere, vel alio quouis modo corpus mouere non tutum. Omne siquidem nimium naturæ est inimicum. Neque enim multum naturæ in ipsis est quæ paulatim transeunt, neque vberiore aliqua indigent cautione circa communia salubrium præcepta, sicuti neque cùm tempora paulatim permutãtur, nempe has interdum magnas ad contraria permutationes repentè fieri videmus. Nullam tamen ætatem derepentè incidisse*

ſcimus, ita vt puer poſtero die vir fiat, non pertranſita, tum puberũ, tũ adoleſcentulorum ætate.

Cibi parcitas laſsitudinem non facit, ſitim adimit.

Vbi vniuerſaliter cauendas eſſe mutationes protulit, vnum aliquod eorum quæ ad naturalia pertinent, ſcripſit deinceps ad memoriã ſibi. Nempe in vtriſq; mutationibus, tum aëris nos circundantis, tum eorum quæ ad vitæ noſtræ ſortẽ ſpectant, tum vniuerſæ victus rationis, & cibi parcitas, & quod laſsitudinem tollit, & quod ſitim in omnibus quæ exequimur, ſcopũ habent. Interpretes verò cibi parcitatem, tũ id quod laſsitudinem, tum id quod ſitim auertit eſſe dixerunt. Id quod falſum exiſtit, ſi tanquam vniuerſale dicatur. Nempe his qui pituitoſos habent ſuccos, aut ſanguinem vtilem, laſsitudinem multũ tollit, ſitímq;, cibi parcitas. Bilioſis verò vel inediam patientibus, neq; laſsitudinẽ, neq; ſitim aufert, vt in libro de victus ratione in morbis acutis demonſtrauit. Deteriùs autem opinati ſunt, qui ſcripſerunt: ciborũ abſtinentia laſsitudinem tollit, ſitim extinguit: ſed hi ſummè ignorantes ſunt, quæ neq; quiſpiam ex vulgo ignorat, ignorant. Quidam in calce orationis adiũxerunt, τῷ πεινῶντι. i. eſurienti: aiúntq; cibi parcitatem laſsitudinẽ tollere, & ſitim extinguere eſurienti: aſſerúntq; τ πεινῶντα dici qui inediam ſentit, quanquam meliùs erat dicere: inediam quidem ſentienti, cibi parcitatem

intemp

intempestiuè adhiberi, non sentienti verò commodam esse: nempe constat plethoricum esse.

Extenuatio omnis cutem elaxat, deinde circuntendit, recreatio contraria: corporis labentis rugositas, recreati extensio, horridum, lene, alterutrius signum, subbiliosum, subrubrum: sic mammas laxari, graciles autem extolli, vel circunobtendi, quanquam ne ob id quidem fieri nemo crediderit, sed quòd caro aucta sit.

Demiror interpretum ænigmatosas dictiones quas nemo hominum nouit, qui soli se nosse profitentur: & quæ nobis omnibus conspicua existunt, soli illi non intelligunt. Præsentem itaque dictionem quæ ænigmatosa non est varijs distrahunt modis, alius aliter circunscribens eas quæ in oratione sunt enuntiationes, exponúntque circa ea quæ omnibus conspicuè apparent, quæ maximè omnium cauere ipsos oportebat. Est siquidem Hippocrati sermo de his quæ in corporibus nostris videntur, tum in extenuationibus, tum in recreationibus & refectionibus, hi verò neque quid sit λεπτυσμὸς, id est, extenuatio nosse visi sunt, tantùm abest, vt vel apparentia ipsis omnia, vel eorum causas nouerint. Nempe extenuationem fieri ob vacuationem pronuntiāt, alij non interesse existimant si vel vacuatio, vel extenuatio dicatur: sed nosse id, vt retuli, præstantis scientiæ non est. Multi itaque sanguinis

copiam non paucam habent, sunt verò summè graciles, sicuti alij crassi obesíq;, & pauci sanguinis. Et mulierem quidem, cui iam ab octo mensibus menstrua suppressa erant maximè extenuatam, detracto non pauco sanguine, breui tempore ad peculiarem reduxi habitum, quemadmodum & alias non paucas, quod verò in illa, neq; enim ignobilis, celebre hoc fuit, secta quidem illi vena, sed ex hoc remedio certam futuram opem promittere trepidantibus Medicis, quidam nobis contradicere ausi sunt, lędendam à venæ sectione, non solùm propter mulieris gracilitatem, sed & propter inappetentiam esse asserentes: atque hæc quidem prolixiùs recensere præstat, quàm quærere exactè vt inueniatur de quónam ex Prodicis agat Hippocrates. Sed iam, vt sæpiùs dixi, Medici recentiores in eam, quæ magis sophistica sit, recesserunt formam, aspernati quidem quæ circa ægros fiunt exactè obseruare, atque eorum adfectus inuestigare, & causas ex quibus curatio inueniatur, quæ & ipsa per mulieris quam memoraui experientiam dijudicata est. Primo siquidem die detraxi sanguinis iuxta vnam & dimidiam libram, rursus secundo die vnam, tertio autem non multò plus quàm dimidiam libram, nēpe vnciæ erant octo. Sophista itaque hæc ignorans, quærere incipit quis ex Græcis appellauit λίτρας, id est, libras, vel quis vncias. Medicus verò nosse concupiscet quænam signa & alia,

venæ

venæ sectionem in suppressione muliebrium osten dant. Ego autem recensebo illa, vbi sophistis quòd malè valeant dixero, quòd scilicet venæ illi prominerent, sanguinis refertæ apparentes, & liuidæ colore. Dissecto autem vase pici liquidæ simi lis erat, & crassus: quam ob rem longè plùs vacuandum esse visum est. Hæc obiter his diximus, qui rectè curare desiderant. Ad propositum autem reuersus, dicam interpretes non rectè simpliciter pronuntiasse corporis extenuationem ob vacuationem fieri. Nempe distinctè erat pronuntiandum, quòd λεπτυσμὸς totius tumoris καθαίρεσις, id est, extenuatio quædã sit, vel σύμπτωσις, id est, collapsus vel contractio, vel συνίζησις, id est, considentia, aut quouis modo appellare libeat, παχυσμὸς verò contrà in tumorem augmẽtum. Interdum itaque cùm in carnoso genere imbecilla fuerit virtus, prauúsque contineatur, tum in arterijs, tum in venis sanguis fit λεπτυσμὸς: sæpiùs verò ex contrarijs παχυσμὸς, ita vt in vasis paucus sit sanguis, qui in alimentum carnis absumatur: probéque illas alat, atque ob illas corpus totum intumescat. Non hoc ignorant puerorum mangones omnes, quòd circum partes carnosas cutis obtendatur: norúntque naturas corporum nonnullas quæ in tumorem attolli cutis circuntensione nequeunt. Nempe summis digitis ipsam extendentes, inspiciunt quantum à subiecta carne recesserit, tantúmq; reficiendum vnum-

quodque gracile corpus ſperant, quantum cutis increſcebat. Nempe in extenuatis, tum mollis, tum laxa, in obeſis opimatíſque tenſa eſſe videtur. Extenuationes itaque ob multas eueniunt cauſas, nempe exercitationes multæ, cibi inopia, vigiliæ, curæ, dolores, morbíque, tum colliquantes, tum vaporantes, & vacuatio multa per ventrem, vel vomitus, vel ſudores, vel ſanguinis profuſionem extenuationum ſunt cauſæ. Recreationis verò modus vnus, omnium ſcilicet commoderatio, quibus cùm valemus opus habemus. Hæc autem ſunt, vt ipſe in ſequentibus narrabit: labor, cibus, potus, ſomnus, venus. Cùm itaque multi ſint modi, quibus corpus extenuetur, commune omnium eſt, primum quidem vt cutis elaxetur, deinde circuntendatur, manente ſcilicet extenuatione. Succedente verò recreatione contrarium accidet, nempe tendetur cutis. Cauſas horum iam quidem audiuiſtis ſæpiùs, ſed & ſummatim nunc dicemus, reuocantes ad memoriam quæ ſæpe in vtribus & veſicis eſtis contemplati. Nempe cùm interna capacitas repletur, circuntenditur cutis: cùm vacuatur, laxatur, molleſcítque. Simili modo & in animantibus quæ probè aluntur, tendi videtur cutis, laxari autem in his quæ extenuantur. Nempe vt humor in vtres effuſas membranas horum diſtendit: ſic carnes cùm augentur, cutem ſibi circuntendunt. Videmus obeſos omnes tenſam ita habere cutim, vt nemo acceptã ipſam

etiam

etiam modicè à subiectis carnibus dissociare possit: graciles verò ita mollem, vt qui ipsam extendat, acum transmittere posßit, nihil ex subiectis vulnerando. Hactenus ferè omnes dictionem rectè intellexerunt, sed turbati ob id sunt quod huic adiacet orationi: Extenuatio omnis laxat cutem, contrariúmque non ab ipsa fieri aiunt: & ideò quidam orationem, deinde circuntenditur, de recreatione dictam esse putant, non videntes ipsis aduersari quod infertur vbi inquit: Recreatio contraria: fiet siquidem si subsequatur expositionis sententiam sensus quidam talis: Extenuatio omnis cutem laxat; circuntenditur autem contrà his qui recreantur, recreatio contrà facere solet. Atqui primùm quidem consentaneũ erat, vt non contraria recreationem facere diceret, sed contrarium. Nempe cùm vnum de extenuatione dictum esset, vnũ & de recreatione contrarium dicere rationi erat consonũ. Si itaq; extenuatio cutẽ laxat, recreationẽ circuntendere oportebit, coniunctionẽ itẽ, autẽ, post verbũ, recreatio, dixisse videtur, faciliore, clariore, & breuiore existẽte tali sermone: Extenuatio omnis cutẽ laxat, recreatio autẽ circũtendit. Quid igitur est quod ab oratione significatur, in qua inquit: deinde circuntẽdit? nihil sanè aliud nisi quod conspicuè ab omnibus intelligitur: Laxari quidẽ primùm cutẽ in extenuationibus, deinde circuntendi, permanente scilicet extenuatione, & in recreationem

non transeunte. In recreatione autem modo contrario, quòd principio quidem cutis circuntendatur, tempore verò elaxetur. Hæc autem si ita accuratè quæ videntur quomodo Hippocrates animaduertissent, ita fieri vidissent. Primùm itaq; vbi vos admonuero quæ conspicuè vidistis, post hæc causas apparentium recensebo. Fiat autem admonitio de his qui in morbis sunt emaciati, & potissimùm ea macie quam Græci μαρασμὸν περιφρυγῆ, id est, tabem obtorridam vocant. In quibus meministis cutim non aliter tensam esse quàm aridum corium: & quid mirum in illis longo exiccatis tempore cutim tensam esse videri, quando & primis diebus hoc interdum contingat? Agit siquidem Hippocrates ipse in prognostico de his quæ morbi principio accidunt, explicans & inter alia faciei signa hoc: cutis circa frontem dura & intenta. Quòd autem à vacuatione id fiat, docuit deinceps ita scribens: Interrogare oportet nũquid vigilauerit homo, aut aluus valde liquida fuerit, vel mediæ quippiam eum habuerit. Atqui hoc quidem fatẽtur omnes qui Hippocratem sunt sequuti: veluti vno ore pronuntiantes, quòd in multa vacuatione, interdum quidem visibiliter facta, interdum verò & inuisibiliter talem fieri faciem contingat, qualem descripsit in hac oratione: Nasus acutus, concaui oculi, collapsa tempora, aures frigidæ contractæq;, & lobis leniter versæ, cutis circa frontem dura

intent

intentáque, ita vt nos conspicuè docere videatur, validam vacuationem mediocri contrariam circa cutim facere affectionem. Sermo ipsorum verisimilis quidem, sed non verus videtur, cùm inquiunt: manentibus his quæ adfectum pariunt causis fieri non potest, vt ad contrariũ fiat transitus. Nempe id conspicuè accidit in vacuationibus immoderatis siue sensibiliter permanere ipsæ diutiùs videantur, siue obscurè, ægris vel distabescentibus, vel per transpirationes exhaustis. Priusquam itaque vacuatio ad propriam cutis substantiam peruenerit, veluti cùm vtres vacuantur, vel sacci, vel vesicæ, laxatur cutis. Diutiùs autem perseuerante vacuatione, non secus fit quàm in tum corijs, tum pellibus quas extendere ob siccitatem non possumus. Talis videtur & tũ vtrium, tum vesicarum cutis fieri, vbi valde inaruerint: quoad verò intus quippiam admissum sit, humida & mollis manet, & rursus dimissum sit: excipiens quidem vbi valde expleta est tenditur, vbi euacuatur, relaxatur. Bene itaque dixit Hippocrates: Extenuatio omnis cutim laxat, deinde intendit, nempe & ita fieri videntur, causáque est dicta: bene quoque adiecit, recreationem contraria efficere. Principio siquidem cutis extenditur, sed tempore, tum laxior; tum mollior fit: durior siquidem naturâ, & subiectis carnibus siccior, posteriùs quàm illæ, tum in extenuationibus induratur, tum mollescit in recreationibus.

Cùm itaq; dura & arida iam fuerit, & succedat recreatio, primùm carnes adaugens iure optimo intenditur, progressu verò temporis sumpto alimento, tum mollior, tum humidior efficitur, atque ob id rursus laxatur, quemadmodũ aridæ, tum pelles, tum coria, vbi aqua perfusæ fuerint, & oleo, & adipe perunctæ. Hæc itaque, tum verè, tum euidenter ab Hippocrate dicta perperàm sunt explicata, propter rerum, de quibus agitur, ignorationem. Quæ consequuntur non ita patent. Forsan verò & perperàm scripta perspicua esse putant, quanquam & in ipsorum explanationibus dissentiant, non minùs quàm hi qui veteres permutant scripturas. Vt autem sermo manifestior sit, partem dictionis quamlibet seiunctim expromam. Corporis collabentis rugositas, recreati extensio. Quòd itaque in extenuationibus cutis elaxetur, priusquàm in propria substantia quippiam patiatur, in recreationibus verò tendatur: quòd item arescens tempore in contraria transeat, est suprà demonstratum. In hoc autem sermone collabentis quidem corporis ῥίκνωσιν, id est, rugationem fieri ait, recreati verò extensionẽ, ῥικνὸν autem vocant Græci, tum corpus, tum cutim quod in rugas vnà cum contractione agatur, sicuti in senibus videtur, affectúmq; ipsum ῥίκνωσιν, id est, rugationem. Videtur & in iuuenũ corporibus rugatio quædam fieri flaccescentibus venis, & potissimùm in euaporato qui in ipsis

redund

redundabat sanguine, quis medicamentum, tum austeræ, tum adstringentis particeps facultatis superposuerit. Fieri autem & talem cuti conditionem ait collabenti, id est, cum paucioribus redditis quæ in ipsa continentur collabatur & in se considat. Conditionem contrariam ἔκτασιν, id est, extensionem vocant homines, cùm in longitudinem & latitudinem increuerit. Contingit verò interdum in longitudinem solùm vel latitudinem, tum tendi, tum considere. Sed præsentem dictionem de ipsis, tum contractione, tum tensione secundùm dimensionem vtranq; intelligere oportet. Qui verò dictionem antescriptam intellexerit, non hac valde indigebit: Horridum, lene, signum alterutrius, subbiliosum, subrubrum. Sunt qui scribant: rugosum lene alterutrius signum: sed quoniam in antecedente dictione de rugositate scriptum sit, consentaneum magis esse nunc visum est vt φρικῶδες, id est, horridum dicatur, ostendēte Hippocrate factam esse in his qui rugas contrahunt formam his similem qui inhorrent, similitudo autem fit secundum cutis inæqualitatem, & veluti asperitatem, partibus scilicet nonnullis cauioribus visis, alijs verò eminentioribus. Cùm verò paruis admodùm interuallis hoc per totam fiat cutim, vocatur symptoma & φρίκη & φρίξ, id est, horror, túque intellige exquisitæ vndarum tranquillitati lenis corporis constitutionem adsimilasse: horrorem verò nuper

incipie

incipienti in ipsis inæqualitati. Sic itaque & Poëta inquit: οἵη δὲ ζεφύροιο ἐχεύατο πόντον ἔπι φρὶξ, ὀρνυμένοιο νέον, id est, qualis Zephyro nuper concitato super pontum effundebatur inæqualitas. Lene itaque corporibus inest quæ reficiũtur: asperum vero cõtrarijs. Alterutrum autem horum alterutrius signum existit, neque alterutrũ vtriusque, neque simul vtrunque alterutrius. Eodem modo & subbiliosum & subrubrum, alterutrum alterutrius signum est. Subbiliosum quidem eius quod extenuatur, subrubrum vero eius quod reficitur. Biliosius siquidem corpus his efficitur qui extenuantur, ob eas quæ extenuationem pariunt causas, de quibus suprà audiuisti, sanguinosius verò his qui reficiuntur: neque enim probè nutriri absque bono sanguine valet. Aduerbium οὕτω, id est sic, quod in calce adiacet, quidam sequentis orationis principium faciunt: alij autem calcem huius, nempe modo vtroque expositio fieri potest: quò fit vt de ea re non sit accuratè inuestigandum, sed ad ea quæ continuantur, transeamus, principium dictionis facientes aduerbium, sic, quòd plerisque interpretibus facere id visum sit: sic quòd mammæ laxentur, graciles extollantur, & circum obtendantur, quanquam ne ob id quidem fieri nemo crediderit, sed quòd caro aucta sit. Hæc quidem est antiqua scriptura, quam transmutauerunt, alij quidem minùs, alij verò plus: quemadmodum & Sabinus

Sabinus qui ita scripsit: Sic quòd elaxentur longi graciles, hi autem attollantur, vt graciles quidem & laxari, & longi fieri videantur, qui verò probè nutriuntur, intumescere, attollíq;. Rufus antiquam seruauit scripturam, atque antiquorum interpretum explicationem, quæ contrarium quippiam Sabini expositioni doceret. Vult siquidem laxari eos qui probè aluntur, graciles verò attolli, hísque fidem facere videtur quod posteà enuntiatur, dicente Hippocrate: quanquam nè ob id quidem fieri nemo crediderit: vbi enim in extenuationibus laxari cutem dixit, in recreationibus verò tẽdi, priori quidem elaxari mammas, posteriori verò exurgere subsequens reperies: atq; ob id inquiunt, quanquam nemo ob id quidem fieri crediderit, hoc autem veluti rem inuentam acceperunt veteres interpretes empirici Glaucias & Heraclides Tarentinus. Nempe & ex hoc existimant ostendere Hippocratem se in ipsorũ descendere sententiam, vt dogmaticis probabilitatibus non credant, sed soli per experientiam apparenti, quanquam & hoc ipsum quod apparet sine distinctione dictum vtrouis modo falsum sit: siue laxari & mollescere tales dicamus in extenuationibus, siue exurgere & attolli in recreationibus. Hoc itaque primum erat ipsis exactè inuestigandum: Empiricis quidem quoniam & obseruatione, & memoria valere solent: dogmaticis verò quoniam existentium causas, non falsorum

ipsos

ipsos reddere oportebat. Quidnam itaq; sit quod appareat dicam, qui obseruauerim in non paucis mulieribus, & non parùm obsequutus non solùm obstetricibus, verũ & his quæ nihil eiusmodi norunt. Nempe hæ, quæ apparent veriùs loquũtur, quàm qui ob dogma circa ipsa cæcutiunt. Quod itaque euenit est eiusmodi: Lacte quidem cùm mammæ oppletæ fuerint in omnem augentur dimensionem: in altum nempe exurgunt atque in latum, & longiores fiunt. Vacuato autem lacte rursus minores redduntur in tribus comminutæ dimensionibus. Si verò absque lacte permutentur & ad extenuationem & crassitudinem solùm, vt cæteræ partes afficiuntur, mollescentes quidem primùm cùm extenuantur, intentæ verò cùm incrassantur, progressu verò temporis contrariam accipiunt conditionem: breuiores siquidem fiunt resiccata cute, longiores verò humectata, in atrophia vt anteà est dictum. Sic itaque & in senescentibus mulieribus laxantur quidem primùm, & posteà exurgunt. Dixi quæ circa mammas apparẽt, causásque ipsis apposui, quod nullus interpretum fecit: sed posteaquàm quisque scripsit vt voluit, suam explicat orationem. Iure autem & expositiones contrarias fecerunt, & scripturas orationum ieiunè sunt interpretati, atque indistinctè vt quispiam dixerit: partim quidem vera loquetur, partim verò mentietur. Mammæ itaq; cùm lacte replentur, maiores fiunt, minores verò

cùm

cùm vacuantur. Sine lacte verò, in extenuationibus quidem principio mollescunt posteà verò exurgunt: in recreationibus verò principio quidem sese attollunt, posteà verò quiete elaxantur. Est & in recreatione distinctio, quòd quidam reficiuntur priusquam ad tantam perueniant extenuationem, ad quãtam arescens cutis tenditur: quidam verò priusquàm desiccati fuerint in bonas crescunt alimonias.

Iuguli circũspectabiles, venæ cõspicuæ.

Tales dictiones non vsqueadeò manifestam habent scriptoris sententiam, vt non adiectis in dictione de quibus velit hæc appareant. Plerique siquidem eorum qui graciles natura existunt, iugulos habent conspicuos, & venas eminentes refertásque sanguine, veluti contrà, alij neq; iugulos, neque venas eminentes habent: vt verò per naturam talis corporum differentia videtur. Sic in his, qui præter primordialem naturam, vel extenuantur, vel craßiores fiunt, succorúmque, vel copiam, vel penuriam habent. liquet siquidem, quòd in gracili corpore venæ oppletæ, copiã sanguinis magna ex parte viciosi inesse ipsis indicent: quemadmodum in muliere paulò antè dicta, cui menstrua suppressa erant. Demirari licet Capitona qui solus orationem ita scripsit: Repletio valde conspectabilis, venæ conspicuæ. Nã si ita scripta inuenta sit, quid necesse erat vt interpretes omnes in clarius ipsam permutarent?

Nem

Nempe in quibus dubitant, eas claritatis gratia permutare solent. At neque exemplar reperi quod ita haberet: neque in pauca incidi, ob id ipsum vt cognoscerem & veteres scripturas, & omnibus confessas vel dissentientes: cùm itaque interpretes omnes, atque exemplaria omnia eandem scripturam habeant, non rectè transmutauit Capito. Fortassis & ego ab initio ipsius perperàm memini, præfatus tales omnes in scripturis suppositiones adulterationésq; esse transgrediendas: id quod in sequentibus citra prolixitatem sum facturus.

31. Prodicus febrientes necabat cursibus, luctatione, fomentis, malum: quod febrile est ciborum parsimoniæ inimicum, periodis multis, cursibus, refricationi, laborem labore his.

Dictionem etiam hanc alij aliter scribunt. nõnulli quidem ita cõmutantes: periodis, luctatione. alij principio: luctatione. alij: luctatione: adimunt. alij principio adposuerunt: fame. Periodos itaq; vocat lentas obambulationes quæ in lõgum extenduntur tempus, vt in libro de victus ratione in morbis acutis, cùm inquit: Multas lentè obambulando absoluãt periodos: meminítque Plato Prodici pluribus vtẽtis obãbulationibus. Quem autem Prodicũ cõmemoret, ánne Leontium, vel Selybrianũ superfluum est inuestigare: in alio siquidẽ sermone talia persequor. Nunc verò quæ-

stio

stionum historicarum quæstio non est, quãdo & non paucis à quibusdam scriptis explicationibus prætermissis acquiescamus, si in octo libris expositionem compleuerimus. Quare autem incuset Prodicum, ipse declarauit inquiens febrile inimicum esse periodis vel inedia: liquet quòd & alijs quæ commemorauit. Nempe & luctationibus & perfricationi febrile est inimicũ: quoniam & quod amicum est proprium per tralationem dicere consueuerunt. Quod in medio vtriusque dictum est: malum: quidam in calce prioris scripserunt: alij autem in fronte sequentis, vt sit sermo vnus talis: Febrile inimicum periodis. Quòd autem febrientes lædant & ambulatio, & cursus, & fotus, & lucta vniuersam corporis caliditatem augendo, neminem eorum latet, qui in operibus artis sunt versati. Prodicus autem non solùm rationalem remediorum inuentionem ignorare visus est, verumetiam & obseruationem empiricam. Nempe ratio laborem labore sanandum esse interdicit. i. damnum dãno, & malum malo: contraria siquidem contristãti affectui auxilia, non similia adhibere oportet. videtur autem similia adhibere, si vtique & ambulationes, & luctationem perfricationémque & πυρίαν. i. fotum & famen adhibet. πυρίαν autem omnem quæ extrinsecus nobis accidit caliditatẽ intelligere oportet siue ab igne fuerit, siue à balneis. Fames præterea dictis contraria est. Nempe vbi fa-

mes, laborandum non est. Non solùm autem orationis principium, verùm & à principio ad finem vsque pro arbitrio scribunt. Ego verò veteres scripturas eligo: quanquàm difficilem habeant expositionem. Quod autem in calce scriptum est: his: quidam sequentis initium, his: alij autem prorsus adimunt: nihil siquidem ex eo, quàm ex his quæ dicta sunt, amplius doceri videtur.

Venarum rubor, liuiditas, pallor, laterum dolores molles.

Dixi verbum: his: in fine prædictæ orationis adiectum assignari huic posse, vt sermo talis sit: His quos antè dixi: fuerunt autem febrientes, qui non rectè à Prodico ad motiones sanis peculiares agebantur. Contingit autem hæc haberi quæ dixit, sed non ab vno quoque homine omnia. Neque enim fieri potest vt rubor cum liuiditate sit & pallore: nempe horum vnumquodque reliqua duo amoliri solet, sequitúrq; adfectus dissimiles. Nempe exercitatis fotísque qui mediocres vires habent, & commodum sanguinem, corpus rubescit: qui verò imbecillas habent, & sanguinē viciosum his liuescit pallescítque. Quidam verbum: tumores: in frōte dictionis præsentis collocant, talem efficientes dictionē: Tumores, venarū rubor, liuiditas, pallor. Quod autem in calce orationis dixit: laterum dolores molles: quidam permutauerunt in λαπάγας ὀδύναι, ilium dolores intempestiuè excercitatis fieri volentes.

In

Interpretes verò omnes scripturam hanc nouerunt: laterum dolores molles: intelligúntque dolores qui absque inflammatione & tensione existant.

Sitim arcent, os continere, tacere, spiritum cum potu frigidum introducere.

Vnum ex his quæ ad totius victus rationis memoriam in febrientibus ducere possunt scripsit Hippocrates: id quod & præsensionis Prodici in febrientibus ostendere potest. Non enim quibus sitient ægri velut concalefacti ea facere est consentaneum, sed ea potiùs quæ sitim adimant: hæc autem sunt, primum quidem laborantis requies, quæ motionibus opponitur: alterum alia per quæ mitigetur magis, & non accendatur febrilis adfectus, ex quibus vnum est absque siti seruare: per quæ autem sine siti quis fiat, adiunxit os habere clausum, tacere, & ventum frigidum cum potu introducere, id est, ventum vnà cum potu frigidum attrahere: si potu dixit, quod & sine potu, per solam scilicet inspirationem, fieri id posset, est manifestum. Quare & aërem in respiratione intelligere oportet, vt ne calidus plus iusto fuerit, & æstiuo tempore magis. audentius verò & hoc loco Capito & Dioscorides permutata antiqua scriptura, ita dictionem scripserunt: ventum in potu frigidum non introducere. Sed Dioscorides alteram scripturam vt consueuit, adposuit. Ex quibus ventum frigidum in-

troducere: Capito verò neque posteriorum scripturam in omnibus exemplaribus repertam, & ab omnibus explanatoribus confessam probauit, sed adiecta ipsi syllaba μὴ, id est, non, pro frigidum introducere, scripsit, frigidum non introducere, vt nunquàm febrienti aër frigidus inspirandus sit.

Causæ vnde ægrotare cœperint prospiciendæ, siue capitis dolor fuerit, siue auris, siue lateris: signum dentes, & in quibusdam bubones.

Oratio hæc in secundo epidemiorum est explicata primo commentario.

Vlcera & phymata febres iudicantia, quibus non procedunt, acrisiæ, quibus aliquid relinquitur, his certißimæ & celerrimæ recidiuæ.

Oratio hæc & ab ea quæ hanc præcedit in secundo epidemiorum scripta, nacta est accommodam in primo commentariorum, qui in illum confecti sunt, expositionem.

Sputa rotunda mentis alienationem denuntiare solent, qualia in Pleno.

Sputorum rotundorum vt materialis quidem causa est crasities, & viscositas humorum in bronchijs pulmonis collectorum: vt effectrix verò loci caliditas. Nonnullis quoque & id febrientibus fieri conspexi: qui in valde multo tempore nihil habere mali videbantur. posteà verò hi omnes

ex

ex phthisi contabuerunt: quod si cum febre aliquando fiat, cum cæteris delirium portendentibus vnà & delirium indicat, conferéntque hæc ad eius quod desipientiam portendere natum est præsentionem, aliàs autem non. nunquam est igitur soli ipsi ad prædictionem desipientiæ confidendum. Proprium desipientiæ signum sæpiùs audiuistis. Diximus siquidem in commentarijs prorhetici, caliditatem illis accedentem ad desipientiam conferre aliquid posse quod caput repleat, eam verò per se nullo pacto esse sufficiens signum desipientiæ & potissimum phrenticæ: quoniam & multi post febrium vigores subdelirant propter capitis repletionem. In quibusdam exemplaribus calci huius orationis appositum est οἷον ἐν πληνῷ, id est, vt in Pleno. In alio verò ὡς ὁ σπλὴν οἴω. qui ex interpretibus priorem scripturam receperunt vt Sabinus, loci cuiusdam nomen aiunt esse τὸ πλὴν: non tamen cuius vrbis locus hic sit, sermoni adiecerunt.

Qui hæmorrhoidas habent, neq; pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, forsan neque lepra, & forsan neque aliis.

Deficit verbum, corripiuntur, éstque ipsum subaudiendum: quam ob causam non corripiantur, liquet. Nempe cùm succorum malitia per hæmorrhoidas excernitur, cachexiæ quidem non-

nullæ interdum toto in corpore consequuntur, praui colores & hyderi: sed nihil quod tale sit, morbus est. Quòd autem phagedænas vlcera dicat depascentia quæ phagedænica medici veteres vocant, dictum est in primo commentariorum qui in librum de humoribus confecti sunt. nempe in libro illo eisdem verbis dictio scripta est. Quidam verò phagedænas intellexerunt multorum ciborum esus, quos & ipsos ob cacochymiam fieri immoderatas ciborum appetentias conceditur & à nobis, non tamen talis cacochymiæ medelam hæmorrhoidas esse par est, sed melancholicæ: acredo autem humorum frigida talem operata ciborum appetentiam iam quibusdam & ex eis qui hæmorrhoidas habent facta est. Terminthorum nomen nigra quædam ecphymata, id est, enascentia tubercula quæ maximè in tibijs fiunt indicat, factum à similitudine quam tum figura, tum colore, tum magnitudine cum fructu terminthi habent. Quod in calce orationis scriptum est: forsan neque alijs: quidam scribunt: forsan neque alphis, id est, vitiliginibus quos alphos dicunt. quoniam & alphi cuiusdam cacochymiæ soboles existunt in cute consistentes.

Curati verò importunè multi, subitò his correpti sunt, & grauissimè.

Importunè ab hæmorrhoidibus sanantur, qui neque sanguinis detractione per circuitus, neque medicamentis subductorijs, vel exercitationibus

bus vacuantur: qui item ne vnam quidem ex ipsis manere relinquunt, sed omnes vniuersim tollunt.

Et quicunque alij abscessus vt fistulæ aliorum medela.

Sæpiùs inuenimus Hippocratem ἀποστάσιας, id est, abscessus appellare non eos solùm qui κατὰ ἀπόθεσιν, id est. per refusionem fiunt, sed & eos qui κατ᾽ ἔκρουν, id est, emißionem. vnum itaq; ex his pathematis sunt & fistulæ, per quas humorum superflua expurgantur. quemadmodum itaque in hæmorrhoidibus: ita & his nõ simpliciter, neque quomodo libet, curationem moliri oportet.

Consideratio quidem est, nempe quibus facta hæc sunt, liberant: quibus antè facta: prohibent.

Quanquam vetus scriptura hæc sit, pleriq; tamen interpretũ ipsam in clariorẽ permtauerunt, pro γενόμεναι & προγενόμεναι, γενομένη & προγενομένη scribẽtes vt ad σκῆψιν referatur. Omnes autẽ σκῆψιν ἀπόσκηψιν. i. humorũ illapsũ intellexerunt, falso forsan circunuentóq; primo bibliographo, qui quæ sensu eadem in omnibus sunt scripturis scripserit: vult siquidem dicere Hipp. humorum illapsus, in quibus fiant affectibus illos soluere posse, antefactos autem hos prohibere. Videtur autem mihi & ita posse intelligi dictionem, si vtiq; his dicatur verbis: σκέψις. i. consideratio quidem est: nempe quibus hæc fiunt soluunt,

antefacta verò prohibent. Nempe cùm veteres diphthongum ε & ι vno charactere, qui nunc solus alteram repræsentat ε, exorta sunt delicta multa, eorum videlicet: non iuxta eorum qui scripserunt sententiam, sed eorum qui literas transtulerunt. Ob eam rem sciptur is eiusmodi est diligenter attendendum in quibus fieri potest vt scriptura correcta sit diphthongo ε & ι transposita, vel modo cõtrario. Simili modo & in ō in oῦ est faciendum, quoniam & vtriusque phthongi vno scribebantur charactere.

Aliis locis loci succedentes, vel dolore, vel grauitate, vel aliquo alio liberant, aut aliis communitates.

Dictio hæc in fine libri de humoribus scripta est, veluti & quæ ante hanc scriptæ sunt à prima oratione, in qua ait: qui hæmorrhoidas habent. Exposuimus itaque eas ibidem perfectiùs: summa verò nunc dicetur. Sensus enim præsentis orationis talis est: Ex locis aliis in alios morborum successiones fiunt, commutatis qui eos pariunt humoribus. Nempe aut propter robur partis à qua migrant illabuntur, vel propter suam grauitatem, vel propter aliam causam, veluti medicamentum acre stimulans, vel perfricationem, vel caliditatem quandam extrinsecus aduenientem: præterea & propter communem partium naturam commutationes fiunt. Testiculus qui ob tusses intumuit, monumentum est communitatis cum

tis cum pectore & mammis, seminis & vocis. Quidam pro oratione: aut alijs communitates: scribunt diuersæ communitates, sequentísque dictionis faciunt exordium, Hippocratem ad aliam communitatis speciem deuenisse affirmantes, iuxta scilicet humorum cognationem. Hippocrates itaque, vt inquiunt, ait: propter declinationem non vltrà sanguis egreditur, sed propter humoris cognationem talia excreant. Sic & Rufus scripsit diuisítque orationem, præscriptionem quandam existimans esse orationem hanc: diuersæ communitates: & quæ inferuntur veluti explanationem præscriptionis esse, ait siquidem consortionem esse sanguini ad pus. Quibus enim non vltra sanguis excreatur, facta ipsi ad contraria inclinatione, his sputa purulenta sanguini cognata fiunt. Ideo & dictionem ita scribit: Sed propter humoris cognationem pus excreant. Sabinus antiquam scripturam seruauit, principiúmque proprium eorum fecit quæ dicuntur, ob scilicet inclinationem, ad quod iam transibo.

Ob inclinationem non vltra sanguis egreditur, sed iuxta humoris cognationem expuunt.

Explanaui quidem iam perfectè dictionem hanc in tertio super librum de humoribus commentario, dicámque eam hoc loco breuiùs. Cùm sanguis ex parte aliqua vacuetur, vt sede, naribus, vtero, aut per circuitus ex ventre, vel fi-

stula, vel vndecunque in partes alias motum fecerit, non vltra per locum priorem euacuatur. Exemplum hoc particulare est sanguinis ad thoracem & pulmonem inclinati. Expuitur siquidem hinc alijs aliud iuxta humorum affinitatem: spumosum quidem, cùm humor pituitosus fuerit: pallidum, cùm biliosus: nigrum verò, cùm melancholicus, veluti rubrum cùm sanguis in illapsu sincerus fuerit. Iure itaq; quidam literam τ, adiecerunt, & non ῥοπὴν, id est, inclinationem, sed τροπὴν, id est, conuersionem scripserunt, ob sanguinis conuersionem screari quod conuersioni assuit; volentes. Nempe in biliosum aliquando, & aliquando in melancholicum conuertitur.

Sunt quibus sanguis tempestiuè in talibus auferendus sit, aliis vt in his non ita consentaneum.

Confert, inquit, quibusdam horum vt sanguis detrahatur, qui scilicet eo abundant, & nondum in alium humorem conuersione insigni conuersus fuerit. Non autẽ detrahendus quibus iam conuersus sit, præcedente virium scopo, tametsi aliquando in his prætermittatur sermonibus in quibus adfectuum solerũ indicationes percurrimus.

Inhibitio his qui sanguinolenta expuunt, anni tempus, pleuritis, bilis.

Hanc quoque dictionem quæ antescriptas consequitur, in calce libri de humoribus alij aliter tum scribunt, tum explicant. Cùm itaque scriptu

ſcripturæ omnes, expoſitionéſque non veriſimiles fuerint, moderatiùs habere quàm cæteræ mihi viſa eſt ſcriptura quidem, quæ contradicentem dictionẽ habere videtur: expoſitio verò, vt cruenta expuentibus ſanguinis prohibeatur detractio, propter obſiſtens & in contrarium nitens anni tempus, vel propter adfectum pleuriticum, vel propter redundantem biliosum humorem. Quòd anni tempus obſiſtat, eſt manifeſtum. nempe in valde calido anni tempore quale eſt ſub canem, venæ ſectionem fugimus: pari modo ſi homo valde bilioſus fuerit. Quòd verò de pleuritide dicitur, pugnare id ſolum videtur: non enim ſectioni venæ contra nititur affectus, at potiùs ea indiget, non prohibente vel virtute, vel anni tempore, vel ætate. Videtur itaque tale quippiam eſſe quod dicitur: Cruentum expuentibus venam ſecare prorſus oportet, quantum ad hoc ſpectat, niſi ob pleuritim, talia ſcreauerint. Non enim prorſus venam ſecabis tanquam ſanguinem excreãtibus, ſed proprijs pleuritidis ſanabis diſtinctionibus, quibus vel vena his eſt ſecanda qui ita affecti ſunt, vel non. Hoc verò mihi contigit animaduertere cùm librũ de humoribus explanarẽ: nempe inter hæc vidi ægrum quendam, qui vt hæmaptoicus accerſiuit me, ſanguinolentum ex latere excreans: ſcreatum autem contemplatus, interrogaui hominem ſi doloris ſenſum aliquem in latere haberet, qui exiguum eſſe confeſſus eſt.

Erat

Erat autem ita tum habitu, tum virtute, vt si quidem sanguinem excreasset, & ob id sectionis venæ auxilium vrgeret, adsumere ipsum auderet. At cum pleuritis quieta esset, non erat necesse, atque ob eam ipsum non accepit, & manifestè visus est homo pleuriticus, cæteris pleuritidis auxilijs absque venæ sectione obsecutus: nempe & moderatissimæ existunt in quibus cruentum expuitur. Quidam interpretes vocabulum ἐώλυεις, id est, inhibitio, vel prohibitio in antè scriptæ dictionis calce constituunt, legúntque hoc pacto præsentem: In his qui cruenta expuunt, anni tempori pleuritidi, bili. Aiúntque anni tempus in ea de his dici, quæ tempestiuè & conuenienter fiunt. Nempe velle ipsum indicare in pleuritidibus cùm in principio cruentum expuunt. nempe & contingit ita prorsus fieri post hæc eam quæ in biliosum fit commutationem: ordinem siquidem esse bene procedente ad iudicationem pleuritide, à cruentis biliosa excreari. Dicta sunt & alia quædam, ab his qui dictionem hanc sunt interpretati, indigna vt memorentur. Ego autem semper admoneo vt scitis, non esse ambiguosis immorandum, cùm alia multa in arte habeantur, in quibus commodè possumus exerceri.

COMMENTARII TERTII FINIS.

*

GALENI IN SEXTVM EPIDEMIORVM HIPPOCRATIS LIBRVM COMMENTARIVS QVARTVS,

*

Ioanne Vaſſæo Meldenſi interprete.

***

QVIBVS tumores ſecundum aures circa iudicationem facti non ſuppurantur, appreſsis his & euaneſcentibus reuerſiones fiũt iuxta rationem reuerſionum. Reuerſione facta rurſus attolluntur, & permanent, quemadmodùm febrium reuerſiones in circuitu ſimili: In his ſpes eſt, vt in articulos collectio fiat.

Tumores præter naturam qui in morbis circum aures fiunt, conſueuit appellare ἐπάρματα, vſus dictione interdum quidem integra, interdum verò & ieiuna defectuoſáque, veluti & nunc. Fuiſſet ſiquidem integra ſi ita dixiſſet, τὰ παρ᾽ οὖς ἐπάρματα in morbis facta, quomodo

& in

& in primo epidemiorum statim à primæ constitutionis initio scripsit: ἐπάρματα ᾗ κατὰ τὰ ὦτα, id est tumores in auribus multis secundum alterutram aurem, plurimis secundum vtranq; nō febrientibus & rectis fuerunt. Neq; ignoramus vt ἐπάρματα in hac oratione dixit; sic & sæpiùs ita vocare œdemata. Demonstrauimus siquidem ita ipsum vocare omnes præter naturam tumores, non quomodo Hippocrate posteriores solos laxos & doloris expertes, quibus prorsus inest vt & sine flammanti caliditate consistant: Neque excidit memoriâ quòd & φλογώσεις omnes vocat phlegmonas, etiamsi absque tumore præter naturam fuerint. Hippocrate verò posteriores nomen phlegmones de tumoribus præter naturam inferunt, quoties vnà cum phlogosi, id est, flammanti caliditate renitentia, & pulsante dolore constiterint. Cùm itaque in morbo aliquo iudicationis tempore facti sub auribus tumores priusquam suppurati fuerint, καταπάσηται. i. προστέλληται, & ἀφανίζηται, id est, appressi fuerint & euanuerint, futuram reuersionem ita affectis sperare oportet. Sæpiùs autem iam didicistis consueuisse Hippoc. vocem καταπάσασθαι ad omnia referre quæ quouis modo appremantur, atque ad æqualitatem reducantur, quoniam inaniora fiant. Contingere itaq; ait morbi reuersionem quibus non suppurauerint parotides, & quandoq; ipsius: neque enim perpetuò reuerti augescerèque & iudicari iuxta reuersionum

uersionum rationem, quod est similiter ipsis & iuxta ipsas dierum periodos: spes autem ipsis est in articulos fore abscessus aliquos. Nam sæpiùs in longis morbis hoc contingere dictum est. Exposuimus autem & dictionem hanc in tertio super librum de humoribus commentario, ad finē libri scriptam: sed quoniam præfatus τὰ παρ' οὖς, subintulit τούτου λαπαχθομένου, id est, occultato hoc, ob id videtur mihi Diosc. adiecisse præpositionem ἐκ, & scripsisse ἐκ τούτου, & ait subaudiendum esse τοῦ χρόνου, vel pro μετὰ ταῦτα, id est, post hæc, ἐκ τούτου dictum esse. Si verò quis planè scripturas antiquas pmutare potuerit, licebit illi et verbo τούτου in ταῦτα trāsmutato res ipsas eximere.

Vrina crassa, alba, vt seruo Archigenis, in lassitudinosis quartanis interdum exit, & ab abscessu vindicat: quòd si præter hoc & sanguis abundè è naribus eruperit, valde citò liberat.

Si τῷ τοῦ Ἀρχιγένους scriptum fuerit, subaudire oportet vel οἰκέτῃ vel φίλῳ, id est, vel seruo, vel amico. Si verò τῇ τοῦ Ἀρχιγένους, subaudire oportet δούλῃ, vel γυναικὶ, id est, seruæ, vel mulieri, vel quouis modo familiari. Commemorare autem quod in scriptura sit dissidium haud volui, vbi eadem seruetur intelligentia. Et rursus nunc ad futura, hoc memoriâ teneatur. Prætereà quòd κοπιώδεις nominet febres, non prorsus illas quas multa antecessit motio, sed omnes quibus

laßitudinis sensus adfuerit, ipse in aphorismis scripsit: Laßitudines spontaneæ morbos denuntiant, & nunc certè de ita laßitudinosis, quæ magna ex parte ex craßis viscosísque originantur humoribus, agere Hippoc. est autumandum. Ideo & per vrinas, vacuatis ipsis, cessat morbus: securior verò fideliórque fit morbi solutio, si vacuatio die iudicatorio exordium acceperit. Si verò neque per vrinas, neque sanguinis eruptiones iudicati sunt, morbus is in collectionem finire consueuit.

Cui inteſtinum in dextra parte arthriticus factus eſt, & quietior fuit, poſt curationem dolore magis fatigatus eſt.

Gemina est hîc scriptura quæ sensum euariat. Vetustior quidem primam syllabam nominis ἔντερον cum ν, scribit, id est, intestinum: posterior absque ν, ἕτερον, id est, alterum, volentibus qui ita scripserunt τὸ ἕτερον dici de his qui sub auribus formantur tumoribus: quemadmodùm τὸ ἔντερον quibus dolet intestinum, vel tenditur. Intestinum autem singulariter dici colum, quidam existimauerunt: alij verò cæcum, quod & facilè in scrotum labitur, perinde atque absolutum: quòd itaque absolutum solùm hoc fuit, colligatis continuatísque sub mesenterio cæteris, vera dicunt. Verùm si quod in scrotum delatum sit, ob id arthriticus leuatus sit, & si rursus curato ipso in eisdem fuerit, diuinatione est opus.

credi

credibiliùs itaque est, vt de illo cui cœlum doluit, dictus sit sermo. Consentaneum siquidem erat leuari ipsum à doloribus articularijs, vna quidem ratione secundùm quam inquit: duobus doloribus simul & non eundem locum infestantibus, vehementior alterum leuiorē facit: altera verò quod fluentium in articulos humorum, facta in cœlum fuerit transmutatio. Nonnulli interpretum arthriticum hunc, ischiadicum esse inquiunt, atque ob id labente cæco intestino leuatum, cùm scilicet non ampliùs prematur grauetúrque coxendix, quam ἰσχίον Græci vocant, ex Græcorum consuetudine ischiadicum arthriticum appellare volentes. Hunc itaque vsque locum dictiones omnes in calce libri de humoribus scriptæ sunt. Iam verò ad eas pergam, quæ in hoc solùm negotium incumbunt.

Agesios puella quidem cùm esset, frequenter respirabat: mulier autem effecta, à partu dolens, non longè admodùm, magnum sustulit pondus, continuóque crepuisse aliquid in pectore visum est. Postridie fatigauit mulierem asthma, doluítque illi coxa dextra: cúmque coxa doleret, fatigabat & asthma: cùm cessauit dolor, cessauit & asthma: spumosa excreauit, sed principio florida, quod subsedit vomitui bilioso tenui adsimilabatur: dolores autem potissimùm fiebant, cùm manus laboraret.

πνεῦμα, respirationem appellare Hippocratem sæpius audiuimus, vt & πυκνοπνεύματον dici existimare oporteat, quæ crebro spiraret. Quibus autem valde aucta fuerit talis difficultatis spirandi species, ἆσθμα, & ὀρθόπνοια affectus appellatur, vbi citra febrem fuerit, crassis scilicet, lentísque humoribus vias spiritus occupantibus, vel crudo quodam phymate in pulmonibus confirmato. Cùm autẽ ipsa antẽ difficulter respiraret, à partu doluit: si itaq; nullo facto de spirandi difficultate sermone dolere ipsam dixisset, quòd mulier hæc sensum lassitudinis toto haberet corpore, intelligere verisimile erat: sed quoniam eam crebro esse spiritu dixerat, iure quis super thoracis dolore dictum esse intellexerit, moderatus autem cùm esset, aliquod aliud symptoma eiusmodi contigit. Nam vt manibus graue quippiam sustulit, continuò quidem sonum in pectore sensit, rupto scilicet vt consentaneum est phymate. Postridie autem distributo ad asperam vsque arteriam qui in phymate continebatur humore, respirationis frequentiam adueniſſe contigit, & non amplius simpliciter crebram esse respirationem, sed iam quod asthma vocatur: sed hoc paulatim excreato, perfectè sedata est mulieri ipsi spirandi difficultas, hactenus quidem quæstio nulla est, sed præter rationem facta sunt omnia. Sed quam ob rem consortionis lege thoraci consenserit, simul & leuata coxendix fuerit, iure

quis

quis optimo quæsierit, cùm nulla coxæ ad thoracem existat societas, quomodo & membris generationis. Forsan itaque imbecillius habens ischion, doluit: superfluis quibusdam humoribus tunc in ipsum peruenientibus: neque enim sympathia fieri ostenditur membris naturalem habentibus communitatem, priùs interdum imbecillis contristantium humorum superfluitatem excipientibus. Spumosa etenim pituitosum humorem esse ostendunt, florida verò sanguinem redundare, veluti & pallida pallidam & flauam appellatam bilem: simili modo & nigra nigram. Dictum autem est iam sæpiùs quòd vbi biliosum simpliciter dixerit, pallidam flauámq; indicet bilẽ, quatenus plus alijs colorẽ adscribat, nẽpe & æruginosa vomitu bilis, & subrubra, & nigra & obscura. Quod autem in calce orationis est adscriptum, quòd scilicet doleret magis in manuum actionibus ad sympathiæ indicationem est dictum. Audiuistis autem & iam ex alio sermone cùm partes thoracis superæ affectæ fuerint, circa primum vel secundum intercostale, manus ad consensum rationabiliter venire, neruis scilicet ex his intercostalibus ad ipsas peruenientibus. Consentaneum est ergo & ruptam esse dextram thoracis partem cùm pondus sustulit, atque ob id secundùm rectitudinem dextram esse adsectam coxam. Et si in facto neruorum affectu, qui mulieri ob sublatũ accidit

pondus thorax, manui consenserit, verisimile est in illis maximè partibus passum ipsum, vnde neruorum ipsorum ad manus est exortus.

Huic interdicere allium, porcinam, ouinam, & bubulam carnem. In his difficulter spirantibus clamore, & iracundia est abstinendum.

Differentes & in hac dictione fuerunt scripturæ. Sunt enim qui, huic, scribant in dandi casu, faciúntque talem dictionem huic interdicere allium, porcinam, ouinam, bubulam, alij sine verbo, huic, scribunt, & à verbo interdicere exordiuntur. Volunt autem omnes subaudiendū esse: visum est nobis qui ipsam curauimus, vel ipsi imperauimus: conferre siquidem quoduis tale, atque ob id de scriptura agendū non est, sed quod quisq; scribere voluerit, huius arbitrio est permittendū, vbi communis seruetur intelligentia. Relicta itaque orationis minuta & subtili disputatione, ad res quæ docentur transeamus. Tali prædictæ mulieri alijsq; ita adfectis confert à carne porcina abstinere, à bubula, & ouilla: his quidem veluti valentis materiæ, & coctu difficilibus, allio quidem veluti acri & erodente, bubula autem tanquam non solùm vasa præfracta superfrangere, sed & nondum anteà passis respirationis organis iniuriam facere valente, tensionémq; quandam & caliditatē, & inflationē procreāte. Quòd autem hæc quidem veluti exēpla ab Hippocrate

dicta

dicta sint, nemo est qui nesciat: præcipit autem abstinendum esse ab omnibus quæ difficulter concoquuntur, acribus omnibus, omnibúsq; succi vitiosi, atq; præter hæc ab his quæ violentam quandam in deputatis respirationi instrumentis facere possunt tensionem.

Cui in capite serpebat tumor, huic primùm alumen vstum commodo fuit, habuit & alium primum abscessum, forsan quòd futurum erat vt os abscederet: abscessit vigesimo die, supra aurem in summo ad verticem vulnus erat.

Quædam ita scriptorum, forsan quidem scriptori ad memoriam commoda erant: nobis autem qui in hæc incidimus, non valde manifesta est ex ipsis commoditas. Narrat siquidem cuiusdam in capite depascens vlcus primum ab vsto alumine adiutum fuisse. Fuisse verò & ipsi alio quodam in loco abscessum, vbi & os posteà abscessit. Adscripta est & pars capitis adfecta: at quòd res rarò contingeret, consilium scripsit nullum, sola quæ facta sunt enarrans.

Cœla homo habet qualia canis, maiora verò ex mesocœlis: dependent hæc ex venis à spina in ventrem.

Quòd & hæc sibi ad eorum memoriam quæ ad anatomica spectãt theoremata scripserit Hippocrates, nemo ignorat. Homo siquidem κώλων naturam instar canum habet, aítque maiora esse

ipsa, & ex mesocolis dependere, perinde atque mesenterijs dixerit: sed mensenteriorum nomen generalius est, specialius verò mesocolorum: non est enim in ieiunio intestino alijsq; gracilibus nomen aliud. nemo enim mesonestion, id est, medioieiunum, vel tale quippiam dixerit. Mesenteria itaque, tum gracilium, tum crassorum continua existunt, ita tamen vt quaedam circunductiones propriae videantur, separentúrque per eas quae in ipsis sunt venas. Vena siquidem peculiaris vna in gracilium intestinorum mensenterium, peculiaris autem & alia in crassorum quae κῶλα appellant deducitur, simul cum vena vtraque diuisa arteria, adnexio autem mesenterij perinde est atque mesocoli. Continuum siquidem existens vt dixi, in vnam quandam earum, quae in lumbis sunt, pertingit vertebrarum, à septo transuerso situm habens, iacétque hoc sub ventre. Et omnis quidem haec adnexio neruo simillima existit, quanquam copula iuxta substantiã fuerit. Nam quae ex oßibus exorta sunt sanguine destituta corpora, neruis similia existunt. Neruos copulatorios vocant eos plerique Medicorum, à voluntarijs discriminantes. Sed nunc in praesenti dictione iuxta neruorum appellationem propter similitudinem dicta sunt.

Gratiae aegrotantibus, vt mundè conficiantur, tum potus, tum cibus, & quaecunque viderit, mollia sint quaecunque tangat,

gat, aliæ non valde lædant, vel facilè emendentur, vt frigida, vbi ea opus sit.

Quæ nam Medicum in ægrorum gratiam facere oporteat, & quæ non, vbi hoc in libro perfectè contemplati fuerimus, satisfaciemus: quemadmodum in alijs omnibus facere consueuimus, doctrinæ quippiam absolutè iterum ex toto recensentes, & iterum in alijs non amplius totũ, sed summas tantùm percurrentes. Dicta itaq; est & in aphorismis speculatio hæc, scribente ita Hippocrate: Paulò deterior cibus sed suauior, melioribus quidem sed minus suauibus magis est eligendus: magis quidem quòd ob promptam opinionem, gratiæ aliquid ægris conferat ad suauitatem, quanquam reuerà id non faciat. Nã quæ suauius ingeruntur quanquam natura paulò deteriora fuerint, melius coquũtur: adde quòd & ægris conuenientissimum sit, vt probè concoctũ sit quod adsumptum est. Impræsentiarũ autẽ genus alterũ, remq; commemorat, in qua tum gratum, tum iucundum ægris facit Medicus, morbo nihil efficiens, vt cùm ante tempus lauari permiserit, aut bibere, aut fructus esse horarios, vel frigidam bibere. Nempe vniuscuiusque antedictorum commoda quidem est postero die occasio, sed compellunt Medicos ægri, vt vno anteuertãt die, cõdonántq; sæpius nonnulli ægris promptè hæc, cupiditatibus ipsorum obseruientes, vt plus mercedis reportent, verùm hæc quidem, non secundùm artis

fiunt rationem. Quod verò in aphorismis dicitur, & quæ nunc percurrit, commodè indulgent ægris Medici optimi. Vsus verò nunc deinceps ab ipso scriptorum, ad ægrorum inobedientiam refertur: quos etenim cum voluptate spectauerint, his magis confidunt, atque hac ratione, tum pater, tum mater filio appetentia carenti persuaserunt, ipsúmque cibum ingerere coëgerunt, nullo alio persuadere valente: sic filius patri & matri persuasit, frater fratri, & amicus amico, quos autem illibenter conspexerint homines, & si conferentia consulant admoneántq;, non obsequuntur. Ad talem itaque confidentiam dicebat Hippocrates & prædictiones nobis esse adiumento, & prorsus Medicum ægris demirationi esse. Et ita quidem apud nos in Pergamo cernimus eos qui à Deo curantur, credere ipsi quindecim sæpiùs diebus nullo modo bibendum esse imperanti, qui Medicorum nulli imperanti credunt. Magnam siquidem habet ad imperata omnia facienda inclinationem laborantis confidentia, ita vt certò insigne auxilium consequatur. Diuersa ab his sunt quæ in præsenti oratione dicuntur: de quibus iam dicamus vnum quod seorsum deligentes iuxta antè scriptam orationem, veluti vt mundè conficiantur, tum cibi, tum potus. Nam sæpiùs multos porrigit Medicus ægro, tum cibos, tum potus, contra quàm oporteret ipsos componens: vult autem hos mundè confici. Estq; scriptum in nonnullis

exemplar

exemplaribus pro καθαρῶς, καθαρίως. *Est autem hoc primum quidem si nullam habuerint sordem vasa quibus, tum cibi, tum potus porriguntur: secundùm verò, si neque aliorum quippiam per quæ fit administratio. Sæpiùs enim id in quo continetur quod ex tum cibis, tum potibus porrigitur, mundum existit. In quo verò gelida aqua, vel calida ministretur, sordidum: veluti & ex vasis alijs ad obsequiũ conuenientibus impurũ aliquod cernitur. Medicum quoq; præter hæc, tũ primùm, tum maximè manus habere oportet mũdißimas, faciémq; & pilos, tum menti, tum capitis, deinde & alias corporis partes, veluti & vestem splendidam, quæ inquit, conspicit æger: neq; hoc ipsum tantùm, sed & contemplatores, & domum omnẽ in qua æger laborat eiusmodi esse oportet: nihil itaque ex his ægrum ipsum illætabiliter videre conuenit, atque ex ministrantibus eos perpetuò adesse oportet quibus delectetur, prospectoresque apud ipsum amicißimos immorari: alios verò ex duobus alterum, vel nullo pacto ad ipsum introire, vel non diutiùs videre. Hæc autẽ negotio curiosè adhibito faciet Medicus ipse & componet: quædam verò & absque curioso illo negotio per se cognoscuntur. Nempe sæpiùs & seruus quidam conspecto, tum ægro, tum curante medico vbi est ingressus, venisse hominem quendam, qui ægrum inuisere volebat, nuntiauit: mox continuò interdum quidem lætus ad auditum visus est æger,*

interdum verò & mæstus valde, quasi ab homine non diligente ipsum verè, sed amorẽ simulante, esset molestandus. Et sanè cùm quis ingressus fuerit, quem æger citra oblectationem conspicit, medicus pòst paulò verisimili ratione ægro cõferre quietem dicat, atq; ea occasione velle vt omnes ab eo discedant. Nempe quòd statim simul cùm non amicis amici egreßi, pòst paulò ingredi poterunt, constat omnibus. Talia igitur spectacula ægri mentem vel lætitia, vel mærore, non secundùm ipsam propriè videndi sensionem, sed secundùm intelligentiã afficiunt: sunt autẽ oblectationes quædam eorum quæ cernuntur in videndi facultate, quemadmodum & eorum quæ gustantur, in gustu, & eorũ quæ audiuntur, in auditu, & eorum quæ tanguntur, in tactu: non tamen omnibus ex ipsis est æqualis oblectatio. Alij siquidem alia, colores, figuras, flores, plãtas, germina & picturas vidẽt: hæc quidem veluti tristia, illa verò vt delectabilia, vt ergo medicus ex ægri familiaribus his confidat quibus æger oblectatur oportet, iubeátq; hæc in domos introferri in quibus habitant. Quæcunq; etiam molliter ipse tãgat in ipsa sola & nuda tãgendi sensione, iucunda hæc sint: Veluti rursum flores, plantæ, varia, & quæcunq; alia solũ sensum videndi delectare pronuntiata sunt. Adijciemus autẽ & quæcunq; sunt eiusdem cum prædictis generis, quæ prætermissa quidem sunt tanquam manifesta. Duos itaque

sensus

sensus commemorauit, visum, & tactum: tu antẽ & odoratum adijcies, gustatũ & auditũ, explicabísq; in auditu veluti in visu. Quædã etenim solam ipsam audiendi sensionem delectant, vt iucundæ voces, alia verò cõtristant, vt tristes nuntiationes: alia autem contrario modo & delectãt & lætificant. Hoc sanè & idiotæ omnes nouerunt, quòd nihil quod iniucundè auditurus sit æger, liceat ipsi dicere, veluti & quod valde ipsum oblectatura nuntiare omnia oporteat: atque præter id ementiri quoq; aliquid. Nonnulla verò quæ hîc prætermissa esse videtur, in sequẽti oratione repetendo adijciet, verbũ ἄλλαι, id est, aliæ, præscriptio est aliarũ gratiarũ dicendarũ. Præfatus enim: ægrotantibus gratia: deinde vbi dixit, vt mundæ cõficiantur, tũ cibus, tũ potus, & post hæc omnia quæ videntur percurrit: mox posteà quæ tactui iucunda sint, promittit à dictis alias dicere gratias, quas deinceps audies. Quidã verò ab exẽplaribus præscriptũ hoc ἄλλαι, id est, aliæ, gratiæ scilicet, penitus sustulerunt: alij non fœmineo genere cũ ι, scribũt. sed sine ι, neutro appellato genere, ἄλλα, id est, alia non valde noceant, vel facilè corrigantur, vt frigida vbi opus ea sit. Nã quæ non valde noceant dare interdum his oportet, qui vehementer ipsa concupiscunt, & medicũ odio sint habituri si non acceperint, auersaturíq;, & nihil imperanti ipsi credituri. Danda itaque de necessitate interdum his concupita nonnulla

si non

si non admodùm ipsos læsura sint, vbi quidem quòd lædent, prædixerit: largitùrque ea volens ægro aliquid gratificari, at in futurum ab ipso in cæteris obedientiam impetrat, vidi siquidem nonnullos post id susceptum obediuisse. Sic & ego multam gelidam aquam dedi in his morbis, in quibus postridie vsus ipsius conueniret, hoc solùm gratificatus quòd non optimum tempus expectauerim. Pari modo de balneo, vinóque, atque talibus omnibus fieri noui. Si verò morbus nullo horum neque postridie indiguerit, non est ægro gratificandum, fieri siquidem potest vt leuis offensio posteà per ægri obedientiam corrigatur: magna verò quod vel summum inferat periculum, vel tempus longum, non amplius ad id quod decet reduci potest, scribitur & aliis verbis præsens oratio: vno quidem ita, ἄλλα καὶ μεγάλα βλάπτειν velut frigida cùm opus sit, verbo βλάπτειν habente in fine ν. Et sanè scripturam hanc veteres interpretes nouerunt: aliam verò scripturam inuenies in cæteris exemplaribus absq; ν, hoc modo: ἄλλα μὴ μεγάλα βλάπτῃ, ἢ ἐπανάληπτα veluti frigida cùm opus ea sit. Vult autem præsens oratio ἢ ἐπανάληπτα, significare quæ ita celeriter vinci possunt, vt iam facta offensio auxiliis emendari possit. Sed qui quæcunque de ea re anteà dixit, recordatus fuerit, nulla altera recentiore opus habebit expositione.

Ingressus, sermones, figura, vestitus

egrotanti, tonſura, vngues, odores.

Ex his cætera quidem omnia manifeſtè ad medicum referuntur, quòd verò veluti medium interiacet : egrotanti : dubitationem habet, hinc quidam prorſus tollentes, nullo pacto ſcriptum reperijſſe adiunxerunt: veteres verò interpretes ſcripturam hanc nouerunt. Sed forſan nobis veriſimilis aliquid ſuppeditabitur, vbi vnumquodque dictorum ſeorſim conſiderauerimus. Et primum, ad ægrum medicorum ingreſſus gratioſi exiſtũt: quidam enim ſæpiùs inuiſentes moleſtè ferunt, alij ea re maximè oblectantur. Sunt medici qui vſque adeò deſipiunt, vt & dormientibus ægris cum pedum ſtrepitu, & voce ampliore ingrediantur: à quibus interdum expergefacti ægri, aduerſus ipſos ſtomachantur, & ſe apprimè offenſos aiunt. Hæc itaque omnia medicum præuidere oportet, vt neque quando non oportet reuertatur, neque temerè multo cum ſtrepitu, & voce magna, vel greſſu inhoneſto, vel aſpectu, vel omnino quouis tali. Sermo item inter maxima cenſetur, vt à medicis quippiam ægris conſentaneè, vel diſſentaneè fiat: ſunt etenim ex his quidam ſummè ruſtici, tales quidem exiſtentes qualem à Bacchio ſcriptum Callianacta Erophilium in commentarijs, tum Erophili, tum eorum qui ex familia ipſius emanarunt, fuiſſe Zeuxis ait. Nempe cùm æger quidam Callianacta nunquid moreretur interrogaret, aiunt ipſum his inclamaſſe

verb.

verbis: εἰ μή σε Λητὼ καλλίπαις γείνατο, id est, nisi te Latona pulchra stirpe genuisset. Cùm autem & hoc quidam alius interrogaret, dixisse aiunt: κάτθανε καὶ Πάτροκλος ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων, id est, mortuus & Patroclus, qui te longè melior erat. Nonnulli autem huius temporis medici, quanquam Callianacte moderatiores existant, asperè tamen & ipsi sese ægris præstant, ita vt eos ægri odio prosequantur: quomodo alij quidam contrà seruiliter blandientes, ex ea re in contemptum venerunt, vt autem ægro medicus odio videri dignus non debet: sic neque contemptibilis, sed humanus, moderatus, iucundus, & grauis. Non enim medico obediet æger, nisi demiratus ipsum fuerit. Satiùs est itaque vt neque vsque adeò medicus ægro assentetur, vt contemnatur, neque vsque adeò agrestis aspérque existat, quomodo Callianax: fiet autē id si medicus quidem seruauerit, tum in aspectu, tum in verbo, atque in omni corporis figura grauitatem, docuéritque ægrum his credere quæ ab ipso fiunt. Sunt verò sermones multi: exempliq́; gratia quendam tibi apponere non cunctabor. Poterit siquidem medicus ex verisimili præfatione percurrere communia ægro, quæcunque de eiusmodi scripsit Hippocrates: & primum quidem in aphorismis cùm inquit: Oportet autem non solùm seipsum præstare opportuna facientem, sed & ægrum, assidentes, & exteriora. Deinde in primo epidemiorum:

ars

ars tribus his constat, morbo, ægro & medico artis administro: medicúmque vnà cum ægrotante morbo reluctari oportet. Cùm autem hæc tria sint, morbus, æger, & medicus, si æger medicum cum morbo solum pugnare deseruerit, aut & ad morbum ipsum transiens medico aduersetur, medicum à morbo superari continget. Si verò relicto morbo vnà cum medico aduersus ipsum pugnauerit, magna est futuræ victoriæ expectatio, duobus scilicet hominibus aduersus morbum vnum pugnantibus, quemadmodum contrà suppeditabitur spei nihil, si æger morbi partes secutus, medico reluctetur: nempe hic solus relictus à duobus euincetur. Sufficiat tibi exemplum hoc, qui alia omnia similia quæ à medicis ægro fiunt, intelligere potes. Non solùm autem dicendorum sermonum talem ægro à medicis intelligentiam esse conuenit: verùm quoque & vocis tum magnitudinem, tum robur, totámq; responsionem sermonũ intelligentiæ proportione respondere. Si verò & cum erudito viro quis loquatur, citra tum solœcismum, tum barbarismum id faciat: nempe & ex talibus medici ægris vituperabiles apparent. Figuram quoque totius corporis medicus habeat, tum cùm ingreditur, tum cùm in cathedra sedet, neque ita abiectam sordidámq; vt vituperabilis sit, neque mollitiem aliquam & arrogantiam præ se ferat: nempe sunt qui extenti latíq; tum ingrediuntur, tum sedent: alij districti,

alij

alij inflexi & abiecti. vitandæ itaque exuperantiæ omnes, & tentandum ipsarum mediũ. Quòd si aliquando, quanquam rarenter id fiat, videatur tibi æger quidam abiectos diligere, paulum à medio ad abiectius tete figurare est melius: si verò contrario habuerit modo, contraria & tu molieris, sensim à medio & naturali ad vtrunq; secedens. Vestitus quoque & ipse ratione eadem medius sit, neque sumptuosus vt arrogantiam præferat, neque sordidus abiectúsque, nisi aliquando æger immoderatiorem vel sumptuosum dilexerit, vel sordidis delectetur. In his siquidem à mediocritate in id quod ægro tum amicum, tum gratum sit abscedes, quoad moderatum fore coniectaueris. Quod autem in medio collocatum dixi: ægrotanti: & dubitationem habere, si in totius orationis principio, vel fine dictum fuisset, quòd omnia hæc medicum ægro gratiosè facere conueniret, palam erat. Introitus, sermones, figuram totius corporis, vestitum, capillorum tonsuram, vnguium mediocritatem, & odorem: nempe in ingreßibus alia est ad ægrum alium mediocritas, vt anteà diximus. In sermonibus autem simili modo: nempe alij confabulantibus delectantur medicis, alij confabulantes molestè ferunt: alios quidem graues & morosi oblectant sermones, alios faceti. De figuris & vestitu nuper dictum est, quónam scilicet modo ægro conijcere oporteat, quæ grata existunt. Tonsura capillorũ

opti-

optima quidem natura fiet, vbi quis capitis sanitatem cõsiderauerit: alijs siquidem aliud quadrat. ægris verò tonsuræ species non eadem omnibus grata: vt ergo rem hanc obserues oportet ad eum qui curatur respiciens: velut in Antonino Commodi patre fecerunt familiares omnes ad cutem vsq; detonsi. Lucius verò mimologos ipsos appellabat, & ob id rursus comam cum illo subaluerunt qui cum illo erant. Quales autem vngues medicis esse oportet, ipse in libro de medicatrina, vel de chirurgia ostendit, coniungens symmetriam ipsorum gratam esse cõspicientibus. De vnguibus autem scabredinem habẽtibus vel tale quippiam, veluti & capitis tum alopecia, tum ophiasi, non est sermone opus: nempe hæc vt iam præter naturam habere medico est turpißimum, veluti arthritim fortem, vel aliud quippiã tale. Odor tum corporis totius, tum oris quidam, nonnullis natura vitiosus est: veluti & alijs quibusdam inculpatus. Quidam ex incuria oritur, medicis nihil delinquere existimãtibus, si vel alliũ, vel cepam olentes, ægros inuisant. Quinto autem patriæ nostræ Romæ medenti tale quippiã euenit, qui à prandio quendam ex diuitibus & mul ta potentibus viris inuisit, vinum vehementer olens. Febriebat itaque vehementer æger, atque vnà capitis fatigabatur dolore: atque ob id occursantem vini odorem non ferens, Quintum longiùs secedere iußit, quòd vinum vehementer

olens homini molestus esset. modestè hæc æger dicere videbatur. Quintus verò in ipsum agrestius inhærens, vini odorem etiam sustinendum iussit: nempe & seipsum ait ægrum febrem olentem sustinere, neque par esse, vel febrem, vel vinum olere. Medicum alterum in nostra Asia noui, qui graueolẽtes haberet axillas, ita vt eam ob rem nullus æger mundus ipsius ingressum sustineret, vt itaque suum ipse primùm sanaret symptoma oportebat, atque ita cæteros curare ingrederetur: possibile est siquidem, & si genuinum fuerit: veluti hircis inest, & moderatius factum ipsum, & moderatum rursus ipsum quotidie diaplasmatis, quæ graueolentiam retundant lenire. Alius quidam graueolens natura os habens, moderatius ipsum reddere purgatione, & pharmacorum ad id idoneorum potione, singulis diebus minimum quippiam aduersus malum accipiens: interdum quidem amomi, interdum folij malabathri, & interdum alterius cuiusdã odorati, & ita domo exibat.

Aquam decoctam aërem excipere, vas verò plenum non esse, & quod superponatur habere oportet.

In affectibus quibusdam vel commoditatis cuiuspiam gratia, aquam decoquere conuenit: si verò vel omnem, vel prauam solam, non est in oratione dictum: quo fit vt ex ea adiumentum nullum nobis sit. Videtur siquidem, quemadmodum alia

alia multa inuestigationis gratia, non ad publicationem, in his libris formula quadam conscripsit Hippocrates, ita & hunc conscripsisse sermonem defectuosè quidem nobis, sed sibi ad memoriam non defectuosè. Si verò problemate posito nobis inueniendum sit, quásnam aquas decoquere oporteat priùs, deinde refrigeratas bibere, si vtique frigidas quidem bibere eas voluerimus: & contrà quásnam calidas bibere volentes, non similiter decoquemus. sed quòd quidem operculũ vasi in quo calesit conueniens factum sit, quòd verò & nihil superpositum sit, sed vas ipsum & nudum & intectum in quo aqua calesit contingere ambientem aërem permissum sit. Quæremus deinceps quænam pathemata calidis, vel frigidis indigeant aquis, commodũ verò aliquid inuenimus: neque tamen ex præsenti oratione ad inuentionem quippiam adiutabimur. Principio siquidem nihil prorsus declarat: atque ob id quidam præscriptæ ipsam coniungunt, vt Artemidorus postea Capito appellatus: plurimi verò separates, seorsum ipsam perpendunt. Si itaq; præscriptæ coniungatur, talem quampiam habebit sententiam: Ægrotantibus gratiæ, vt sinceræ conficiantur tum cibus, tum potus, & quæcũq; alia consequenter dixit Hippocrat. Deinde in calce & dare aquam ipsis oportet interdum frigidam, cùm scilicet vel nullam ex ipsius potu læsionem fore sperauerimus, vel prorsus paucam, deinde

sibi ad memoriam, inquiunt, præparationis ipsius modum scripsit; fortè quidem nunquam volens aquam ex fonte dare priusquam excalfacta sit. Forsan verò & inuenta quadam distinctione quibúsnam dare oporteat calefactam refrigeratámque, & quibus citra calefactionem: forsan verò & inculpatam aquam citra decoctionem, prauam verò decoctam dari volebat: forsan autem & refrigerationem aquæ inculpatæ geminam scribit, alteram quidē quæ ex ambiente fiat aëre. Nempe & in Alexandria & tota Aegypto vidi, qui aquam in testaceis quibusdam vasis hoc modo refrigerarent, Sole occidente aquam priùs calefactam vasis infundebant mox totùm hoc vas in fenestris ad ventum conuersis suspendebant, vt per totam noctem infrigidaretur, deinde priusquam Sol oriretur, terra cùm aqua frigida temperata vas claudebant, atque in ambitu folia frigida toti vasi circumponebant, interdum quidem vitis vel lactucæ, & interdum aliorum quorundam similium, vt diutiùs refrigeratio, quam nocturno aëre aqua adepta fuerat, perduraret. Ad talem autem potiùs veniunt homines præparationem, cùm aquam inculpatam non habent. Dico autem inculpatam quæ neque limosum neque malè olens quippiam habet, omniúmque qualitatum expertem gustantibus. Sunt etenim aquæ quæ absurdas habent permixtas qualitates, vel salis, vel litri, vel sulphuris,

phuris, vel asphalti, vel aluminis, aliorúmque similium: in quibus omnibus melius fuerit, vt legumina multùm antè concocta ad esum idonea conficimus, oleráque & fructus, & animalium partes, sic & aquam concoctione priùs alteratam ad melius, ita porrigamus. Altera autem commoditate aquam priùs calefactam refrigeramus, si vtique neque gustum neque odorem prauum habuerit, sed exactè sincera fuerit, cùm scilicet ipsam vel plus in ventre permanere, vel ipsum obstruere, vel inflare, vel grauare experti fuerimus. Sunt siquidem & alia multa, de quibus iudicium ex optimis aquis mihi scripsisse videtur Hippocrates, cùm inquit: Aqua quæ citò calefit & citò refrigeratur, leuissima est. Non enim in limosis vel graueolentibus, vel medicamentum quippiam in gustu ostendentibus talis commoda dignotio existit, quæ sanè liquidò constant omnibus, at in quibus nihil quidem horum inest. Sed altera quædam propter praui aëris mixtionem malitia circa aquam existit, vel alia quædam quæ ipsi aquæ naturalis sit, occultam habens causam, in his dicta dignotio optimum iudicium. neque enim aquæ huiusmodi citò calefiunt, citóque infrigidantur. Altera quoq; huic similis est dignotio per ea quæ in ipsa concoquuntur vel olera, vel legumina, vel fructus, vel carnes, vel radices. Nam citissimè in aquis optimis, tardissimè in prauis coquuntur: vocauerúntque

ita prauas veteres quidam tum crudas, tum incoctiles, non secus quàm legumina ipsa quæ difficulter coquuntur. ob tales itaque commoditates præcoctam interdũ aquam refrigeramus. Verùm enimuerò & calidam ipsam potaturi cùm vel limosa fuerit vel cœnosa, vel graueolens, ita præparamus. Nempe cùm antè calefacta infrigidata fuerit, sensibilem quidem deponit, quam ex putredine prorsus contraxerat graueolentiam, quódq; terreum est omne facilè subsidit, quòd antè calfactionem per minutas partes toti permixtum aquæ quando cum ipsa bibitur, non paruam parit offensam, & potissimùm in quibus renes vel vesica ad lapidum generationem est idonea. Et sanè talis indicationis gratiâ non solùm calefactam aquam serenitati exposuerunt, verùm quoque & alia quæcunque excogitasse mihi videntur Medici. Nam quæ ex dissimilaribus constantur substantijs, mixtionémque per minutas habuerunt partes, hæc post calefactionem cùm infrigidantur, facilè separantur: sed priusquam refrigerata fuerint post coctionem confunduntur, atq; ob id remixtæ sunt omnes ipsius partes, refrigeratis verò quod graue est & terrosum in ipsis deponitur, subsidítque, quod leue est in superficie manet. Si itaque prædictis in quibus gratias ægro conferendas scripsit Hippocrates, coniunctus fuerit de aquarum concoctione sermo, & ipsius vtilitas manifesta est, & idipsum quod dicitur,

forsan

forsan inueniemus qualenam est. Si verò seorsum à prædictorum continuitate nuper dictam orationem considerauerimus, plenus ambiguitatis sermo erit. Prius itaque sermonem ipsum velut coniunctum considerabimus: præparationem aquæ in ipsa oratione innoxiam indicari asserentes his qui frigidam sunt potaturi, quam & ego sæpius mollior, cùm ægro cuidam aquam frigidam sum daturus, fontem innocentem esse dubitans. Romæ siquidem vt multa alia conditionis melioris in vrbe existunt, sic & fontium tum pulchritudo, tum copia, nullo vel graueolens, vel medicatum, vel turbidum, vel incoctilem habente aquam, sicuti & in Pergamo nostra: in cæteris verò ciuitatibus multis non paucæ prauæ aquæ sunt. Quæ verò ex Tiburtina ora per canales lapideos Romanam in vrbem deducuntur, cætera quidem malitia sunt destitutæ, at quodammodo incoctiles sunt, vt neque celeriter calefiant, quomodo qui in vrbe sunt fontes, neque celeriter infrigidentur, neq; in ipsis coquantur vt in fontanis quæ quis iniecerit tum legumina, tum olera, tum carnes. Ex his autem aliæ in alijs regionibus incoctiliores existunt, atq; ob id ab indigenis duræ appellantur & graues, tum quòd ventrẽ affligant, tum quòd plures à potu grauitatem sentiãt. Consueuerunt siquidem & alias multas quiduis facientes causas ab eo quod fit præternominare: sic itaque contrariam huic aquam optimam

laudantes, tum mollem, tum leuem appellitant. Hæc quidem quæ dicta sunt omnia cognitu quidem vtilia sunt, sed nihil ex his in præsenti oratione docetur: neque enim citra ostensionem, neq; cum demonstratione, neque paucis & obscuriùs, neque explanatè & longiùs. satiùs est igitur iuxta mentem nostram eiusmodi dictiones transgredi omnes. Si verò quónam pacto aquam ad potum frigidam præparare oporteat, Hippocrates scribere proposuerit, intelligentia ipsius talis erit: Si aquam prædictæ commoditatis gratiâ coquamus, aut nihil vasis quibus coquemus superimponemus, sed aquam quæ coquetur aërem circunstantem tangere permittemus, aut contra vas operculo constricto aëre claudemus. Rursum fieri potest, vt & hæc ipsa dici intelligantur vel de coctura ipsa, vel de futura post cocturam ipsa refrigeratione, credibiliùs quidem de ipsa refrigeratione, incredibiliter verò de coctura: neq; enim dicere possumus quam nobis commoditatem præbebit in coctura ambiens aër, in eas aquas quæ coquuntur incidere prohibitus. In refrigeratione verò, quæ coctioni succedit, vbi quidem vel fontem vel puteum habuerimus in quem vas obruemus, & operculum vasi fecisse, atque ipsum vndiquaque obstruxisse est necesse: si verò nullum habuerimus vas, sine operculo esse ita vt aërem excipiat, oportet. Interpretes autem nonnulli qui præsentem dictionem seorsum ab antè dictis legere vol

re volunt, sermonem Hippocrati esse affirmant de prauis aquis, & maximè quæ tales existunt ob terream quandam inuectam substantiam: co-ctionis verò modum, narrari quoad scilicet concoquere ipsas oporteat, vt sinceræ & pellucidæ fiant, vbi externum susceperint aërē. Nam ob huius mixtionē, non perse luculentas videri optimas aquas aiunt, sese in disputationem de rerum naturis conijcientes, de qua nullam reddere rationem possunt. Luculenta siquidem videtur aqua, nullo externo in luculentiam incidente splendore: sed per alterationem quam ex occursante habet lumine, veluti & aër ipse. Neque enim is suapte natura est luculentus: aut si prorsus fuerit, noctu etiam talis erit. at superis ipsius limitibus accedente Solis splendore totus tum alteratur, tum transmutatur, sibiipsi continuus existens. Vacuas autem quasdam esse tum in aqua, tum in aëre regiones, tum Epicuri, tum Asclepiadis opinioni consequēs est: Aristotelis verò & Stoicorum contrarium nihil in mundo vacuum esse existimantium, sed plena corporibus omnia esse. Neque enim in pumice mediæ terreorum corporum regiones prorsus ipsis vacuæ esse videntur. Contineri siquidem in ipsis aërem dicunt, esse verò in aqua talem quandam meatuum patefa-ctionem, qualis in pumice reperitur: sed hoc ipsū sibi prorsus continuum esse. Melius est itaque existimare, inquiunt, orationem, vt aërem exci-

piat, de non aperto dici vase. Sed quod deinceps est scriptum, dictam explanationem non recipit, quod ita habet: Vas autem non plenum esse, & operculum habere, opponitúrq; prædictæ orationi qua dicitur: Aquam decoctam esse, vt quidem aërem excipiat, nempe quod secundo orationis infertur loco vas operculum habere volens, ipsi oppositum vas nullo pacto operculum habere vetabit, id quod significauit Hippocrates cùm scripsit: vt quidem aërem excipiat. Nempe vas quod operculum habet, aërem nõ excipit: quod operculo caret, promptè excipit. Hoc verò fieri aquis quæ in frigido aëre refrigerantur affirmamus, veluti in Alexandria facere consueuerunt. Vbi verò decoctam aquam fontibus vel puteis suspendunt, vas tunc vt parte vacuum sit est melius, vt medius tum operculi, tũ aquæ in vase positæ aër priùs refrigeratus, propinquam ita aquã frigiditate attingat. Quemadmodum enim aqua promptiùs quàm cætera terrea corpora tum calefit, tũ refrigeratur, quòd tenuiores quàm ipsa partes habuerit, sic quàm aqua aër. Mirarérq; si rei huius quæ quotidie fit, nullum experimentũ haberet. Nempe ex vasis vinum continentibus quod vtique sine operculo existit, in eo vinum promptè acescit: veluti contrà in eo quod operculum habet, minus hoc patitur, atque adhuc minus vbi vas plenum fuerit. Quæ verò parte vacua fuerint, quòd in se aërem contineant, per medium illud citiùs ab am-

biente

biente externo alterantur. Repleta verò ad operculum vsque, per illud quidem habent tum leuem, tum obscuram alterationem, pro operculi scilicet densitatis portione. Inuenies siquidem quæ vel pice vel gypso constipantur, stabiliora esse: quæ verò à sola cute, minus, vt quæ cuneis operculantur: & ob id suppositis priùs vel cuneo, vel cute, tum gypso, tum pice fictilia oblinunt. Hac itaque ratione cum aquam frigidissimam facere voluerimus, niuem quidem habentes, priùs aquam calefacimus, deinde niuem ipsam extrinsecus circumponimus: cum verò niuem non habemus, ex puteis vel aquæductibus frigiditatem ipsi comparamus, priùs quidem calefacientes vt facilè alteretur, promptiùs siquidem in se totum suscipit ex cõsentaneis alterationem quodcunque à caliditate ante calfactum sit, atque ob dictam causam arte molimur, vt aquam aër frigidus tangat. Si itaque decoctæ aquæ refrigerandæ gratia dicta ab Hippocrate hæc sunt, credibili illustrauimus explanatione. Si verò prauæ corrigendæ gratia, considerandum deinceps, facto iterum à decoctione exordio, quæ totam æqualiter aquam fundens, ad separationem idoneam facit: permanente verò in ipsa ob calefactionem motu, necesse est in sublime sustolli quædam eorum quæ in ipsa feruntur, crassiorum corporum: quæ si perfectè absoluta fuerit, terrea quidẽ quæ naturali grauitate deorsum

ferun

feruntur, ad continentis vasis fundum deueniēt: aqua verò his superuehetur, quam quietè in vas aliud effusam ad vsum innoxiam habebimus. Zeuxis nescio quo pacto principium secundæ par tis orationis ita explicauit: Vult, inquit, Hippocrates nō ἐμπλέον ventri aquam esse, acuit enim secundam huius nominis ἐμπλέον, non vt cæteri primam, intelligi volentes, non plenum aquis vas esse, vt illis visum est, sed ἐμπλέον quod est μετέωρον, id est, sublimem, eleuatámque. At quoniam qui amat, circa id quod amat cæcutit, ob id philautia nos sæpiùs cæcos reddit in solis nostris, & si aliena diligentissimè respiciamus.

Ex sanguinis profusione hydropes fiūt,

Eiusdem facultatis sermo erit cum eo qui oratione in hac dictus est: Fluente ex sanguine exoluuntur. fit siquidem vtrunque perfrigerato corpore.

Si talia purgentur qualia purgari oportet, & bene ferunt.

Quidam absque coniunctione, &, orationem scribunt, veluti in aphorismis: plurimi verò cum ea subaudiendum esse verbum, confert, volentes, quòd expressè in aphorismis dicitur in ea oratione quæ ita habet: si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & bene ferunt. Coniunctionem autem, &, hoc loco adiectam ostendere aiunt, quòd vltra id quod conferat ea quæ ex purgatione est vacuatio, bene etiam eam ferant,

sint

siue pharmaco à nobis exhibito, siue natura ipsa corpus ab infestantibus humoribus expurgante vacuatio fiat. nam καθάρσις, id est, purgationes consueuit appellare Hippocrates, non eas solùm quæ pharmaci virtute fiunt vacuationes, verùm quoque & eas quas molitur natura. Thucydides & eas quæ symptomatice morbi ratione & naturæ impetu fiunt vacuationes, καθάρσις appellauit, atq; etiã ἀποκαθάρσις, cùm inquit: ἀποκαθάρσις, id est, purgationes bilis omnes quæ à Medicis vocatæ sunt, contigerunt. dicuntur autem hæc ab ipso in pestis narratione in historia secunda.

In æno legumina assiduè comedentibus tum maribus, tum fœminis, crurum infirmitates fiebant, permanebántq; : orobo verò vescentibus, genua dolebant.

DEEST HIC GALENI COMMENTARIVS.

*

Planè vigilans exterius calidior, interius frigidior, dormiens contrà

Quod quidem in orationis principio ἐμφανῶς dictum est, id est, planè, idem potest quod φανερῶς & ἐπιδήλως, id est, apertè & manifestè: quæ autem deinceps coniuncta sunt verbo, vigilans, clara sunt, existimante Hippocrate vigilanti exteriora

exteriora calidiora frigidiora, interiora esse, dormiēti verò contraria contingere. Nempe qui dormiunt., & pluribus egent vestimentis & capitis operimento cùm ambiens aër frigidus fuerit, vt hyeme, quanquam interdiu his non egeant. Præterea amplior respiratio, abundantiorem caliditatem in corporis profundo aceruatam ostendit: pari modo & concoctiones quæ dormientibus quā vigilantibus meliores fiunt, non solùm quæ in ventre comesorum ciborum fiunt, verùm quoque & quæ in hepate & venis succorum profunda corporum dormientibus calidiora reddi ostendūt, consentiente vtique nobis, & anteà demonstrato, quòd calor innatus omnium quæ in corpore fiunt concoctionum maximè causa sit. Sic sanè & in aphorismis scripsit de ætatibus, anni temporibus, & vitæ institutis, vbi inquit: Ventres hyeme & vere naturâ calidissimi, & somni longissimi, & ideo per ea tempora cibos copiosius dare oportet: nempe & calor innatus multus, & ob id pluri egent alimento: argumento sunt ætates & athletæ. In his itaq; compendiosè de ætatibus scripsit. In alio verò aphorismo longiùs & ob id manifestiùs ita inquiens: Qui crescunt plurimum calidi innati habent, & ob id plurimo egent alimento, alioqui corpus absumitur. Senibus paucus est calor, & ob id paucis egent fomentis. Secundum itaque ætates non migrante tum intrò, tùm foras natiua caliditate, sed progressu temporis eua-

nescente

nescente, frigidissima omnium senibus redditur. In hyeme verò ad profundum transeunte, venter quidem & viscera calidiora, quæ verò sub cute sunt, frigidiora fiunt, quemadmodum & terræ profundum hyeme calidum esse videtur, ita vt fontes ob id calidiores fiant, & ad profundum vsque fodientes quidam manifestè sentiant caliditatem, vbi longè à superficie recesserint.

In calida natura refrigeratio, potus aqua, quies.

Quod in dictione præcipitur est manifestum: qui enim iusto calidiores existunt, his victus rationis summam reduci ad refrigerationem cõfert. frigidiores itaque temperamento cibos dare ipsis oportet, præcipiendúmque vt bibant aquosum, vel ipsam aquam, & non multùm exercitentur: solæ enim in necessarijs actionibus motiones ipsis satis erunt. Quòd autem & eiusmodi homini ab iracundia, & vehementibus curis abstinendum sit, nemo est qui nesciat: vtendum præterea & illi lauacris aquarum potabilium, diebus singulis non semel tantùm, verùm & sæpiùs si voluerit. Ciborum quoque quos ingeret, facultatem frigidiorem esse oportet, & potissimùm æstate. Meminisse autẽ ante omnia in eiusmodi sermonibus oportet, calidas naturas consueuisse Hippocratem eas appellare, in quibus non redundat calor natiuus, sed acris & mordens, quem tum aquisititium, tum non naturalem esse putat.

Somn

Somnus in frigore stragulis operto.

Plurimi interpretum seorsum hanc enarrant orationem, sed melius esse mihi videtur cum antescripta coniungere, vt sermonem vnum totum hunc faciat: In calida natura refrigeratio, potus aqua, quies, somnus ἐν ψύχει, id est, in frigore stragulis operto, orationis ἐν ψύχει primam syllabam per υ scribentibus & legentibus nobis per μ, ita ἐμψύχει, id est, refrigerat, erit siquidem ita articulus perinde atque quispiam dixerit, ἐν ψύχει. Immoderatiùs siquidem calidam habentes naturam, frigido in loco dormientes, vt frigidum intrò trahant per inspirationem meliùs est: & maximè quòd in somnis calor intra corpus refugiat. At si quemadmodùm in somnis superficiem externam relinquente calore profundum corporis calidius fiat, sic & propter ambientem aërem refrigeratis cutaneis partibus profundum calefiat, non perfectè homo per inspirationem refrigerabitur: meliùs itaque est retrahere quidem ad cutim caliditatem calefacientibus operimentis, frigidum verò inspirare, vt vtrinque ad mediocritatem temperamenti calidum corpus agatur. Est igitur optimum vt dixi, prædictis coniungere quod per hanc orationem dictum est, quàm plerique libri huius interpretes separantes; non solùm in temperaturis calidis, verùm & hominibus omnibus communiter conferre putant: somnum quidem in aëre frigidiore vt caliditas in profundo

corpo

corporis aceruata refrigeretur, stragulis verò contectos esse vt non omnis intrò immoderatè annuat, adhærente scilicet ea quæ ex refrigeratis cutaneis partibus est caliditate illi quæ per somnũ collecta est, hoc sanè verum in naturis multis, non tamen omnibus: vt enim iusto calidiorem temperaturam refrigerare melius est, sic & frigidiorẽ calefacere. Quidam non solùm ab antescripta nunc nobis propositam separauerunt, verùm & eandem partiti seorsum quidem legerũt: Somnus ἐμψύχει, id est, refrigerat, primam syllabam vocis ἐμψύχει per μ scribentes, vt verbum vnum fiat ἐμψύχει, non secus dictum quàm καταψύχει: & non duæ orationis partes præpositio quidẽ prior, & posterior nomen. Hi verò sequenti dictione præsentis calci de necessitate vnita, ita legunt: ἐπιβεβλημένῳ, id est, stragulis operto, somnus profundus, rectorum dormiendi cupiditas, ἐπιβεβλημένῳ pro καταχειμένῳ, id est, iacenti, dictum esse inquientes. Hoc autem præter id quod violenta vocis huius καταχειμένῳ in vocem ἐπιβεβλημένῳ sit translatio, maximè quoque, tum abiectum, tum abusiuum, volentibus ipsis nos intelligere somnolentam corporis affectionem, decumbentibus quidem, tum profundum, tum certum somnum, stantibus verò dormiendi appetentiam operari.

Somnus stabilis, rectis dormiendi cupiditas,

Quæ plerique interpretum in hanc scripserūt orationem silentio dißimulare est melius: quæ verò probabiliora ab his existimata sunt, dicam. Sunt autem eiusmodi, vigilias corpus infrigidare inquiunt: réique huius coniecturam statui eam quæ eos qui vigilauerunt concomitatur coloris malitiam. Cùm enim, inquiunt, calidum temperamentum refrigerare voluerimus, præter alia quæ antè recensuit Hippocrates, ampliùs quoque & hoc addendum, vt vel præcogitantes quippiam, vel facientes vigilent, vel si hoc facere non poßint, reclinatis ipsis somnus prohibeatur, alterum autem ex duobus facere coguntur, némpe aut sedere, aut stare. Sedentium etenim somnum ἑδραῖον, id est, stabilem appellatum aiunt ἀπὸ τῆς ἕδρας, id est, à sede: idémq; horùm somnum posse quod stantium rectorúmq; dormiendi cupiditas, qua effectum ratione, vt ipse dixerit: somnus stabilis, firmúsq; rectorum dormiendi cupiditas, perinde atque dictus sit sermo omnis: Calidiores naturæ ab vsu plurimorum somnorum arcendæ sunt: melius siquidem ipsis, vt tùm vigilent, tùm quippiam faciant, & potißimùm ne sedeant prohibendi. Si verò non, hoc quidem indulgendum quod simile existat stantium dormiendi cupiditati: sed ne reclinentur prohibendū. Quidam somnum ἑδραῖον pro βαθύν, id est, profundum, dici existimantes, quicunque ita habuerint stantes iam dormitare aiunt: sed cuiúsnam

vsus

vsus gratiâ scripserint non adijcientes, imperfectum fecerunt sermonem. Præcipiente autem hæc nobis Hippocrate quos ἰσχυρῶς, id est, βαθέως, id est profundè dormire volumus, eos tantisper vigiles citra dormitationem seruamus, donec stare non poßint: nam si in id peruenerint, profundè dormient. Multos siquidem ego propterea quòd citò in somnum irent, vigilare diutiùs coëgi, & ita vt inculpatè dormirent præparaui: quemadmodùm & nonnullos eorum qui inappetentiã accusant, vbi per bonam diei partem cibo abstinere coëgi, vt esurirent feci. Prius enim quàm natura somnis vel cibis indigeret, in ea venientes, in prædicta incidunt symptomata. Non est autem prorsus natura intempestiuè violanda, sed illi tempestiuè velut subseruiendum. Ego itaque quæ mihi quis ad præsentis dictionis expositionem probabiliter dicere videbatur, dixi. Qui verò somnum perpetuò refrigerare existimant, eos opportunum quippiam artis nescire puto. Perpetuò siquidem somnus humectat, vt vigilia exiccat, atque hoc nos ipse docuit: neque verò perpetuò calfacit, vel refrigerare natus est. At vbi quidem citra febrem vel pituitosos, vel crudos, vel quouis modo frigidos repertos in corpore humores, tum confecerit, tum concoxerit, confecto ex ipsis vtili sanguine, hominem calefacit caliditatis naturalis incremento. Cùm verò ex humorum putredine febrierint, refrigerat: febrilem

quidem caliditatem extinguens, ſed augens fami liarem. At cùm vel abſque febre, vel cum febri bilioſi redundauerint humores, ſegregare quidem eos valens deinde excernere, corpus ad ſalubris temperamenti ſymmetriam reducit: ſi cõferre hæc non poteſt, ſeruat idem temperamentum. Quòd ſi ex viſceris inflammatione febriens quiſpiam in acceſsionis principio obdormiuerit, intempeſtiuus hic ſomnus phlegmone aucta ſimul & febrem au gebit, atque ex ea re calidius reddet corpus cali ditate præter naturam. Fieri verò poteſt vt tem pore vno, corpus interdum calidius ſimul, & fri gidius ob ſomnum fiat. Quoniam caliditatis cor poris duplex ſit genus: vnum quidem familiare & natiuum, alterum verò alienum & præter naturam. Cùm itaque ex illis alterum increuerit valuerítque, alterum verò, tum imminutum fue rit, tum intabuerit, quomodò quis irrationabili ter dixerit vno tempore calidius pariter & frigi dius ob ſomnum factum eſſe corpus, hæc autẽ pla nè ignorant multi eorum qui libros Hippocratis expoſuerunt. Quod dico ita habere diſces in eo aphoriſmorum ſermone, in quo Lycus Hippocra tem accuſat ita ſcribentem: Qui creſcunt, pluri mùm habent calidi innati, ſed quòd per ignoran tiam eorum quæ rectè de caloris differentia ſcri pſit Hippocrates, calumniari ipſum auſus ſit, vno integro libro eſt demonſtratum, qui inſcribi tur, quòd nihil erratum ſit in aphoriſmo, cuius

princi-

principium est: Qui crescunt, plurim... ...ent calidi innati, & ob id copiosiore indigēt alimēto.

Imbecillæ frigidæ diætæ, validæ verò calidæ.

Diætas imbecillas dixit vel imbecilla vitæ studia, cibósque & potiones, vel quæ imbecillum animal reddunt. Frigidæ verò siue suo temperamento, siue ea quam in nobis pariunt affectione dicantur, nihil inter se differunt. Imbecilla itaque vitæ studia dicuntur quæ per leues corporis motiones fiunt, quemadmodum valida quæ per validas. Cibi imbecilli qui neque validum habent odorem, neque in gustu qualitatem quæ valida sit, vt aciditatem, vel dulcedinem, vel salsitatem, vel amaritatem, vel acerbitatem, vel acrimoniã, sed qui mediocriter gustu dulcescant, vel iustam præ se ferant astrictionem, vel caliditatem pariter exiguam: validi autem his contrarij. Si itaq; imbecilla omnia, tum vitæ studia, tum diætemata corpori adhibeantur, refrigerabitur vehementer, veluti & si valida strenuè calefiet: si verò hæc quidem sic, hæc verò non, ex proportione mixtionis, vel vtique ad alterum extremorum propiùs vel longiùs deuenient.

Aquarum artificio carentium quæ ab æthere quidem excreta est, & cum tonitru tempestiua est: cum procella verò, mala.

Ea quibus in re medica nō in ægris solùm, verùm quoque & rectè valentibus corporibus vti-

mur, materiæ artis iure optimo appellantur: scripti quoque & à Medicis quibusdam libri qui de materia inscribantur. Interdum itaque sponte nascentibus corporibus, tum ad sanationes, tum ad salubrem diætam vtimur. Interdum verò & ipsi quippiam in præparatione materiæ facimus, hæc quidem coquentes, illa verò vrentes & lauantes, aut priùs condientes, aut præmadefacientes, vel refrigerantes, vel tale quippiam aliud molientes. sic enim & aquarum præparatione interdum quippiã artificiosum, veluti paulò antè ipse dixit: Aquam decoctam esse vt aërẽ excipiat. Nempe coctio ipsa fit, & quæ post eam accedit refrigeratio aut per ambientem aërem, aut ventum quendam, aut domum quæ ex se frigidum contineat. Sunt enim domus quædam speluncis frigidis similes, atque interdum humidis, aut per niuis circumpositionem, aut in fonte positionem, vel in puteo, quæ bifariàm fit, demittentibus quidem interdum nobis in ipsam aquam vas in quo aqua calefacta sit, interdum verò & supra ipsam suspendentibus, quomodo etiam & per laxos vrceos graciléisq; turbidam aquam interdum colamus: vt tum in Alexandria, tum in Aegypto colari solet per quædam non simpliciter confecta, sed in laxitatem artificiosè confecta, veluti & per linteum cùm vas eiusmodi non adfuerit. Artificiosam habent hæc omnia præparationem, veluti quæ in aquarum fontanarum

narum

narum ductibus facimus, non ex quouis lapide ipſos componentes, atque intus interdum illinentes. Nempe in litu ipſo diſcrepantia parua non eſt, ſiue pix, ſiue gypſum fuerit, vel citra hac coctus later, vel lapis qualitate præditus praua vel bona, vel prorſus nulla quæ manifeſta ſit. Præterea puteos ſæpiùs fodimus in diuerſa terra, aquámq; ex fonte per canales fiſtulas dirigimus, qui vel meliorem, vel deteriorem reddere poſſunt, vel qui nullo pacto ipſam alterent. Artificioſè itaque hæc fiunt omnia circa aquæ præparationem. Cùm verò à terra accipimus in eo loco in quo viuimus, aut ex lacu, aut ex flumine præterlabente, vel pluuialem appellatam, nihil tunc ex arte apponimus. Ob eam itaque cauſam dixit Hippocrates, aquarum artificio carentium, ipſas his opponens quæ artificioſam habent præparationem, quas per analogiam artificio carentium artificioſas vocamus. Quemadmodum autē paulò antè non de omnibus aquis quas artificioſè præparamus ſcripſit, non vt librum ad publicationem facturus, ſed vnum ſolùm præparationis modum memorauit, ſibi in commentario ad memoriam ſcribens, ſic & nunc non de omnibus aquis artificio carentibus ſcripſit, ἀτέχνας vocat, id eſt, αὐτοφύεας, id eſt, ſponte naſcentes, ſed ſolùm ſpeciem vnam percurrit, quam vocamus, vt dixi, pluuialem. Scripſit autem differentias ipſius duas, alteram quidem quam & manifeſtè

improbat, malam esse inquiens procellosam. De altera verò deinceps incertum si aut inculpatam solùm, aut alterius cuiusdam esse indigam contigerit, existimauit autem improbam esse procellosam, nam quæ ab aëre excreta est vel tonitruosa ὡραῖαν, id est, tempestiuam esse ait. Fieri verò potest vt & oræam ipsam quæ conueniente wra fit, dicat, ita vt hoc dicens pacto laudet: fieri quoque potest vt & solam ita appellet quæ æstate media appellata decidat, quòd potissimum hoc tempus wram anni appellitent Græci. Nempe & ὥρας nomen Autumno, Hyemique, & Veri assignant per excellentiam verò & interdum anni ὥραν tempus illud vocant, in quo ὡραίους appellatos fructus perfici contingit. Hoc itaque est incertum quod ad dictionem attinet, nisi aliquid ipsi addiderimus de nostra narratione, vel naturali rerum demonstratione, atque etiam cur procellosam quidem vituperauerit, non autem ætheream & tonitruosam: deinde autem & vtrum præparare ipsam nos voluerit ad potionem, vel sanatoria remedia, nempe & in medicamentorum ocularium cõpositione aqua huiusmodi vtimur, & Hydatinum appellatum ex ipsa conficimus. Ωραῖαν verò aquam intelligere est melius, non quæ Vere viget, vt stulti quidam intellexerunt: neque enim præcipuè quis ὥραν anni Ver appellauit, sed simpliciter ὥρα, vt & alias, neque videtur facultatem aliquam præcipuam habere,

qui

qui tunc decidit imber. Sed longè satiùs existimandum dicere Hippocratem ὡραῖαν aquam quæ tempore illo decidat, quod vocant ὥραν anni: nempe & huic consentire videtur quod ab æthere excretum ab ipso dictum est. Consueuerũt siquidem veteres ambientem nos aërem cùm exactè purus fuerit, ætherem appellare, cùm verò tenebricosus nubilúsque, aërem. Hac itaque ipsa ratione & locum supra nubes æthera appellitãt, id quod Poëta manifestè indicauit, inquiens: Εἰς ἐλάτην ἀναβὰς περιμήκετον, ἣ τότ' ἐν Ἴδῃ Μακροτάτη πεφυκυῖα, δι' ἠέρος αἰθέρ' ἵκανεν, id est. In abietem vt ascendit altam, quæ tunc in Ida longissima exurgens, per aërem ad æthera perueniebat. Contrà verò cùm dixit: Ἥρα δ' Ἥρη πίτνα πρόσθε βαθεῖαν ἐρυκέμεν, id est, Iuno autem antè in aëra se proiecit profundum. Videtur hunc ostendere his verbis. Et rursus cùm inquit: Ἀὴρ γὰρ παρὰ νηυσὶ βαθεῖ', οὐδὲ σελήνη Οὐρανόθεν προὔφαινε, κατείχετο δ' ἐν νεφέεσσιν, id est. Aër enim circa naues teter erat, neque Luna è cælo prælucebat, detinebatur autẽ nubibus. Cùm itaque æstate extenuata, aqua ob anni temporis caliditatem in inuisibiles dissoluta fuerit vapores, atq; ob id in aërem qui supra terram est sublata fuerit, deinde ob aliquam in frigidum mutationem, vel ventis mutuò contrà perflantibus, vel condensato aëre vnitos qui extenuati sunt vapores, sensibilem quidam fieri aquam contige-

rit, imbrem sanè tempestiuum esse dicemus, extenuata scilicet & antè confecta ob aëris caliditatem aqua, atque ob id meliorem eam esse procellosis, tum indomitis, tum intransmutatis, quales in quibusdam fontibus sunt aquæ quæ à veteribus incoctiles vocantur. Quam autem & ob causam tonitruosam magis probet quàm procellosam, deinceps videamus. Videntur quidem tonitrua mihi ideò fieri aut propter ignis reliquias, cùm scilicet excretus veluti ruptionem quandam circundantis ipsum nubis fecerit, quando scilicet fulmina decidunt, aut collisis attritísque inter se nubibus, neutrum verò inest procellosæ. Nempe in statu illo condensatus est aër, continua, & nigra vna nube omnem ipsum complexa: iure itaque in tali aëris circa terram conditione tonitrua non fiunt. Nempe in dispersis & secundùm propriam descriptionem delatis nubibus, cùm inter se atteruntur, colliduntúrque tonitrua fieri est consentaneum. Nube verò tota, tum continua, tum vnita collisio non fit, neque ob id in statu tali cadunt fulmina, cùm neque aër calidus in nubibus comprehendatur, neque fortis attritus fiat. Nam cùm nubes sibi inuicem obuiam factæ, medium igneum in se coagitantes & constringentes perfectè condensauerint, tunc eliditur interdum quidem supra fulmen, interdum verò in obliquum, interdum quoque & ad terram, hanc

sanè

ſanè ipſius delationem ſolam conſpicimus, aliæ verò nos latent. Dicta itaque à me compendiosè ſunt in dictionem & quónam pacto fiant tonitrua, atque quam ob cauſam tonitruoſam aquam procelloſa eſſe meliorem dixerit. Summè autem pura & extenuata eſt elaborata tempeſtiua: in medio huius & procelloſæ eſt tonitruoſa, quæ quantum relinquitur à tempeſtiua ſiue oræa, tantùm procelloſam excellit. Promptum itaque iam ſollicitè omnia cogitantibus, Medico congruum non eſſe dicere, vt tantam attingat de rerum natura diſputationem. At ſi præter omnem ratiocinationem ſimpliciter pronuntiaſſem, meliorem quidem eſſe tempeſtiuam procelloſa, mediámque vtriuſque eſſe tonitruoſam, demonſtrationem aliquam his quæ dixi me adijcere voluiſſent. Neque enim ſibi dictis meis vt legibus credere eſſe iuſtum, neque eſſe neceſſe, vt præceptis tyrannicis, credere: ſi itaque lingua hominum, tum indoctorum, tum prauorum effugi non poſſit, melius autem ſit ob meliora ab ipſis vituperari, bene recenſuimus, quæ de tonitruorum generatione eſt, naturalem diſputationem. Nempe quod demonſtratum non eſt, incredibile eſſe omnibus hominibus videtur. Quòd autem naturalem diſputationem non attingat Medicus, non prorſus rectè dici videtur: oſtendúntque qui hoc enuntiant, ſe nobis vt tyrannos, his quæ præcipiant credi volentes. At meliùs

forſ

forsan erat non tyrannicè præcipere, sed nos docere, vel quòd sermo absque demonstratione probabilior eo sit, qui cum demonstratione est, vel quòd non verè dicatur aliquid iuxta causæ redditionem. Ex his verò quidam neutrum faciunt, atq; modo vtroque vituperant: & si nullam demonstrationem dixerimus, vt non demonstrata pro nugis habentes, & si rationem quandam addiderimus, quasi Medico physiologo decens non fuerit vera attingere.

Aqua vorax, vigilia item vorax.

Ab his quæ facere nata sunt, tum aqua, tũ vigilia, dedit ipsis appellationem, βοῤῥὸν vtrũq; nominans, quoniam βοῤῥοὺς nos faciat. Vocant siquidem & nunc adhuc ex consuetudine qui nostram Asiam incolunt Græci omnes, homines βοῤῥοὺς qui multa esse & vorare possunt. Constat autem & ciborum appetentias ex aquæ potione augeri, quo fit vt in eam rem frigidam aquam bibant, vel alimentum frigidum, vel adstringens ingerant. Nam quæ sanguinem in ventris tunicis contentum modicè cogunt constringúntque ea appetentiam, tum augere, tum procreare demonstrata sunt: quæ verò sanguinem, tum calfaciunt, tum fundunt liquántque, ea appetentiam delere & placare. Iuxta hanc itaque rationem aqua prouocat appetentiam, vigilia per halitum digerendo. Iam enim & de hac didicistis quemadmodùm & de somno, concoquit siquidem

dem

dem somnus, calido scilicet in eo intrò vergente: digerit autem vigilia perpellente secum calore natiuo iuxta eam quæ extrà fit motionem non paucas substantiæ corporis partes. Ob eas itaque causas βορρᾶ dicta sunt, tum aqua, tum vigilia. Tu verò ne obaudieris, existimaueríſque idē esse multa ingerere, & multa, tum concoquere, tum conficere. Melius siquidem est aquâ vinum non ad concoctionem solùm, verùm quoque & ad coctorum distributionē sanguificationémq; & nutritionē, & mictionem, & ad sanis in corporibus transpirationem. Quòd autem de his sermo ab Hippocrate nunc dictus sit constat, nemine ignorante quòd plurimos ægrotantium vinum offendat. Præterea vigilia cùm duobus fiat modis, geminum habet & ex cibis finem: nam si quippiam per noctem agentes vt in nocturnis vigiliis perfecerint, vacuatur quidem corpus, nulla verò quæ manifesta sit oritur virtutis offensa. Si verò decumbentes partem quidem noctis aliquam somno indulserimus, reliquam verò vigiliæ dederimus, dissoluitur quidem virtus: neque enim appetimus melius, neque concoquimus, neque functiones naturales concoctionem consequentes habemus inculpatas, sed deteriores omnes quàm qui probè dormierunt.

Præcalidam naturam in calido anni tempore, in aëre frigido cubile impinguat, in calido verò extenuat.

Quod

Quod principio quidem orationis dictum est ἐνθέρμῳ, id est pracalido à recto ἔνθερμος declinari ambiguum non est: quod verò in calce est, potest quis intelligere tanquam ex præpositione ἐν, & casu dandi θέρμῳ constet, vt sanè intellexerũt ferè omnes libri interpretes: alij quidem orationẽ in duas partes, quasi vtraque propria indigeat explanatione, diuidentes alij materiam in vnam explicantes. Dioscorides ipsam in clariorem permutauit veluti in obscuris orationibus facere consueuit: seorsum enim scripsit, ἐνθέρμῳ φύσει, calido anni tẽpore, adijciens ipsi verbũ λεπτύνειν, volens nos intelligere ἔνθερμον φύσιν, id est, valde calidam naturam in anni tempore calido, id est, æstiuo λεπτύνεσθαι, id est, extenuari, quæ scilicet peruaporetur ab appellata iam ex consuetudine Medicis recentioribus omnibus ratione spectabili perspiratione quam altera quadã oratione quidam inuisibilem transpirationem vocant: quæ quidem in nobis fieri solet in vita omni, sed non eadem in ætatibus, anni temporibus, vitæ studijs, atque vt simpliciter dicam, diæta omni quam exhibemus. In omnibus verò differentijs commune est, in calidioribus quidem, tum anni temporibus, tum regionibus, tum ætatibus, tum naturis, & diæta extra corpus effluere non paucam ex substantia nostra partem: in frigidioribus verò ob condensatam cutim retineri quidem plurimum, atque paucum euacuari. Hac itaque ratione

verum

verum est calidam naturam in calido anni tempore attenuari, duplicato scilicet effluuio. Nempe naturale ex propria habentes caliditate, accedens externum à calido anni tempore acquirũt: sed scripturam hanc in nullis alijs exemplaribus reperi, neq; hanc ex interpretibus quispiã nouit, nisi quòd ipse Dioscorides in libri fronte adscripserit in duobus solis exemplaribus, ita habentem reperiens orationem: Præcalidam naturam cálido anni tempore, in frigore cubile impinguat, in calore extenuat. Nec nos verò in duobus, sed in omnibus quæ legimus, ita habentem reperimus orationem: visis quidem omnibus bibliothecis & exẽplaribus quæ apud amicos essent. Ad ipsius itaque explanationem conuertamur, quæcunque perperàm ab expositoribus dicta sunt prætermittentes. Nempe prior orationis pars ita mihi complẽda videtur: Præcalidam naturam θερμῇ ὥρῃ, in frigore cubile incrassat. θερμῇ quidem ὥρῃ in dandi casu legentibus nobis, quasi dictum sit ἐν θερμῇ ὥρῃ. id est in calido anni tempore: ἐν ψύχει verò, id est, in frigore, tanquàm & ita dixerit: in aëre frigido, constante oratione ex duobus orationis elementis, præpositione quidem ἐν, & nomine ψύχει, fiet siquidem intelligentia omnis talis: Confert præcalidæ naturæ calido anni tempore in frigido cubili dormire: nempe ita impinguabitur. Iure autem nos in valde calidis naturis facere præcepit Hippocrates: nempe calida natu-

ra promptè ob copiam effluuij extenuatur, si & ipsi calido accedente anni tempore congeminata fuerit euacuatio. Accedit & tertia quædam alia vacuatio in calida regione, in strato calido decumbente homine: continget que tum euaporari, tum extenuari corpus, si tertiam sustinuerit euacuationem. Quòd si per necessitatem cum ea quæ ex natura est & anni tempore vacuatione quas effugere non licet, tertia ad contrarium acta fuerit, quæ non per halitum digerere, sed retinere effluuia possit, non ad summum vacuationis perueniet homo, sed magis impinguabitur quàm extenuabitur. Nempe cùm cubile frigidum significet, non solùm fulcra frigida, verùm & pallia quæ ex syndonibus densis, lacernis tritis, & vestimentis eiusmodi fiunt: alia quæpiam accedit quæ maxima sit emendatio immoderationis quæ ex anni tempore & naturali temperamento sit, quòd corpus per inspirationem quæ frigida sit, refrigeretur. Hoc itaque & iam anteà est à nobis dictum, sed nunc additur in strato vt corpus vndiquaque refrigeretur, transpirationísque immoderatio ad salubrem commoderationem reducatur. Priorem itaque orationis partem ita exposuisse maximè quis mihi videtur, quæ verò superest vbi inquit: In calido verò extenuat, manifesta erat si in calido aëre adscriptum fuisset, tota oratione verbis eiusmodi manifestè explanata: Præcalidæ naturæ in anni tempore calido,

cub

cubile adueniens in aëre frigido impinguat, in aëre verò calido si fiat, extenuat. in rectis itaque casibus ita maximè manifestè dictum sit vt dictum est. Nunc verò si & in dandi casu enarrare voluerimus, fiat talis dictio: Præcalidæ naturæ in anni tempore calido, & cubili in aëre frigido contingit impinguari, eidem verò in aëre calido attenuari continget.

Sanitatis meditatio, ciborũ insatietas, laborum impigritia.

Neque impleri ad satietatem vsque, neque segniter exerceri, summam salubris diætæ esse existimauit.

Leui ex vigiliis siti somnus remedio est, ei quæ ex somno est vigilia quibusdam.

Επιπόλαιον δίψαν*, id est leuem sitim, intelligere oportet valde paruam, quæ neque ab vniuerso corpore fiat, neque à magna partium ventris affectione: sed vt Erasistratus inquit, siccescentibus aut incalescentibus locis per quos humidum ex ore in ventrem defertur. Huius itaque sitis sanatio est somnus, humescente scilicet profundo, atq; sanguine in somnis tanquàm intrò vergente. Contrà his qui ex somno excitati sunt, cùm valde parua sitis fuerit, vigilantibus facilè placatur. Nempe sitis eiusmodi fit concalescentibus interdum partibus, quas Erasistratũ memorasse dixi: calefiunt siquidem cùm cibi in ventre coquuntur. Nempe cùm ipsa concoctio à nati-*

no fiat calore similiter illis quæ concoquuntur, quemadmodùm his sursum fertur vapor quidam calidus: ita contigit & interdum in ventre, & potissimùm his qui vinum merum biberint. Verùm si vigilantibus ipsis vacuatus venter non amplius vapores remittat, caliditásque in partibus calefactis euaporata fuerit, sitientes placantur. alij verò siticulosi ex somno fiunt, ob comestorum vel bibitorum caliditatem vētre calefacto, quæ sine externo remedio ad meliorem statum nō reducitur. Sic itaque plerique frigidam bibere consueti, pota interdum aqua iuuantur, priusquàm loti fuerint, ingesserintque alimentum. Ob id itaq; in secunda sitis differentia apposuit vocabulum, nonnullis: non enim omnibus, vt est demonstratū, qui ex somno sitiuerunt hæc fit adfectio. Hanc veteres interpretes scripturam norunt, atq; in exactis exemplaribus reperitur.

Quibus plurimus est calor, maximam hi habent vocem, nempe & aër frigidus multus: cùm autem magna duo existunt, magna quoque & soboles fit.

Prædixi nuper dictionis huius scripturam antiquam non ita, sed in quibus plurimum est calidum: sícq; interpretes illi legunt qui finē prioris orationis sustulerunt, scilicet, nonnullis. Sed iam de præsentis orationis veritate dicamus. Quibus siquidem plurimus est calor, in corde scilicet (nempe & hoc caloris natiui veluti focū esse

dem

demonstrauimus) necesse est & eum qui inspiratur aërem plurimum esse. Nam & in hoc libro de vsu respirationis est ostensum. Si autē in eiusmodi naturis multus est calor, multum inspiratur & contrà expiratur: ob id si vocem fieri magnam dicamus indistinctè pronuntiantes fallemur. Demonstratum siquidem est in commentarijs de voce, fieri non posse vt vox magna fiat, nisi aër multus celeriter expiretur. Fit autem hoc, cùm lata fuerint tum aspera arteria, tum guttur: quòd si & thorax totus magnus fuerit, homines non solùm vocis magnæ reddit, sed & qui validiùs inclamare poßint, præconum modo cùm πόδα, id est, pedem appellatum promulgant. Quoniam itaque cor in ea quæ fit in vteri afformatione, statim ab initio tum dilatatur, tum augetur, in quibus natiuus calor est plurimus, atque ad cordis proportionem thorax & maximus fiat, atque hinc de neceßitate consequatur pulmonis magnitudo, hàncque & tum asperæ arteriæ, tum gutturis magnitudo concomitetur, iure optimo præcalidos naturâ magna voce præditos esse magna ex parte contingit. Nam si prorsus iuxta proportionem magnitudinis cordis thorax augetur, modò non intercidat aliquando praua conformatio, non magna ex parte præcalidos naturâ dixerim magna voce esse præditos, sed perpetuò. Neque verò vt iuxta proportionem thoraci pulmonis magnitudo semper respondet: sic

& pulmonis magnitudini tria ipsius genera vasorum proportione augentur. Nempe & in dissectionibus animalium non exactè proportio seruari videtur, sed in his quidem partibus aliud modicè exuperans, aliud deficiens reperitur: effatu verò dignum in corde ad thoracem, idq; est quod maximè facit calidis æqualiter hominibus rarò insignes in vocis magnitudine differentias Hippocrates itaque ad solam aëris copiam vocis retulit magnitudinem. Est autem neque solum neq; primum axioma quodpiam vocem magnam parientium causarum: sed materia magnæ vocis in commentarijs de voce demonstrata est.

Ventre calidi frigidæ carnis & graciles, hi venis conspicuis & iracundiores existũt.

Quòd geminum in animalium corpore calorem nouerit Hippocrates, vnum quidem quem natiuum ipse appellat, & qui tum in sanguine, tum sanguineis visceribus essentiam habeat: alterum verò acrem, mordentem, atque igneum, quo in genere & febris est, in multis ipsius libris est demonstratum, scripsimúsque esse commentarium vnum integrum de eo quem inscripsimus: Quòd nihil erratum sit in eo aphorismo, cuius principium est: Qui crescunt plurimum habent calidi innati. defendo autem in ipso commentario Hippocratem Lyci controuersias contra aphorismum diluens, Lycúmque propter optimarum præceptionum ignorationem incusantem Hippocratem

tem ostendens. Imò quòd caliditatis huius differentiam neque Lycus nouit, neque alius quispiam vel Erasistratius, vel Erophilius, vel Empiricus, atque ob id multa quæ ab Hippocrate scripta sunt perperàm explanauerunt. Neq; verò Hippocraticos viros præcepta ipsius ita improbare decebat, vt explanationes molirentur, perinde atque vna esset in animantibus genere caliditas. At cùm intellexerint vel Hippocratem, vel alium quempiam θερμοκοιλίους, id est, ventre calidos quosdam appellantem, satiùs fuerit nomen contemplari quónam dicatur modo: an qui verbum dixerit vel scripserit, calidum innatum pronuntiauerit in ventre copiosum esse, vel alterum quod sæpiùs quidem ascititium, interdum & non naturale, interdum verò & præter naturam vocamus, quò calidiores contigit respirationem tum mordentem, tum calidam habere, atque ob id statim febrire, cùm videlicet adstricta fuerit cutis. Nempe qui calidum alterum vtpotè natiuum plurimum habent, prohibita transpiratione pleniores quidem fiunt, sed febre non corripiuntur, propter [caloris suauitatem immordacitatémque] atque etiam quòd calidum hoc in ventre abundans optimas faciat ciborum concoctiones, vt ipse in aphorismis ostendit, inquiens: Ventres hyeme & vere calidissimi naturâ, & somni longissimi: quare in his anni temporibus plura exhibenda alimenta: nempe calor natiuus

multus, & ideo copiosiore indigêt alimonia, indicio sunt ætates & athletæ. Vt itaq; ventris eiusmodi signum est alimenta citra culpam concoquere: sic alterius frigidos quidem cibos in aciditatem, calidiores verò in nidorosam qualitatem conuertere. Qui itaque cibos probè concoquunt, his sanguis bonus existit, mediocrísque consequitur incarnatio, vel & maior interdum quàm decet, vbi otiosiùs diætati vel loti fuerint, minor verò in corpulentiam pro corporis habitu procedit: cùm autem collecta multitudo anteuerterit, totum corpus in morbos compellit. His verò qui ob intemperiem ventris non concoquunt, corrumpúntque cibos in eam quæ tum nidorosa, tum fumosa sit qualitatem, prauus quidem aceruatur in venis sanguis, totiúsque corporis praua efficitur nutritio, de quibus præsentem sermonem te intelligere oportet. Nempe hepati quidem & cordi calor innatus principio inest multus: carnibus verò ex sanguine prorumpit, atque ob eam rem necesse est carnes ipsas in eiusmodi corporum naturis tales esse, quales & núnc scripsit Hippocrates, quibus scilicet non suppeditetur copiosus sanguis, sed tum paucus, tum prauus: vtrumque enim contingit ventre intemperatis secundum igneam caliditatem, subeunt enim cibi corrupti, atq; ob id pauca ex ipsis fruitur corpus alimonia. Est autem & ipsa hæc non bona, quòd probè cocta non sit. Fieri siquidem non potest vt

sanguis

ſanguis in hepate & venis commodus factus ſit, non coctis corruptiſque in ventre cibis. Si itaque paucus non tamen prauus eſſet in venis ſanguis, traherent ipſum carnes minùs quidem alentem, atque illas manientem, ita vt contraherentur, & ægrè apparerent. At quoniam non ſolùm paucus eſt, ſed & prauus, neque hunc trahent, tametſi indigeant, ſicuti neque nos ipſi nidoroſa aliiſque qualitatibus prauis prædita accipimus cibaria, quanquam vehementer admodùm cibum appetamus: nempe & appetentia ipſa ſatiatur guſtato eiuſmodi cibo. Hac itaque ratione carnes paucum ex venis ad nutritionem maximè neceſſarium trahunt, ita vt ex pauco longiore tempore colligatur in venis prauus ſanguis, atq; ob id in venarum ſectionibus eiuſmodi hominum nunquam rubrum ſanguinem fluere videbis, ſed alterius vt quiſpiam dixerit coloris eſſe reperietur, confeſtim quoque & graueolens: & ſi ex multo tempore nequaquam vacuatus homo fuerit, niger videtur ſanguis qui in venæ ſectione vacuatur, atq; alius aliam habens in craßitie & tenuitate ſubſtantiam. Interdum quidem ſeroſam & tenuiorem, interdum verò craßiorem, quẽadmodum & valde craſſus, nigérq; interdum videtur pici liquidæ non dißimilis. Hæc itaque omnia quæ nunc ſummatim dicta ſunt, in aliis quibuſdam commentariis, & potißimũ methodi medendi perfectè exculta ſunt:

nunc verò compendio dicta sunt, quæ ab interpretibus sunt prætermissa. Consueuerunt siquidem in vanis inutilibúsque copiosi esse, deficere verò in commodissimis. Ego itaque quoniam præsens sermo apprimè vtilis sit, rursus summatim referam coniuncta præsentis dictionis expositione. Θερμοκοιλίους quidem, id est, ventre calidos, vt ipse dicat est putandum, non quomodo pueros, athletásque naturalem calorem multum habere dixit, neque vt hyeme ventres naturali calido calidissimos esse, sed veluti mordens & prauum calidum non paucum in intemperato ventre habentes. Tales autem frigidæ carnis iure appellauit, qui vtilis copiosíque alimenti penuria non alantur, quod ex sanguine naturali habent in eucratis corporibus. Penuriam autem sanguinis sequitur frigiditas carnium, quæ acquisitam caliditatem ex sanguine habent, non propriam neque naturalem, vt hepar & cor. Graciles autem hi de necessitate fiũt ob indigentiam carnium, quarum imminutiones auctionésque corpus omne in gracilitatem vel corpulentiam deducunt. Ait autem eosdem ἐπιφλέβους esse, perinde atque dixerit conspicuas talibus venas, id est, ἐκκειμένας, id est, expositas atque extra prominentes, tanquam plenæ hæ sanguine existant, & nudæ propter defectum contingentium ipsas carnium. Prætereà & iracundiores ipsos esse ait, non simpliciter iracundos, vel per exuperantiam iracundissimos

ſimos, id quod paterentur ſi cordis calor multus eſſet. Ventris verò calor, affecto ſcilicet ipſius ore iracundiores facit: nempe & partem hanc animam ſimul ſecum afficere eſt demonſtratum, quæ ſcilicet ad tum intelligendum, tum efficiendum ſegniores reddat, vbi ſeipſa frigidior fuerit: promptiores verò & iracundos vbi magis calefacta fuerit non naturali quidem caliditate, ſed aſcititia & præter naturam, de qua ſermo hic omnis à nobis peractus eſt. Eos verò qui Hippocraticos quidem ſeſe appellauerunt, ſed qui maximè præcipua artis Hippocraticæ decreta, quibus fidem faciunt & quæ per experientiam apparent, incuſare eſt iuſtum. Neque enim vt nos diximus interpretationem fecerunt, ſed aliter: putant ſiquidem in ventribus calidioribus natiuum calorem in profundum inclinare, & partes relinquere externas, atque ob id frigidæ carnis homines reddere. Verùm tales inclinationes in anni temporibus, regionibúſque & vigilijs, & ſomnis fiunt, quemadmodùm & in animæ perturbationibus, mœſtitiíſque & timoribus, voluptatibus etiam corporeis, & gaudijs animæ. Neque enim naturalis corporis compages, neque ætas talem efficit caliditatis naturalis tranſmutationem. At ſunt vt in ſalubribus oſtenſum eſt, prauæ corporis conſtitutiones, aliæ quidem in toto animali intemperiem habentes, aliæ verò in partium ſtructura inæquali, quemadmodum & ea quæ in præſenti

oratione de his dicta est, qui ventrem praue constitutum habent, non optimè, veluti constitutiones quæ naturalem calorem habent multum. atque ob id bonam corpulentiam maximè conferunt, impinguántque habitum, non imminuunt neque extenuant quomodo intemperatæ.

In terræ squaloribus auium genus abundat.

Aues siquidem quæ temperamento nobis sicciores sunt, in squaloribus melius habent: neque nos latet siccioribus ipsas vti alimentis exiguóq; potu, non vt sues quæ assiduè tum in aqua lauari, tum multo impleri potu desiderant.

Cùm vocem asperiorem cœperit quis reddere: quod caprire dicunt, vter testis extrà prominuerit, inspiciendum. Nempe dexter marem, sinister fœminã procreabit.

In transmutatione puerilis ætatis ad adolescentulorum ætatem, vt ipsis tum seminis, tum pilorum in pudendis generatio incipit, sic & repentinum testium augmentum, veluti & virginibus mammarum cum muliebrium delatione. Eo itaque tempore & vocis fit transmutatio, & præcipuè maribus: nempe cùm priùs acutam redderent vocem, ad pubertatem perfectè ducti grauiorem reddunt. Medio verò tempore fermè rauca ipsis vox efficitur. Cùm itaque appareant in dicta ætate hæc omnia, præsens sermo non opus habet inuestigatione: quòd & hæc omnia appareant

reant

reant declarat experientia, veluti & quòd ex testibus si dexter quidem priùs intumescat, tales adolescentuli vbi absoluti & viri effecti fuerint, mares potiùs quàm fœminas generare possunt. Si verò sinister, contrà: sic autem & de vtero sentit. Nempe in aphorismis scripsit: Fœtus mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis. Quæ itaq; de ea re in aphorismorum explicatione dicta sunt à me, in præsentem transferes sermonem, cùm vna causa tum in maribus, tum in fœminis communis sit, ob quam partes sinistræ fœminarum sunt generatrices, marium verò dextræ. de qua re & in libris de vsu partium est dictum.

Oculi vt valuerint, ita & corpus totum.

Clarum est subaudiendum esse, vt validè habuerint: quod etiam quidam adscripserunt. Dictionis itaq; sensus, vt optimè exposuisse quis mihi videtur, his quæ perperàm à plurimis dicta sunt prætermissis, hic potissimùm sit: Puto Hippocratem docere quónam quis pacto ex oculis ipsis totius corporis dispositionem dignoscat, quòd maximè hi certissimam ostendunt dignotionem. Nempe in his qui animi deliquio fatigati sunt, vel virtutem aliter exolutam habent, nemo manum vel crus, vel aliam faciei partem absq; oculis contemplatus de virtutis robore,

vel

vel debilitate quippiam inuenire poterit, quomodo faciet si oculos conspexerit. Nempe in ipsis apparent manifestè tum robur, tum debilitas, nonnullis quidē apertis palpebris clarè vidētibus, alijs verò aperire ipsas nequeuntibus. Color autem ipsorum & tumor nonnihil de virtute ostendunt. Nempe cùm imbecilla fuerit, caui oculi, squalidíque & praui coloris videntur. Si verò robusta, colorantur, tumescunt, & splendidam habent humiditatē. Hæc itaque conspicuè fieri videntur, atq; haud scita causa ob quam fiant. Sed & conspicua etiam est causa his qui oculorum nouerunt naturam. Demonstrauimus autem tum in alijs, tum in his qui de re visoria agunt commentarijs, splendidum spiritum animalem ex cerebro plurimū ad oculos promanare. Is itaq; cùm imbecillus vel paucus in oculis fuerit, dicta nuper symptomata & χροιὴ, vt inquit, id est, χρῶμα quod color est, ad melius vel deterius transit. Hoc autem est manifestum, siue de oculis sermonem adhuc faciat, siue de vniuersi corporis colore: vtrunq; enim horum est verum: oculis quidem vt robur & debilitatem, ita & tum bonum, tum malum colorem mutantibus, atq; hæc consequente totius corporis dispositione. Nam si boni coloris fuerint oculi, τὸ γυῖον, id est, corpus totum salubriter habere ostendunt. Si verò malum quendam colorem habuerint, confestim & corpus totum læsum esse indicant. Celeriùs verò in oculis

lis quàm alijs partibus colorum videtur transmutatio, quòd pars hæc tum pura, tum lucida, existat, neque hoc solùm indicare potest oratio, verùm quoq; coloris toto in corpore mutationem, signa sequi oculorum. Ab oculis itaque in totum corpus deduci ita dignotio potest. Iuxta eandem dictionem fieri potest absque oculis explanatio, si quis eam quæ deinceps infertur cõiunxerit: quam principio alio exponam.

Et color in deterius vel melius mutatur. Iustum autem vt quomodo alimentum habuerit, ita & quod extrà est consequatur.

Colorem proportione nutrimenti, id est, sanguinis ad deterius vel melius mutari ait: sanguinem autem nunc dicit totum humorem qui in vasis continetur, in quo tum pituita, tum bilis, tum serum continentur. Hoc siquidem tum melius, tum deterius fit, quod verò in ipso continetur quod propriè sanguis dicitur, & secundùm potentiam totum appellatur, prauum dicere est impossibile, sicuti & alium non habere colorem præterquam rubrum.

Signa mortifera per cutem vapor calidus, si naris frigidum spiritum priùs reddiderit.

Siue in accusandi casu vaporem calidum scriptum sit, siue in casu nominandi vapor calidus, vtroque modo aliquid subintelligitur. Nempe

oratio

oratio ſenſum eiuſmodi deſiderat: Ex ſignis mortiferis eſt vaporem calidum per cutem euacuari, ex prægreſſo per expirationem frigido ſpiritu. Si verò & in nominandi caſu ſenſum eundem explanare volueris, ita dixeris: Maximè inter mortifera ſigna eſt, ſi per cutem vapor calidus euacuetur ex antegreſſo per expirationem frigido ſpiritu. Quòd verò frigida expiratio ſigna inter pernitioſiſſima ſit, & in prognoſtico dictum eſt in ea oratione: Frigida è naribus & ore expiratio pernitioſa admodùm iam eſt. Nunc autem ſymptoma aliquod quod non ſemper ita habentibus accidit, addit. Effluit ſiquidem vapor calidus cõfertim ex cute, ſed neque omnibus, vt dixi, neque omni tempore: quæ ſanè docere debuerunt interpretes quæ non oportet nugantes. Nempe in illis ſolis tale fieri reperies, in quibus mortificationem caloris febris præceßit, quæ cordis corpus torrefecit, & ob id tandem ipſum refrigerauit. Soluto itaque vitali ob extinctionem cordis robore, in alijs quidem ſudores cum ſyncope promanant ob redundantes in corpore humores. In his verò qui ab vrente febre èxiccati ſunt, pro ſudoribus vapor calidus ſi tetigeris perſpirare tibi videtur, neque tamen in omni morbi tempore, ſed cum proceſſu temporis cutis refrigeratur, vacuata vaporoſa ſubſtantia quæ ob vrentem febrem cùm tenuarentur humores, in ægrotationis tempore collecta fuit. Non enim eo

in

in tempore quo extingui cor contingit, fieri potuit non solùm calidus vapor, sed neque frigidus, neque tepidus. Omne enim cor prope mortem frigidam habet intemperiem: neque tamen cùm in morbo lethifero huiusmodi perpetuò est, sed vt dictum est, calidißimo sæpiùs in vrentißimis febribus. Cùm itaque cor frigida laborauerit intemperie, calidum vaporem vacuari non comperies, vbi prope mortem æger frigidum expirare cœperit: neque ita habentibus attenuati sunt humores, neque febre perurente febrientibus, neque humores habent biliosos, calidos quidem temperamento, & tenues substantia. Nempe in frigidis intemperaturis pituitosi crudi crassique, & prorsus frigidi redundant humores, non biliosi, calidi & tenues.

Vitalia autem contraria.

Pugnat hoc manifestè cum his qui lethale signum dici existimant per nares calidißimam febrem. Nempe orationi dictæ, signa mortifera tanquam ex opposito respondens, nunc scripsit, vitalia autem contraria: quanquam iuxta illorum expositionem non coniunctum sit orationi, signa mortifera, quod deinde scriptum est, per nares calidißimum. Proinde quod dicitur per nares calidißimum sibi adiunctum non habet, si lethale sit necne. Non est enim lethale nisi præcesserit quod ab Hippocrate dictum est, si naris frigidum

priùs

prius reddiderit spiritum. Si enim citra hoc calidissimus per cutem vapor fiat, potest tenuium partium in calida febre symptoma esse, quod nullo pacto mortis signum sit: atque interdum extenuatorum ob bonam causam transpirantium humorum, quos cùm crassiorum partium fuerint, natura per sensibiles corporis euacuationes excernit, per sudores, vrinarum copiam, vel deiectionum, vel per vomitum. Erunt itaque mortiferis dictis signis vitalia contraria, neque frigidum expirare, neque per cutem calidum vacuari vaporem. Iure autem & qui Zeuxim sunt sequuti seorsum mortifera signa priùs interpretati, totam hanc orationem vbi inquit: vitalia autem contraria circunciderunt.

*

COMMENTARII QVARTI FINIS.

*

GAL

GALENI IN

SEXTVM EPIDE-

MIORVM HIPPOCRATIS LIBRVM COMMEN-TARIVS QVIN-TVS,

*

Ioanne Vassæo Melden-si interprete.

***

MORBORVM naturæ medicæ.

Quòd de scripturis his in quibus quod dicitur quidem euariat, manet verò sensus omnino idem, sententiam ferre non preposuerim, dixi quidem sæpiùs, qui scilicet commentariorum prolixitatem effugiam: sed & nunc memoriæ gratiâ hoc ipsum dixi, quoniam & in his quæ narrabuntur dictionibus, nihil de scripturis eiusmodi sum dicturus. Sensus itaque dictionis, si quis simpliciter quod dicitur intellexerit, est manifestus. Suã etenim aperit mentem Hippocrates, quòd scilicet ex cœtu eorum non sit qui naturam artificio carere existimant, sed eorum qui tum artificiosam, tum animalis prospectricem esse putant. Nomine

& pulmonis magnitudini tria ipsius genera vasorum proportione augentur. Nempe & in dissectionibus animalium non exactè proportio seruari videtur, sed in his quidem partibus aliud modicè exuperans, aliud deficiens reperitur: effatu verò dignum in corde ad thoracem, idq; est quod maximè facit calidis æqualiter hominibus rarò insignes in vocis magnitudine differentias Hippocrates itaque ad solam aëris copiam vocis retulit magnitudinem. Est autem neque solum neq; primum axioma quodpiam vocem magnam parientium causarum: sed materia magnæ vocis in commentariјs de voce demonstrata est.

Ventre calidi frigidæ carnis & graciles, hi venis conspicuis & iracundiores existũt.

Quòd geminum in animalium corpore calorem nouerit Hippocrates, vnum quidem quem natiuum ipse appellat, & qui tum in sanguine, tum sanguineis visceribus essentiam habeat: alterum verò acrem, mordentem, atque igneum, quo in genere & febris est, in multis ipsius libris est demonstratum, scripsimúsque esse commentarium vnum integrum de eo quem inscripsimus: Quòd nihil erratum sit in eo aphorismo, cuius principium est: Qui crescunt plurimum habent calidi innati. defendo autem in ipso commentario Hippocratem Lyci controuersias contra aphorismum diluens, Lycúmque propter optimarum præceptionum ignorationem incusantem Hippocratem

tem ostendens. Imò quòd caliditatis huius differentiam neque Lycus nouit, neque alius quispiam vel Erasistratius, vel Erophilius, vel Empiricus, atque ob id multa quæ ab Hippocrate scripta sunt perperàm explanauerunt. Neq; verò Hippocraticos viros præcepta ipsius ita improbare decebat, vt explanationes molirentur, perinde atque vna esset in animantibus genere caliditas. At cùm intellexerint vel Hippocratem, vel alium quempiam θερμοκοιλίους, id est, ventre calidos quosdam appellantem, satiùs fuerit nomen contemplari quónam dicatur modo: an qui verbum dixerit vel scripserit, calidum innatum pronuntiauerit in ventre copiosum esse, vel alterum quod sæpiùs quidem ascititium, interdum & non naturale, interdum verò & præter naturam vocamus, quò calidiores contigit respirationem tum mordentem, tum calidam habere, atque ob id statim febrire, cùm videlicet adstricta fuerit cutis. Nempe qui calidum alterum vtpotè natiuum plurimum habent, prohibita transpiratione pleniores quidem fiunt, sed febre non corripiuntur, propter [caloris suauitatem immordacitatémque] atque etiam quòd calidum hoc in ventre abundans optimas faciat ciborum concoctiones, vt ipse in aphorismis ostendit, inquiens: Ventres hyeme & vere calidissimi naturâ, & somni longissimi: quare in his anni temporibus plura exhibenda alimenta: nempe calor natiuus

multus, & ideo copiosiore indiget alimonia, indicio sunt ætates & athletæ. Vt itaq; ventris eiusmodi signum est alimenta citra culpam concoquere: sic alterius frigidos quidem cibos in aciditatem, calidiores verò in nidorosam qualitatem convertere. Qui itaque cibos probè concoquunt, his sanguis bonus existit, mediocrísque consequitur incarnatio, vel & maior interdum quam decet, vbi otiosius diætati vel loti fuerint, minor verò in corpulentiam pro corporis habitu procedit: cùm autem collecta multitudo anteuerterit, totum corpus in morbos compellit. His verò qui ob intemperiem ventris non concoquunt, corrumpúntque cibos in eam quæ tum nidorosa, tum fumosa sit qualitatem, prauus quidem aceruatur in venis sanguis, totiúsque corporis praua efficitur nutritio, de quibus præsentem sermonem te intelligere oportet. Nempe hepati quidem & cordi calor innatus principio inest multus: carnibus verò ex sanguine prorumpit, atque ob eam rem necesse est carnes ipsas in eiusmodi corporum naturis tales esse, quales & nunc scripsit Hippocrates, quibus scilicet non suppeditetur copiosus sanguis, sed tum paucus, tum prauus: vtrumque enim contingit ventre intemperatis secundum igneam caliditatem, subeunt enim cibi corrupti, atq; ob id pauca ex ipsis fruitur corpus alimonia. Est autem & ipsa hæc non bona, quòd probè cocta non sit. Fieri siquidem non potest vt

sanguis

sanguis in hepate & venis commodus factus sit, non coctis corruptisque in ventre cibis. Si itaque paucus non tamen prauus esset in venis sanguis, traherent ipsum carnes minùs quidem alentem, atque illas inanientem, ita vt contraherentur, & ægrè apparerent. At quoniam non solùm paucus est, sed & prauus, neque hunc trahent, tametsi indigeant, sicuti neque nos ipsi nidorosa aliisque qualitatibus prauis prædita accipimus cibaria, quanquam vehementer admodùm cibum appetamus: nempe & appetentia ipsa satiatur gustato eiusmodi cibo. Hac itaque ratione carnes paucum ex venis ad nutritionem maximè necessarium trahunt, ita vt ex pauco longiore tempore colligatur in venis prauus sanguis, atq; ob id in venarum sectionibus eiusmodi hominum nunquam rubrum sanguinem fluere videbis, sed alterius vt quispiam dixerit coloris esse reperietur, confestim quoque & graueolens: & si ex multo tempore nequaquam vacuatus homo fuerit, niger videtur sanguis qui in venæ sectione vacuatur, atq; alius aliam habens in crassitie & tenuitate substantiam. Interdum quidem serosam & tenuiorem, interdum verò crassiorem, quēadmodum & valde crassus, nigérq; interdum videtur pici liquidæ non dissimilis. Hæc itaque omnia quæ nunc summatim dicta sunt, in aliis quibusdam commentariis, & potissimū methodi medendi perfectè exculta sunt:

nunc verò compendio dicta sunt, quæ ab interpretibus sunt prætermissa. Consueuerunt siquidem in vanis inutilibúsque copiosi esse, deficere verò in commodißimis. Ego itaque quoniam præsens sermo apprimè vtilis sit, rursus summatim referam, coniuncta præsentis dictionis expositione. θερμοκοιλίους *quidem, id est, ventre calidos, vt ipse dicat est putandum, non quomodo pueros, athletásque naturalem calorem multum habere dixit, neque vt hyeme ventres naturali calido calidißimos esse, sed veluti mordens & prauum calidum non paucum in intemperato ventre habentes. Tales autem frigidæ carnis iure appellauit, qui vtilis copiosíque alimenti penuria non alantur, quod ex sanguine naturali habent in eucratis corporibus. Penuriam autem sanguinis sequitur frigiditas carnium, quæ acquisitam caliditatem ex sanguine habent, non propriam neque naturalem, vt hepar & cor. Graciles autem hi de neceßitate fiũt ob indigentiam carnium, quarum imminutiones auctionésque corpus omne in gracilitatem vel corpulentiam deducunt. Ait autem eosdem* ἐπιφλέβους *esse, perinde atque dixerit conspicuas talibus venus, id est,* ἐκκειμένας, *id est, expositas atque extra prominentes, tanquam plenæ hæ sanguine existant, & nudæ propter defectum contingentium ipsas carnium. Prætereà & iracundiores ipsos esse ait, non simpliciter iracundos, vel per exuperantiam iracundissimos*

ſimos, id quod paterentur ſi cordis calor multus eſſet. Ventris verò calor, affecto ſcilicet ipſius ore iracundiores facit: nempe & partem hanc animam ſimul ſecum afficere eſt demonſtratum, quæ ſcilicet ad tum intelligendum, tum efficiendum ſegniores reddat, vbi ſeipſa frigidior fuerit: promptiores verò & iracundos vbi magis calefacta fuerit non naturali quidem caliditate, ſed aſcititia & præter naturam, de qua ſermo hic omnis à nobis peractus eſt. Eos verò qui Hippocraticos quidem ſeſe appellauerunt, ſed qui maximè præcipua artis Hippocraticæ decreta, quibus fidem faciunt & quæ per experientiam apparent, incuſare eſt iuſtum. Neque enim vt nos diximus interpretationem fecerunt, ſed aliter: putant ſiquidem in ventribus calidioribus natiuum calorem in profundum inclinare, & partes relinquere externas, atque ob id frigidæ carnis homines reddere. Verùm tales inclinationes in anni temporibus, regionibúſque & vigilijs, & ſomnis fiunt, quemadmodùm & in animæ perturbationibus, mœſtitiíſque & timoribus, voluptatibus etiam corporeis, & gaudijs animæ. Neque enim naturalis corporis compages, neque ætas talem efficit caliditatis naturalis tranſmutationem. At ſunt vt in ſalubribus oſtenſum eſt, prauæ corporis conſtitutiones, aliæ quidem in toto animali intemperiem habentes, aliæ verò in partium ſtructura inæquali, quemadmodum & ea quæ in præſenti

oratione de his dicta est, qui ventrem prauè constitutum habent, non optimè, veluti constitutiones quæ naturalem calorem habent multum. atque ob id bonam corpulentiam maximè conferunt, impinguántque habitum, non imminuunt neque extenuant quemodo intemperatæ.

In terræ squaloribus auium genus abundat.

Aues siquidem quæ temperamento nobis sicciores sunt, in squaloribus melius habent: neque nos latet siccioribus ipsas vti alimentis exiguóq; potu, non vt sues quæ aßiduè tum in aqua lauari, tum multo impleri potu desiderant.

Cùm vocem asperiorem cœperit quis reddere: quod capiire dicunt, vter testis extrà prominuerit, inspiciendum. Nempe dexter marem, sinister fœminã procreabit.

In transmutatione puerilis ætatis ad adolescentulorum ætatem, vt ipsis tum seminis, tum pilorum in pudendis generatio incipit. sic & repentinum testium augmentum, veluti & virginibus mammarum cum muliebrium delatione. Eo itaque tempore & vocis fit transmutatio, & præcipuè maribus: nempe cùm priùs acutam redderent vocem, ad pubertatem perfectè ducti grauiorem reddunt. Medio verò tempore fermè rauca ipsis vox efficitur. Cùm itaque appareant in dicta ætate hæc omnia, præsens sermo non opus habet inuestigatione: quòd & hæc omnia appareant

reant

ueant declarat experientia, veluti & quòd ex testibus si dexter quidem priùs intumescat, tales adolescentuli vbi absoluti & viri effecti fuerint, mares potiùs quàm fœminas generare possunt. Si verò sinister, contrà: sic autem & de vtero sentit. Nempe in aphorismis scripsit: Fœtus mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis. Quæ itaq; de ea re in aphorismorum explicatione dicta sunt à me, in præsentem transferes sermonem, cùm vna causa tum in maribus, tum in fœminis communis sit, ob quam partes sinistræ fœminarum sunt generatrices, marium verò dextræ. de qua re & in libris de vsu partium est dictum.

Oculi vt valuerint, ita & corpus totum.

Clarum est subaudiendum esse, vt validè habuerint: quod etiam quidam adscripserunt. Dictionis itaq; sensus, vt optimè exposuisse quis mihi videtur, his quæ perperàm à plurimis dicta sunt prætermissis, hic potissimùm sit: Puto Hippocratem docere quónam quis pacto ex oculis ipsis totius corporis dispositionem dignoscat, quòd maximè hi certissimam ostendunt dignotionem. Nempe in his qui animi deliquio fatigati sunt, vel virtutem aliter exolutam habent, nemo manum vel crus, vel aliam faciei partem absq; oculis contemplatus de virtutis robore,

vel debilitate quippiam inuenire poterit, quomodo faciet si oculos conspexerit. Nempe in ipsis apparent manifestè tum robur, tum debilitas, nonnullis quidē apertis palpebris clarè vidētibus, alijs verò aperire ipsas nequeuntibus. Color autem ipsorum & tumor nonnihil de virtute ostendunt. Nempe cùm imbecilla fuerit, caui oculi, squalidíque & praui coloris videntur. Si verò robusta, colorantur, tumescunt, & splendidam habent humiditatē. Hæc itaque conspicuè fieri videntur, atq; haud scita causa ob quam fiant. Sed & conspicua etiam est causa his qui oculorum nouerunt naturam. Demonstrauimus autem tum in alijs, tum in his qui de re visoria agunt commentarijs, splendidum spiritum animalem ex cerebro plurimū ad oculos promanare. Is itaq; cùm imbecillus vel paucus in oculis fuerit, dicta nuper symptomata & χροιὴ, vt inquit, id est, χρῶμα quod color est, ad melius vel deterius transit. Hoc autem est manifestum, siue de oculis sermonem adhuc faciat, siue de vniuersi corporis colore: vtrunq; enim horum est verum: oculis quidem vt robur & debilitatem, ita & tum bonum, tum malum colorem mutantibus, atq; hæc consequente totius corporis dispositione. Nam si boni coloris fuerint oculi, τὸ γυῖον, id est, corpus totum salubriter habere ostendunt. Si verò malum quendam colorem habuerint, confestim & corpus totum læsum esse indicant. Celeriùs verò in ocu-

lis quàm aliis partibus colorum videtur transmutatio, quòd pars hæc tum pura, tum lucida, existat, neque hoc solùm indicare potest oratio, verùm quoq; coloris toto in corpore mutationem, signa sequi oculorum. Ab oculis itaque in totum corpus deduci ita dignotio potest. Iuxta eandem dictionem fieri potest absque oculis explanatio, si quis eam quæ deinceps infertur cōiunxerit: quam principio alio exponam.

Et color in deterius vel melius mutatur. Iustum autem vt quomodo alimentum habuerit, ita & quod extrà est consequatur.

Colorem proportione nutrimenti, id est, sanguinis ad deterius vel melius mutari ait: sanguinem autem nunc dicit totum humorem qui in vasis continetur, in quo tum pituita, tum bilis, tum serum continentur. Hoc siquidem tum melius, tum deterius fit, quod verò in ipso continetur quod propriè sanguis dicitur, & secundùm potentiam totum appellatur, prauum dicere est impossibile, sicuti & alium non habere colorem præterquam rubrum.

Signa mortifera per cutem vapor calidus, si naris frigidum spiritum priùs reddiderit.

Siue in accusandi casu vaporem calidum scriptum sit, siue in casu nominandi vapor calidus, vtroque modo aliquid subintelligitur. Nempe

oratio ſenſum eiuſmodi deſiderat: Ex ſignis mortiferis eſt vaporem calidum per cutem euacuari, ex prægreſſo per expirationem frigido ſpiritu. Si verò & in nominandi caſu ſenſum eundem explanare volueris, ita dixeris: Maximè inter mortifera ſigna eſt, ſi per cutem vapor calidus euacuetur ex antegreſſo per expirationem frigido ſpiritu. Quòd verò frigida expiratio ſigna inter pernitioſiſsima ſit, & in prognoſtico dictum eſt in ea oratione: Frigida è naribus & ore expiratio pernitioſa admodùm iam eſt. Nunc autem ſymptoma aliquod quod non ſemper ita habentibus accidit, addit. Effluit ſiquidem vapor calidus cõfertim ex cute, ſed neque omnibus, vt dixi, neque omni tempore: quæ ſanè docere debuerunt interpretes quæ non oportet nugantes. Nempe in illis ſolis tale fieri reperies, in quibus mortificationem caloris febris præceſsit, quæ cordis corpus torrefecit, & ob id tandem ipſum refrigerauit. Soluto itaque vitali ob extinctionem cordis robore, in alijs quidem ſudores cum ſyncope promanant ob redundantes in corpore humores. In his verò qui ab vrente febre exiccati ſunt, pro ſudoribus vapor calidus ſi tetigeris perſpirare tibi videtur, neque tamen in omni morbi tempore, ſed cum proceſſu temporis cutis refrigeratur, vacuata vaporoſa ſubſtantia quæ ob vrentem febrem cùm tenuarentur humores, in ægrotationis tempore collecta fuit. Non enim eo

in

in tempore quo extingui cor contingit, fieri potuit non solùm calidus vapor, sed neque frigidus, neque tepidus. Omne enim cor prope mortem frigidam habet intemperiem: neque tamen cùm in morbo lethifero huiusmodi perpetuò est, sed vt dictum est, calidißimo sæpiùs in vrentißimis febribus. Cùm itaque cor frigida laborauerit intemperie, calidum vaporem vacuari non comperies, vbi prope mortem æger frigidum expirare cœperit: neque ita habentibus attenuati sunt humores, neque febre perurente febrientibus, neque humores habent biliosos, calidos quidem temperamento, & tenues substantia. Nempe in frigidis intemperaturis pituitosi crudi crassique, & prorsus frigidi redundant humores, non biliosi, calidi & tenues.

Vitalia autem contraria.

Pugnat hoc manifestè cum his qui lethale signum dici existimant per nares calidißimam febrem. Nempe orationi dictæ, signa mortifera tanquam ex opposito respondens, nunc scripsit, vitalia autem contraria: quanquam iuxta illorum expositionem non coniunctum sit orationi, signa mortifera, quod deinde scriptum est, per nares calidißimum. Proinde quod dicitur per nares calidißimum sibi adiunctum non habet, si lethale sit nécne. Non est enim lethale nisi præcesserit quod ab Hippocrate dictum est, si naris frigidum

priús

prius reddiderit ſpiritum. Si enim citra hoc calidiſsimus per cutem vapor fiat, poteſt tenuium partium in calida febre ſymptoma eſſe, quod nullo pacto mortis ſignum ſit: atque interdum extenuatorum ob bonam cauſam tranſpirantium humorum, quos cùm craſsiorum partium fuerint, natura per ſenſibiles corporis euacuationes excernit, per ſudores, vrinarum copiam, vel deiectionum, vel per vomitum. Erunt itaque mortiferis dictis ſignis vitalia contraria, neque frigidum expirare, neque per cutem calidum vacuari vaporem. Iure autem & qui Zeuxim ſunt ſequuti ſeorſum mortifera ſigna priùs interpretati, totam hanc orationem vbi inquit: vitalia autem contraria circunciderunt.

*

COMMENTARII QVARTI FINIS.

*

GAL

GALENI IN *SEXTVM EPIDE-* MIORVM HIPPOCRATIS LIBRVM COMMEN- TARIVS QVIN- TVS,

*

Ioanne Vassæo Melden- si interprete.

* * *

MORBORVM naturæ medicæ.

Quòd de scripturis his in quibus quod dicitur quidem euariat, manet verò sensus omnino idem, sententiam ferre non proposuerim, dixi quidem sæpiùs, qui scilicet commentariorum prolixitatem effugiam: sed & nunc memoriæ gratiâ hoc ipsum dixi, quoniam & in his quæ narrabuntur dictionibus, nihil de scripturis eiusmodi sum dicturus. Sensus itaque dictionis, si quis simpliciter quod dicitur intellexerit, est manifestus. Suã etenim aperit mentem Hippocrates, quòd scilicet ex cœtu eorum non sit qui naturam artificio carere existimant, sed eorum qui tum artificiosam, tum animalis prospectricem esse putant. Nomine

autem naturæ facultas nunc intelligenda quæ corporibus inest nostris, atque ea gubernat. De cuius substantia quænam sit, perquirere non est nunc necesse, sicuti neque animæ nostræ, neque mentis ipsius. Nullo siquidem horum præsens sermo opus habet, sed solùm quòd Hippocrates rectè existimauerit naturam morborum medicam esse. Nam fortasse quis medicinalem artem hoc adimi sermone existimabit, quare non est simpliciter intelligendum, naturam morborum medicam esse: nam profundior in hoc continetur oratione intellectus, qui exactiorem expostulet conspicuitatem, quam non antè alibi feci. Cæteros autem qui voluntatem meam norunt, & in quorũ gratiam ad libri huius expositionem perueni, admonebo & nunc me vbi decreta singula demonstratione indigentia semel alibi integrè percurrero, in nullo alio libro scripturum: qui scilicet prolixitatem fieri intelligam vbi quis de ipsis eadem dicat, quomodo ex recentioribus Medicis quidam fecerunt, qui non bis solùm aut ter, sed & quater & ampliùs de eisdem eadem in multis, tum commentarijs, tum libris scripserunt. Ego autem vbi semel quippiam demonstraui, reliquo vtor in cæteris libris summam tantùm ad memoriam reuocans, vt in hoc libro ostendi. Et nunc itaque semel de natura faciam sermonem, quòd item vbi ipsam ait morborum medicam esse, nullo tolli pacto medicinalem artem per

hoc

hoc decretum contingat. Tu autem qui in his versaris commentarijs, animum ad me conuerte qui sermonem exordior. Qui morbos alimento tempestiuè exhibito, tum quali, tum quanto, fomentísq; humidis & cataplasmatis & clysteribus & venæ incisione, & cæteris huiusmodi sanari ait, non fallitur, sicuti neque is qui morbos curari à Medicis asserit, neque qui medicinalem artem ægrorum curatricem pronuntiat. Quemadmodùm autem qui hæc dicit, non vt mendax est conuictus, sic neque qui naturam in animalis salute omnia facere existimat. Hinc fit (sequitur enim) vt & illa morbos prima curet, & maximè cùm euidenter hominem sanauerit sudores effundens multos, aut molestos per vrinas, vel ventrē, vel vomitum euacuans humores. Quódnam itaque horum omnium quæ sanitatem facere diximus, primum dignitate existat, vel secundum, vel tertium, vt consideretur est consentaneum: & potissimùm quòd alia quædam accedant per quæ morbi curantur, quorum omnium ordinem iuxta dignitatem cognosci satiùs est. Videtur siquidem meliùs quidem dici & naturam morbos sanare, rectè autem & medicinam & Medicum, verè quoque & ipsius ministrum, & venæ sectionem, & per eam factum sanguinis fluorem. Sed forsan quis volet & coquū cōferre aliquid textorémq; & domus constructorem, fabrúmque ærarium, & quosdam alios artifices quorum opificijs

vtimur ad eorum ministrationem quæ hominibus ad sanitatem adparantur. Verùm ex talibus quædam remediorum materiæ non remedia existunt, alia verò opem ferentibus instrumenta idonea. Auxilia autem fiunt per eos conuenienti tempore, & vt oportet ipsis vtuntur. Nempe cùm vinum ipsis exhibitum iuuerit, exhibitio ipsius auxilium est: si verò intempestiuè exhibitum fuerit, deliriũ vel phrenitim parit, fitq; morbosa causa non salubris, neq; auxilium. Quis igitur causa est generationis auxilij? qui scilicet tempus reperit: sed quémnam hunc vocant Greci? sanè & quòd ἰατρὸν, id est, medicum vocent, liquidò constat omnibus. Quo fit vt Medicus vino ad sanitatem, tum naturalem, tum eam quæ acquiritur principalior existat. Valentibus siquidem auxilio est vinum, si tempore & modo bibatur: sanat item & morbos si vt oportet ingestum sit. Medicus verò non quòd animal sit, vel pedibus constans, vel bipes, vel rationalis, vel ciuilis, tempus modúmq; vniuscuiusque materiæ nouit: sed quòd artem didicit, tum salubrium, tum morbosorum cognitricem. Nam si per illa cognosceret, homines omnes eandem scientiam obtinerent: quo fit vt Medicorum ars per quam fiunt Medici, dignitate Medicis superior sit. Nempe huius virtute vsi morbos sanamus. Sed quam habent rationem, tum materia, tum instrumenta ad medicũ artémq; ipsius, hanc rursum habent, tum Medicus,

dicus, tum ipsius ars ad eius qui curatur naturã. Illa siquidem defecta omnia in animalium corporibus resarcit, nutrítque cùm nutritione egent, & sanguinem quo ieiunas alit partes præparat, atque ad sanguinis generationem quod in ventre coquitur conficit alimentum. Quòd si consumpta esculenta neque cocta probè sint, neque distributa, neque in sanguinem versa, neque nutriendorum virtutem planè inuenerint, corporis nostri alimenta fuisse non dicuntur. Nempe quemadmodùm ad nutriendas alimenti indigas partes maximè præcipua inter causas sit ea quæ partes nutrit virtus, ita & quæ in ventre est ad ciborum concoctionem, & quæ in hepate & venis est ad concocti sanguificationem. Neq; verò hic est necesse vt singularia naturæ opera omnia percurram. Nempe *ad memoriam reuocare duntaxat satis est, quòd vniuersales ipsius virtutes in commentarijs de facultatibus naturalibus demonstratæ sint, quibus omnia in animali perficit, quatuor videlicet existentes: prima quidem familiarium attractrix, secunda eorundem alteratrix & concoctrix, tertia propriorum retentrix, & quarta alienorum excretrix, talibus itaque facultatibus non sanum modò seruat animal, verùm quoque & morbo adfectum sanat: atque his patet quantum effectrices sanitatis causas natura ipsa dignitate antecellat. Cætera siquidem omnia peculiarem ipsi materiam adparant, quemadmo-*

dùm in externis aliam alij artem subseruire cernimus. Nempe textori radios, textoria instrumenta, pectinésq; faber lignarius adparat: fabro lignario ligna, qui materias incîdit: huic securim bipennémq; faber ferrarius: fabro ferrario præparat qui metalla fodit. Et sanè rara est inuentu ars factiua quæ nulla alia indigeat: nempe vel instrumenta, vel materiam ad id quod fit idoneã adparant. In hunc itaque modum & idoneas materias Medico adparant multæ artes, quomodo rursum Medicus naturæ cum ministris quibusdam. Nempe vt architectus ad murarios, fabros lignarios, aliósque artifices quos inter primus existit, habet, ita Medicus ad ministros. Sunt autem rhizotomi, id est, radicum sectores, vnguentarij, coqui, cataplasmatum admotores, qui superfundunt, clysterum exhibitores, scarificatores, venarum sectores, & qui cucurbitulas applicare solent: quod si & nos ipsi, tum discimus, tum facimus, simile quippiam molimur remigandi perito gubernatori, eíque qui ad veli summum ascendere potest, cognoscítque & quæcunq; ad nautas pertinent opera facit. Nempe & Imperatores multi sæpiùs, tum sagittas extrudere, tum iacula vibrare, ensibúsque & hastis pugnare, tum sciunt, tum faciunt. Reges similiter. Sed non quatenus Rex aut Imperator Alexander Macedo, vel Philippus ipsius pater, hæc quæ ad milites pertinent faciebat.

bat, sed alterius artis auxilio quæ tum imperatoriæ, tum regiæ subseruit. Et nos itaq; quatenus quidem Medici remediorum singulorum qualitatem cognoscimus, quantitatémq; & tẽpus, & modum vtendi, quatenus verò ministri venam secamus, cucurbitulas apponimus, atque alia manibus operamur. Ars itaque medendi Medico dignitate prior, Medicus seruiente arti, illa autem ministris, ministri eorum arte qui ipsis præparant, tum instrumenta, tum materias artis, atque ars illa artificibus qui quæ ad illam spectant operantur: artifices verò his quæ præparantur, tum materijs, tum instrumentis. Rursum itaq; stabilioris, tum cognitionis, tum memoriæ gratiã, artium catalogum consequuntur vltimi quidem ad sanitatem, tum conseruandam, tum resarciendam qui clysteras adparant, phlebotoma, scalpellos, forfices, atque alia medicinalis artis instrumenta. Cùm ipsis autem sunt rhizotomi appellati, herbarij, & qui lanas atque alia eiusmodi suppeditant. Hos autem antecelluut ipsorum artes, quibus superiores Medici, deinde Medicis superior ars medica, quæ rursum subseruit naturæ. Præterea ex facultatibus naturæ quæ primæ sunt & præcipuæ, per quas animal in vita valet absolutißimam dignitatẽ ad optimã corporis vitam habentes, voco autem optimam vitam in sanitate scilicet, nam in morbis praua est: aliæ his subseruiunt virtutes, atque his rursum aliæ.

Et sanè quoniam catalogum omnem necessariorum ad sanitatem, vitámq;,tum artium,tum facultatum, in sermone hoc dicere proposui, nullo alibi pacto persequutus, adijcere & facultatum nos gubernantiũ dignitates non cunctabor. Sunt itaq; primæ quæ mediocritatem salubrem in animali seruant,tum in quantitate,tum in qualitate. At quoniam corporis nostri substantia, neq; quantitate, neque qualitate stabilis existit, sed quantitas quidem imminuitur per insensibilem perspirationem,qualitas verò iuxta temperamẽti permutationem permutatur, non solùm ex ambiente nos aëre, verùm & ex nobis, vt in commentarijs de tuenda valetudine est demonstratum. Verùm ad quantitatis correctionem, nutrix inest nobis facultas, ad qualitatis verò emendationem respiratio, & quæ per totum fit corpus transpiratio. Cùm autem & qui ali debeant,materia peculiari indigeant, alia quædam est nobis facultas, quam breuis & conspicuæ doctrinæ gratiâ sanguificam appellitare non fuerit malum: cui rursum seruiens in ventre est concoctrix facultas. Communes verò omnium dictarum facultatum aliæ quatuor existunt,de quibus anteà feci sermonem, claritatísque gratiâ vocaui attractricem, retentricem, alteratricem, & excretricem : quarum volo vos meminisse, vt cognoscatis hîc duntaxat sermonem hunc à me dici, qui naturam ostendat inter artes omnes primam, &

maxi

maximè præcipuam sanationis factricem.

Natura per se impetus motionésque citra intellectum reperit, vt tum nictare, tum ea quibus lingua subseruit, & quæuis alia similia: indocta existit natura,& citra disciplinam quæ oportet facit.

Ἐφόδους naturæ, id est, impetus, motionésq; appellauit Hippocrates. perinde atque vias impetúsque naturæ ad obeundas functiones dixerit, quæ ita fiant, non vt nos cum intellectu & consilio facimus. Nam σκαρδαμύσσειν (ita enim dicitur vbi quis clausas palpebras rursus celeriter aperuerit, quod nictare diximus) confestim nuper genitis animalibus nullo doctore inest: quòd autem operatio hæc magnum præstet oculis adiumentum, nemo ignorat, laborarent siquidem palpebræ omni vigiliarum tempore apertæ, tunicísque harũ molesta multa inciderent. Sed quàm hoc mirabilius est naturæ opus, quod neglexerũt, non vulgus solùm, verùm quoque & ex Medicis non pauci, quanquam quotidie id fiat. Nam si puero in bimatu panem ostenderis, panémq; cùm ostendis appellaueris, atq; hoc pacto bis térq; feceris, quòd vox panis corporis demonstrati signum sit, intellexit puer, recordatúsq; & ipse hanc profert, quónam linguã modo mouere oporteat edoctus: simile huic & in alijs quas voluntarias vocant motionibus ab omnibus fit animalibus. Nã si aliquem ex artubus inflectere voluerit, confe-

ſtim hoc facit,quanquam muſculum illum à quo flectatur non cognoſcat. Pari modo ſi extendere voluerit, muſculo extendit altero. Sed quíſnam hic ſit muſculus,quónam item agere poßit modo, ignorat animal quod mouetur: quo etenim modo cognoſcere poßit quæ neque Medicorum multitudini cognita exiſtunt. Sed quídnam dico multitudini? Nempe ſunt muſculi quos nemo ex optimis diſſectoribus ante nos cognouit,vt eſt muſculus qui poplitem inflectit membri commiſſuræ inclinatus. Homines tamen omnes genu commiſſuram pro arbitrio inflectunt. Neque hominibus ſolùm talis eſt operationis ſpecies, verùm quoque & cæteris animantibus omnibus. Sic ſanè naturæ virtus validior exiſtit,atque omni arte excellentior ad facienda ea quæ animalibus conferũt. Meminit itaque Hippocrates motus palpebrarum quo & ipſas mouemus:atq; ad aliam quandam actionem mentem habemus,cùm inquit: vt tum nictare,motus item linguæ in loquendo,cùm ait:tum ea quibus ſubſeruit lingua. Nempe cùm vocem quamuis proferre volumus, promptè ad ipſius explanationem lingua ſubſeruit. Pueri itaque cùm nunc primùm voces quæ cum difficultate proferuntur, audierint, vt ſtrax, ſphinx, ſtatim quadam verborum imitatione proferunt: neque quóſnam linguæ muſculos mouere oporteat cognoſcunt,neque quónam modo extendere ipſam conueniat, vel flectere, vel circunferre, vel ſuprà

ad

ad palatũ stabilire, vel ad dentes anteriores, vel aliam quampiam oris partem. Cùm autem dixit, & quæuis alia similia, de voluntarijs motibus sermonem fecit. In quibus, vt dixi, animalia ipsa non solùm musculorum agitationes non cognoscunt, sed neque musculos ipsos. Attamen cùm membrum aliquod flectere vel extendere volunt, confestim id faciunt, veluti & si in obliquum deferre voluerint, & circumagere, & vertere, & quouis aliter modo agitare. Et ideò his omnibus acclamauit: indocta existit natura, & citra disciplinam quæ oportet facit. Vocantur autem μαθόντες, id est, docti, qui in quauis disciplina sunt instituti. Naturæ verò insunt quæ maxima esse edocta sunt citra disciplinam, vt Thucydides: in propria siquidem intelligentia, & qui antè didicisset in ipsos nihil, neque didicisset posteà, & eorum quæ confestim minimo incidebant consilio iudex optimus, eorúmque quæ maximè ventura erant optimus coniectator.

Lacrymæ, narium humiditas, sternutamenta, auris sordes, saliuæ oris, eductio, spirituum ingressus exitúsq;, oscitatio, tussis, singultus, neque eodem prorsus modo.

Vbi quæ optimè quis dixisse mihi videtur, priùs percurrero, ita in huius dictionis transibo explanationẽ aduersus eos qui librũ sunt interpreta

pretati. Nempe qui à præscripta dictione præsentem separandam existimant, orationésque omnes veluti ad prænotionem pertinentes explicant: sed quod à principio est propositum, videtur mihi & nunc per hanc totam confirmare Hippocrates. Nempe naturam ad hominis salutem omnia efficere ostẽdere proposuerat. Exorsus itaq; ab ipsius operibus, quæ in sanorum hominum corporibus facit, eáq; in antecedente dictione persequutus, consequenter quæ in morbosis affectionibus, vel tum sanorum, tum ægrorum corporum communibus ad hominis salutem operatur, ostendit: quorũ singula explicans ego quæ'nam, vt dixi, morbosarũ affectionum propria, & quæ'nam, tum sanis, tum ægrotantibus communia existant, demonstrabo, quæ scilicet interdum quidem morbosæ in oculis affectionis modum sequantur, vt cùm phlegmone obsidentur, interdum verò & naturâ redundantem excernente humorem, vel in ipsorum glandulis quod reliquum est generante. Sic & narium humiditas fit, cùm per eas excernuntur quæ in cerebro aceruantur superflua. Sternutamenta verò naturæ quidem opus perpetuò existunt, sed ex morbosa fiunt affectione. Morbosas appello affectiones, non solùm cùm iam laborauerint, sed & cum quædam ex ipsis conflari cœperit, veluti in oculis est τάραξις, id est, perturbatio propriè appellata, quæ phlegmones principiũ quoddam existit. Tales siquidem morbosæ affectiones multæ

cùm

cùm formari incipiunt soluuntur, vapores humorésq; qui ipsius generant, excernente natura. Sed de eiusmodi omnibus dictum est in commentarijs de symptomatum causis. Nempe ex his quædam perpetuò quidem à natura fiũt, sed morbosarum affectionum existunt inhibitoria, vel earum quæ generantur vel generandarum, veluti alia, tum iam generatarum, tum absolutarum curatoria: & hoc est quod interpretes fefellit, de naturæ operibus sermonẽ Hippocrati non fuisse existimantes. Sed omnis hic sermo in tribus de symptomatũ causis commentarijs à me est excultus, vbi talia omnia symptomata, de quibus nũc est sermo agenti fieri naturâ ostendi. Nempe & aurium sordes ab illa fit cerebri excrementa repurgante. Tussis quoq; fieri viæ respirationis expurgandæ gratiâ ostensa est, veluti & excernendorum superfluorum gratiâ singultus, oscitatio, & pandiculatio. Sunt autem ex his quæ in præsenti oratione dicta sunt, quæ nullo pacto symptomata existunt, vt respiratio, & quæ per vniuersum fit corpus transpiratio. Nã de respiratione egit cùm inquit: Spiritus ingressus egressúsq;: de perspiratione verò cùm posteà scripsit, alimenti & spirationis. Saliuæ generatio in ore est, eorum quæ à natura ex prouidentia fiunt, veluti & sputorum eductio ex thorace & pulmone, verùm oratio hæc, saliua oris, per se proferenda est: verbum verò, eductio cũ adiecto nomine, sputi, vitiato forsan ab initio

prima

primo exemplari ab eo qui primus librum scripsit: vel forsan quòd Hippocrates ipse prætermiserit, veluti formulam sibi scribens, & non ad publicationem opus. Quod autem in calce præsentis dictionis est scriptum, neque eodem prorsus modo, tale est: dicta omnia dictis omnibus similia non sunt. Nempe vt demonstrauimus, nonnulla in solis naturaliter habentibus fiunt, alia in solis morbosis affectionibus, veluti rursum & in vtrisque alia, atque ex ipsis quædam solius naturæ sunt opera. Cùm autem variè dictionem hanc scribāt expositores, paulò pòst scripturæ narrabuntur, nunc verò priùs quod ex tota dictione in qua naturæ opera connumerauit, superest, explanabo.

Vrinæ excretio flatúsque, tum vnius, tum alterius partis, nutrimentíq; & spirationis, & quæ fœminei sexus animalibus fiunt, & quæ in alia accidunt corporis parte, sudorésque & vnguium ad prurientem locum agitationes, & pandiculationes, & quæcunque eiusmodi.

Scribunt quidem & orationem hanc alij aliter. Ego verò scripturam plurimis consentaneam totáque dictionis intelligentia consonam, atq; in sinceris exactísque veterum exemplaribus repertam delegi. Est autem sensus ipsius talis, vt in prædictis symptomatis naturæ per se doctæ opera quæ ad hominis salutem fiunt percurrit, ita & nunc secretionis vrinæ flatúsq; gemini meminit,

aliment

alimentique & perspirationis, atque eorum quæ solis insunt fœminei sexus animalibus, deinde & sudorum & vnguium ad locum prurientem delationum, & pandiculationum. Nam quæ per vrinas fit secretio, si quomodo fiat sis memor, magnam tibi indicabit ad animalia prouidentiam, ob renum structuram, tuborúmque vrinam deferentium exortum, quem ex renum capacitate habent, præterea & operculorum quæ inhærentibus vesicæ osculis incumbunt, musculiq; illius qui instar claudentis anum musculi quem sphincterem vocant, vesicæ collum amplectitur, atque post hæc aliorum quæ quanquàm his tum minora, tũ mira minus sint, tamen in opus vsum habent, ita vt si non modo hoc composita sint omnia, prauè vel nullo modo fiant vrinarum tum secretio, tum vacuatio. Pari modo & quæ à natura in ἄφοδον, id est, ἀπόκρισιν, id est excretionem superfluorum alimenti, in nutritioni seruiẽtibus organis constructa sunt, naturæ ipsius prouidentiam sapentiámq; indicant, quæ omnia in commentarijs de vsu partium narrata habes. Satis autem nunc est summas duntaxat memorare. Quidam itaque vtrunque eorum verborum quæ in principio præsentis orationis scripta sunt, per se duntaxat legentes vrinarum ipsum hoc loco & stercorum meminisse aiunt: alij vtrũq; copulantes ἄφοδον vrinarum, quod est κένωσιν id est, vacuationem, ex dictione indicari aiunt, perinde

atq;

atq; vrinæ excretionem dixerit. *Hi* itaque in principio dictionis scripserũt, κόπρυ καὶ οὔρυ ἄφοδ☉, quasi ita dictũ sit, κόπρυ καὶ οὔρυ κένωσις, id est, stercoris vrinæque vacuatio. *Vt* autẽ alimenti superflua miram habent in discretione dispensationem, sic & in excretione flatus vtriusque tum illius qui per rectum fit intestinũ, tum illius qui per stomachum formatur, quem ructũ vocant: quænam autem naturæ appareat prouidentia ad flatus vtriusque excretionem excitatis in quibus aceruantur instrumentis ostendunt excreti ipsi tum in somnis, tum cataphora, tum catalepsi, tum lethargo, tũ Caro, tum paraphrosine, tum profundo cωmate. *Pari* modo & naturæ artem inuenies si quæcunque circa alimenti dispensationem spiritúsque operatur, didiceris: atque adhuc magis miraberis, si quæ mulieribus ad conceptionem fabricauit noueris. *Similia* his sunt quæ in toto corpore circa sudorum excretionẽ excogitauit, vt κνησμοὺς & σκορδινισμούς. *Vocãt* autem κνησμὸν impetum motionémque, quæ per vngues fit id est, scalptum, quem animalia ipsa suaptè naturâ in prurientes faciunt partes, insítq; & hoc omnibus ipsis. *Vidistis* siquidem & paulò antè quum grauidam capram & viuentem dissecaremus, à deuincta ipsa exemptum fœtum, depositúmq; in terram primùm quatuor pedibus ambulare aggressum nullo doctore, hásque incessus gratia suppposuisse partes, atq; pòst paulò cir

circunfusam forinsecus sibi superfluam ex cute humiditatem excussisse, & rursum pòst paulò latus pede vno scalpere, in quo & qui aderant omnes exclamauerunt, primùm quidem, quòd symptomatis sanationem nullo doctore inuenisset, secundò quòd per solam hanc partem fieri potuerit, & tertiò quòd hoc modo. σκορδινισμὸς autem id est, pandiculatio tale est, arbitror, in musculis omnibus symptoma, quale est solis mandibulæ inferioris musculis oscitatio. Demonstrauimus autem in symptomatum causis, si estis memores, & hoc fieri à natura ad vacuanda vaporosa ea quæ in musculis existunt superflua. Videntur autem & hoc citra doctrinam facere tum infantes, tum animalia cætera. Hæc itaq; omnia, & quæ cum ipsis paulò antè diximus vt & excussam hædo humiditatem post dissectionem, miram quandam naturæ ostendunt in animalia prouidẽtiam, per quam sana seruantur, & morbosa curantur.

Hominis anima perpetuò ad mortem vsq; producitur: quæ si vnà cũ morbo incensa fuerit, corpus exedit consumítque.

Diuinatiõe magis quàm methodo aliqua est opus, per quam quis reperiat quidnam significare voluerit cùm scripsit φύεται, id est producitur. Nempe pro γεννᾶται, id est, generatur intelligi potest, queadmodùm posteà existimauit Asclepiades. Potest & pro αὐξάνεται scriptũ esse, id est, augetur. Potest & vt quidam intellexerunt pro

διασώζεται, id est, conseruatur, alimonia & respiratione vtentibus nobis. Nam qui animã spiritũ esse putant, seruari eam ex sanguinis vaporatione, & attracto intrò cùm fit inspiratio per asperam arteriã corpore affirmãt. Quòd autem nullum eorũ quæ dixi pronuntiare possimus verum esse contendentes, nisi priùs substantiam animæ exactè inuenerimus, obscurum nõ est. Nam si vt in libro de hebdomadis libri autor de animæ substantia conspicuè pronuntiauit, ita & in aliquo confesso legitimo Hippocratis libro dictum esset, possem & ego nonnihil de verbo φύεται dicere: at quoniã in nullo germano Hippocratis libro clarè pronũtiatum sit, quidnam per verbum φύεται significetur, neque ipse cum ignoratione huius rei persuasissimum habeo vt animæ substantiã certo sciam. Nempe quòd cerebrum tum sensus, tum motionis arbitrariæ omnibus animalis partibus autor sit, in cõmentarijs de Hippo. & Platonis placitis demõstraui: spiritũq; præter id in vẽtriculis ipsius inter destinata animæ instrumenta primũ quoddã esse, quẽ animæ substantiam esse pronũtiare nihil temerarium erat. Siue enim tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperamento in talem venit substantiam, vel proprietatem, per quam sensus motúsque voluntarij princeps & autor in animali habeatur, & præter hæc tum memoriæ, tum intelligentiæ, siue alia quæpiam incorporea virtus ab eo qui nos fecit,

cer

*cerebro inserta sit, & rursus morientibus absce-
dat, nullam habeo, quæ certa sit demonstrationem.
Præterea eos, qui hæc pronuntiauerunt, nos te-
meritate magis quàm sapientia vincere arbitror.
Superfluum autem Medicis esse autumo, sub-
stantiam scire animæ. Nempe satis fuerit his qui
medicinalem artem secundum rationem tractãt,
vt quandiu naturale cerebri temperamentum,
spiritúsque in ipsius ventriculis contentus con-
seruetur, viuere animal posse cognoscant, non
posse verò si spiritus in ventriculis ipsius conten-
tus prorsus corruptus fuerit, aut à temperamento
naturali plurimùm recesserit, consequuto & id
mali cerebri temperamento. Hæc itaque cogno-
scens Medicus, tum bonã ipsorum tẽperaturam,
tum principatum, præcognoscet perpetuò iuxta
dictas à nobis in commentarijs de tuenda vale-
tudine, & curandis morbis methodos, quas Hip-
pocratẽ primùm dixisse omnes ostendi. Ob id ita-
que neque præsentem dictionem germanam esse
puto, sed subdolè ab aliquo insertam, veluti &
alias non paucas. Forsan autem & filium ipsius
Thessalum collegisse aiunt patris subscriptiones
quas in chartis vel membranis, vel tabulis scri-
ptas inuenerat, & tales quasdam inseruisse ora-
tiones. Ex his verò qui in præsentem dictionem
commentarios scripserunt, quidam φύεται dici
aiunt pro βελτίων γίνεται, id est, melior redditur.
Nempe animam ipsam tempore fieri meliorem*

his qui tum scientiam, tum sapientiam prospiciũt: sed sermo hic neque Medicus, neque his quæ inferuntur est consentaneus. Nam quòd φύσις de ipsius animæ substantia dictum sit, ex his constat quæ dixit: quæ si vnà cum morbo incensa fuerit, corpus edit consumítque. Videbitur verò & verbum incensa fuerit, ostendere Hippocratem existimare substantiam animæ esse calidum natiuum, quod & in locis multis naturalium functionum causam facit. Maximum autem hîc dogma mouetur & Philosophis ipsis dissentaneũ. nempe sunt qui substantiam vnam esse existiment tum animæ, tum naturæ. Alij substantiam ipsarum in spiritu collocauerunt, alij in corporis proprietate, alij non vnam sed peculiarem vtrique substantiam esse aiunt, neq; paruo quodam, sed toto genere differentes. Nempe & substantiam naturæ corruptibilem esse putant, animæ verò immortalem. Nempe & Aristoteles & Plato in vnam traxerunt appellationem facultates non solùm qua ratiocinamur, & recordamur animam vocantes, verùm & eam quæ in stirpibus est, qua tum aluntur, tum augentur, & tantisper conseruantur, donec processu temporis arefactæ fuerint. Stoicis autem consuetudo est naturam quidem appellare qua stirpes gubernantur, animam verò qua animalia, atque substantiam vtriusque natiuum ponunt spiritum, putántque qualitate inter se differre, sicciorem

rem

rem etenim animæ ſpiritum, humidiorem verò naturæ eſſe: at vtranque egere ad permanſionem non alimenti ſolùm, verùm & aëris. Et qui dogmatis huius autorem fuiſſe Hippocratem putant, vt in libro de hebdomadis eſt ſcriptum, verbum φύεσθ dici aiunt de ea quæ in ipſis fit appoſitione ex vtraque tum aëris, tum alimenti ſubſtantia, id quod conſpicuè apparet, atque vtriuſque vſum nouimus. Nempe quòd reſpiratio calidi natiui ſymmetriam conſeruet, ciborúmque ingeſtio quod ſubſtantiæ corporeæ effluxit reſtauret, eſt demonſtratum: & ſi ſpecies quædam corporis anima eſt, iure dicatur φύεσθαι aduſque mortem. Quòd ſi alia quædam ipſius naturæ ſubſtantia fuerit, quam Ariſtoteles quidem altricem, Plato verò concupiſcibilem, verum erit quod dicitur, non autem verum de cognitrice anima. Quòd autem calor natiuus ad quem potiſſimùm corporis functiones refert Hippocrates incenſus, non ſolùm non priores functiones perficere poſſit, ſed neque & nos alere, id quod ipſi maximè proprium erat, imò ad inſtar ignis tum corrumpat, tum contabefaciat, nobis ratione contemplantibus luce clarius exiſtit: & ſanè corporis colliquationes ob vrentes febres conſpicuè videntur. Si verò in omni dicto ſermone comprehenſa fuerit tertia vel anima, vel facultas, vel quouis modo appellare ipſam volueris, quam Plato iraſcibilem vocauit, de ea ſatiùs eſt dicere, ne quippiam

in sermone de anima relinquatur. Caliditas enim quædam insita in hepate continetur, per quam fit sanguinis generatio, altera verò caliditas in corde maior nobis ad iræ generationem data est. nempe & huius commoditas quædam existit, vt in libris de Hippocratis & Platonis placitis est demonstratum. Eget autem hæc ipsa respiratione caliditas, altera verò transpiratione. Nempe ita vocare consuetudo est Medicis duplicem eam, quæ in toto corpore per arterias fit, actionem, emittentes quidem fuliginosum excrementum dum contrahuntur, trahentes verò circunfusum aërem cùm dilatantur.

Morbi syntrophi, id est, connutriti in senecta desinunt, coctione, solutione, & rarefactione.

Non de syntrophis morbis omnibus Hippocrati nunc est sermo. (Vocant autem σωτρόφες qui ex multo tempore in hominum permanent corporibus) neque enim hoc fieri videtur, neque ipse ignorat, vt pote qui manifestè in aphorismis dicat: Senes iuuenibus plurimùm quidem ægrotant minus: qui autem ipsis diuturni fiunt morbi, magna ex parte cum illis emoriuntur. Cùm autem in aphorismo adiecit, magna ex parte, & non vniuersaliter enuntiauit, quòd qui ipsis fiũt diuturni morbi cũ illis emoriuntur, conspicuè nonnullos solui nouit ante mortem. Vt itaq; talia quædam existunt, sic & quædam ante mortem non

solui

ſolui oſtendit, cùm in aphoriſmis inquit: Raucedines & grauedines in valde ſenibus non maturantur. Cùm itaque hoc in loco frigidorum meminit, calidos quoſdam in ſeniorum ætate ſolui poſſe concedit, ſi vtique contraria contrariorum remedia exiſtant, pauci ſiquidem ſunt hi, vt cephaleæ calidæ, eterocraniæ, & nephritides. Tales quoque ſunt & arthritides, quæ valde calidam habent adfectionem. Is itaque ſolutionis modus qui ex ſenis temperatura fit, partes ſubit πεπασμῶν, id eſt, concoctionum, ſignificante πεπασμῷ deductionem omnem quæ in mediocrem fiat temperiem, vt de concoctu oſtenſum eſt fructibus. Alios autem duos ſolutionis modos adijcit concoctione adhuc rariores, rarefactionem ſcilicet, & quæ ambiguè dicta eſt, ſolutionem, ſiue diſſolutionem, ſiue ſolutionem intelligere oporteat, fit ſiquidem hic ex ipſa quæ corporea eſt ſubſtantia, communi omnibus non animatis ſolùm, verùm quoque & anima carentibus: effluit ſiquidem prorſus ipſis aliquid, ſed plurimùm quidem mollioribus, minùs verò minùs mollibus. Pari modo ſoluuntur quidam præter naturam tumores diſcuſſa per multum tempus ipſorum ſubſtantia, id quod his fit qui proba vtũtur victus ratione. Nam qui plethorico victu vtuntur, partibus adfectis influxionem diſcuſſæ ſimilem facientes, adfectus ſeruant. Tertium ſolutionis modum dixit corporis rarefactionem, quæ

ex medica quidem fit prouidentia : ſed rarò in ſenili ætate, cùm ſcilicet imbecilliore facta virtute, facto tenuiore habitu, & cute cibum minus ſentiẽte minutiores fuerint meatus. Nos ſiquidem ita dictionem explicamus, perpetuò dictiones ipſius his quæ in ægris viſuntur conſentaneas oſtendere conantes. Plurimi verò interpretum omnia magis quàm hoc moliuntur, & hi ſanè nunc ſermonis cauſas quaſi de morbis omnibus dictus ſit, reddere tentant: atque his abſurdiora dicunt, adfectus huiuſmodi in ſenio ſolui affirmantes: animæ ſcilicet impetus, cupiditates, ſuperſtitiones, atque eroticas corporis affectiones.

Sanatio eſt obluctantem non conſentire morbo.

Sermo hic idem poteſt ei, quod contraria contrariorum ſunt remedia, de quo iam ſæpiùs diſſeruimus.

Frigidum auxilio eſt, & quæ ex calido ſunt, enecat.

Hoc quoque & in memoriam ſibi ſcripſit, quod prædictæ vniuerſalis enuntiationis pars exiſtit. Nempe frigidum quidem frigidas iuuat affectiones, calidos autem morbos enecat. Ab vno ſiquidem tanquam exemplo, ad contraria omnia ſermo eſt deducendus.

Iracundia retrahit cor & pulmonem ad ſeipſa, atque ad caput, & calida & humidum: lætitia verò cor relinquit.

Ambi

Ambiguosa & ænigmatica est hæc dictio, atq; ob id scripturas ipsius multas fecerunt, & scripturis peculiares explicationes. At veriùs quis dixerit non scripturis explicationes fecisse, sed intellectis expositionibus scripturas effinxisse, confestim itaque verbum ἀνασπᾷ, id est, retrahit, quídnam in oratione indicat? retrahi tum cor, tum pulmonem dicere ipsum ab iracundia explicabimus, sed si adiecta fuerit oratio, ad seipsa, & ad caput, intelligentiæ alterius suspicio fit talis: Cor & pulmo retrahunt & ad se & ad caput & calida & humidum, verbo etiam, calida, propè intelligibili existente. Calidum siquidem magis quàm calida erat dicendum. Satiùs est itaq; forsan omissa particulari in hac oratione verborum serit tanquam confusa, ecphrasin ipsius, vel paraphrasin, vel quouis quis modo nominare voluerit facere. At hoc fieri non potest nisi vnum ex nominibus exposuerimus quod est ἀνασπᾶν, id est, retrahere: nempe duorum alterum in iracundia est. Nempe vel pulmonem & cor ad caput retrahi dicemus, vel cor & pulmonem & caput retrahere ad se calidum & humidum. Nempe ex regione hepatis vnde sanguis administratur retrahi caliditatem & humiditatem est verisimile. Nempe in iracundijs cor vnà cum totius corporis arterijs maiorem vehementiorémque pulsum efficere conspicuè videtur. Rationabile autẽ est & quæ dilatationem ipsius

impleuerint, tunc trahi plura. Quòd autem tum humiditas, tum caliditas maior ad caput sursum feratur, signũ præbet tum in oculis, tum in facie tota rubor. Imò si tetigeris, calidiora hæc tibi facta esse videbuntur, euidentérque & oculi ipsi splendent, simul & petulantiores euasisse videntur, atque caput omne calidius. In lætitia verò cor ἀφίησι, id est, καταλείπει, id est, relinquunt quæ prædicta sunt. Commoda autem est dictorum notitia in hoc vt interdum quidem effugiatur iracundia, interdum verò & in ipsam incumbamus: effugiatur quidem vbi cor & caput naturali intemperie, vel calido ascititio affectu plusquàm oportet calidiora fuerint. In ipsam verò incumbamus, cùm affectus frigidus fuerit, & caput naturâ frigidius, atque si totius corporis temperatura similis fuerit. Nam si calidior iusto fuerit, vel ex affectu vel natura, magnopere ab iracundia offenditur, contraria verò huic valde iuuabitur. Nempe & hoc in secundo epidemiorum edoctum ab ipso ostendimus, cùm dixit diligentiam adhibendam esse vt iracundia creetur, gratia tum reuocandi caloris, tum sanguinis in venulas quæ sub cute sunt infundendi.

Labor articulis & carnibus, cibus & somnus visceribus.

Quoniam πόνος, id est, labor nomen sæpius quidem consueuit Hippocrates pro gymnasio dicere, interdum pro dolore, vel simpliciter

læsione

læsione quadam, vt ex multis iam constat commentarijs: ob id inter eos qui librum exposuerunt alius in alium horum trium significatuum sese contulit. Nempe quidam existimat Hippocratem dicere exercitationem tum cæteris, tum carnibus veluti cibum esse, id est, nutrimentum & robur, & auxilium, augeri siquidem confestim, fortificari & roborari per exercitationes non minùs quàm per cibos. alius dolorem tum articulis, tum carnibus cibum multum dictum esse intellexit: plethoram enim non solùm immobiles reddere articulos, verùm & carnes, id est, musculos: in his enim est carnosum genus, prætereà & ita defluere vt dolores pariat. Hunc comitatur sensum quod tertio est significatum loco, quibusdam existimantibus cibum multum, id est, plethoram tum articulis, tum carnibus offensam esse. Neque carnibus articulísque consueuit plethora læsionem & dolores inferre, verùm quoque & omnibus corporis partibus. Cæterùm secunda orationis pars in qua inquit, somnus visceribus, sensum habebit eiusmodi: vt labor tum articulis, tum carnibus est cibus, ita & somnus visceribus, vel exercitatio erit bonum adferens habitum, vel dolorem, vel læsionem inferet. Exerceri etenim in somnis viscera quatenus maximè tunc operantur, & cibum conficiunt, intelligere quis posit. Læsionem verò aliquam dolorémve inferre non est verum,

indo

indolentiam siquidem somnus & adiumentum non contrarium facere natus est, nisi quis in accessionum principio hæc ipsum facere dixerit: Sed nunc cùm dictio citra distinctionem scripta sit, sermo verus non erit. Et certè quidem ita legere est melius: labor articulis, carnibúsque. deinde principio altero: cibus & somnus visceribus, vt sensus talis sit: Exercitatio tum articulis, tum carnibus iuuamentum præstat, cibus autem & somnus visceribus. Nempe cùm calor natiuus in profundum annuit, vt ipse demonstrauit, coctiones ciborum meliores fiunt, atque aluntur tunc viscera. In vigilijs verò cùm natiuus calor ad cutim extenditur, viscera frigidiora fiunt. Quæ autem illis somni insunt tempore, hæc tēpore vigiliarum tū artubus, tum externis omnibus insunt.

Animæ obambulatio, cura, & meditatio hominibus.

περίπατον, id est, obambulationem pro gymnasio & exercitatione intellexerunt omnes qui librum exposuerunt, vt sermo talis sit: hominibus curæ & cogitationes animæ exercitationes sunt. Appellatione autem vsus est περιπάτου, voce hac speciem quādam exercitationis significante. Cùm verò interpretatio malè adfectata sit, iure Dioscorides effugiens, non περίπατος scripsit, sed literam υ adiecit περίπαυτος scribens, vt effecta fuerit dictio eiusmodi: Animæ de omni cura, & meditatio hominibus sit, vt ex ipsa significetur,

exerce

exercendam esse de re omni hominibus cogitationem. Nempe deliberationes, cogitationésque φροντίδες appellantur. Hinc & Socratem φροντιστὴν vocabant, & φροντίδας docta viri decreta, deliberatáque, vt in Aristophanis comœdia, quæ νεφέλαι inscribitur, reperire est, vbi Socratem veluti nugatorem obiurgat & cauillatur. Si verò ex Philosophi opinione & non speculationis medicæ sermo fuerit, primùm sanè considera communem esse omnium rationalium quæ per se habentur artium in quibus cogitationem exercere oportet, vt cùm ab alijs Medicis multis, tum ab Erasistrato non rarò est dictum. Sed quoniam & affectus quidam sunt, alij scilicet animæ tum rationem, tum memoriam obstupefacientes, alij carosi & cataphorici, his sanè curas & cogitationes commodas esse, est existimandum, vt alibi docuit iracundias vtiles esse ad enchymosin, & naturalis habitus reuocationem.

In vulneribus sanguis promanat, succurrendúmque vt vacuum impleatur.

Aenigmatica est & hæc oratio: neque enim est manifestum quídnam συνθεῖχθ quod promanare dictum est indicat, neque quídnam sit vacuum impleri. Quapropter interpretes quidam sermonem dictum esse aiunt de sanguinis ex vulneribus eruptione, alij de superueniente inflammatione. Nempe vtrique sanguinem ad vulneratam partem fluere volunt, præterea & hac denudata

nudata vacuari omnes corporis venas, quibus prouidendum esse aiunt, vt rursus impleantur. Impletionem autem harum geminam esse, adhibitis scilicet parti tum refrigerantibus, tum adstringentibus medicamentis, & figura conuenienti fluentis in læsum vasculum sanguinis. alij non de vulneribus solùm, sed de vehementer concussis ossibus, & maximè in quibus extra cutim pars ipsorum quapiam emicuerit, pari modo & in talibus omnibus luxationibus plagísque quæ magnam in corpore contusionem efficiunt, sermonem dictum esse aiunt. Nempe φώματα vocat Hippocrates læsiones insignes quæ ab externo quopiam fiant, & citra vulnus factas. Expositioni autem de confluente in hæc sanguine & eo quod vacuatum est implendo, eadem his qui hæc dicunt expositio. Quòd itaque Hippocrates φώματα tales offensas vocare consueuerit, ex multis iam libris ipsius didicimus: si verò & nunc illorum meminerit, temerarium est dicere. Quidam de profundentibus sanguinem vulneribus implere intellexerunt, conuenientium medicamentorum impositione & linamentorum.

Si auris doluerit, lana circa digitum inuoluta calidum infundere vnguentū, mox suppoſita interiori manus volæ lana in aurem imponere, donec aliquid exire videatur: deinde in ignem iniicere, deceptio.

Dictio

Dictionem hanc quidam valde suspectam habuerunt perinde atque perperàm scriptam propter dictiunculam ἀπάτη, id est, deceptio, quæ in calce adposita est. Nam qui antecedit sermo talis quidam est: si aure quis doluerit, lanam circum digitum, indicem scilicet & vt fieri potest pollicem, inuolutam vnguini, id est, in oleo vel adipe liquefacto tinge, & in aurem instilla, quomodo & nunc facere per auricularium specillum lana inuolutum, non vnguen solum vt ipse vocauit, verùm & omne aliud liquidum pharmacum infundentes. sit autem verbi gratia pharmacum in quo lanam tinxerint, calefactum in valde lucida flamma, vel in appellato cerione. Infunde autem non semel, aut bis, sed sæpiùs donec effluat aliquid ad externam meatus auditorij regionem. Quod autem effluit, nos id simpliciter lana supposita excipimus. Præcipit autem Hippocrates vt lana hæc volæ manus nostræ, sinistræ scilicet adiaceat, ad quod effluit ex aure liquidum excipiendum, quo liquet & quòd non semel vel bis, sed sepiùs infundendum præcipiat. Post hæc autem siquidem simpliciter scriptum fuerit, deinde in ignem conijcere: rationabiliter explicare eos dixerimus per eã quæ in ignem fit coniectionem velle ipsum velut experiri per odorem qualénam sit quod effluit. Siquidẽ & ipse ita quod cũ tussi ex pulmone expuitur probauit. At quoniã in oratione appositũ est,

donec

donec videatur aliquid exire, appareátq; ipsum, videri, consonum esse ei quod in fine totius orationis dictum est, deceptio scilicet, ob id distinguẽtes qui ex interpretibus probabiliores existunt, aiunt ad talem actionem vt æger falleretur peruenisse Hippocratem: nempe & interdum ex talibus mitigari ægros, & curationem diligentiorem existimare. Prætereà & maiores quàm sint affectus videri ægris commodum esse existimant, vt non eos culpent qui ipsis prouident, quòd non celeriter adfectus sanauerint, confidántque & exquisitæ victus rationi. Quidam addiderunt maiora & stipendia & munera Medicis daturos ægros, si ab affectibus magnis liberatos sese existimauerint. Quod rursus non esse iuxta Hippocratis mentem quibusdam videtur, atque ob id dictionem totam suspicantur veluti præter iustum scriptam esse. Neq; enim de præsenti dictione est dicendum, quod nonnulli probabiliter dixisse visi sunt, mitigationem doloris deceptionem¦ dictam esse existimantes, tanquam idem nõ sit sanare dispositionem morbosam, veluti radicem ipsius prorsus extirpando, & placare dolorem. Nempe interdum mitigantes dolorem deteriorem totam reddunt dispositionem, vt in coliicis doloribus quæ ex opio & hyoscyamo, & mandragora & styrace constant antidoti, refrigerantes siquidem hæ membra, vt posteriùs ex causis ipsis patiantur promptiora ea reddunt. Sed neque ob

que ob doloris placationem, vt dixi, fieri poteſt vt deceptionem adſcriptam eſſe conſentiamus: contrariatur ſiquidem huic, donec aliquid exire videatur, eo qui ita ſcripſit decipiendorum ægrorum gratia in eiuſmodi manualem operationem peruenire Medicos indicante. Satiùs eſt itaque vt exiſtimemus dictionem nullo modo eſſe Hippocratis.

Lingua humorum ſerum indicat, linguæ virides bilioſæ: bilioſum autem à pingui, rubræ à ſanguine, nigræ ab atra bile: valde aridæ à fuliginoſa exuſtione, & materna parte; albæ autem à pituita.

Linguam ait ſignificare qualénam ſit οὖρον, id eſt, humorum ſerum, vel propriè ita adpellatū quod ſingulis diebus excernimus, id eſt, vrinam, vel humorum ὀῤῥὸν, id eſt, ſerum, vtroque autem modo ad talem deuenit ſermo intelligentiam: lingua ſiquidem affectionis humorum eſt indicatoria, veluti & vrinæ, & tunc ex dictione quod commodat habentes, quídnam vrina ſignificet, ex abundantia perquiremus. Commodum autē quod in tota dictione edocet eſt, nonnullas quidem linguas bilis redundantiam indicare, alias ſanguinis, & alias alterius cuiuſpiam talis, de quibus omnibus deinceps eſt conſiderandum. In commodis ſiquidem ad artis opera verſari volo, his prætermiſſis quæ ſophiſticè inuēta ſunt, χλωρὰς itaq; linguas dixit, vt in vita ex cōſuetudine appellāt

homines χλωροὺς, id est, virides, quosdam vidisse inquientes, quibus color ad biliosius transierit, pallidæ scilicet bilis. Hanc enim simpliciter vocant non vt cæteras cum adiectione vel nigram, vel æruginosam appellantes, vel rubram, vel flauam, vel vitellinam: proxima siquidem est & ferè eiusdem generis flaua bilis cum pallida. Dicunt autem prorsus non adijcientes pallidam simpliciter ita bilem vomuisse hominem. De flaua autem rarò reperitur qui simpliciter dicat: adijciunt siquidem confestim ipsi coloris nomen, flauam bilem vomuisse quendam dicentes, vel meram bilem. Aeruginosam & nigram nemo est, neque Medicus, neque plebeius qui citra adiectionem appellet, sicuti neque aquosam, neque porraceam, neque vitellinam. Nempe hæc sunt bilis nomina à quibusdam Medicis, ex nomine colorum quos habent dicta. Sic & rubram bilem vocant quæ serum sanguinis existit. Vitellina fit bile flaua incrassata, vt pallida vbi aquosam acceperit substantiam. Nunc itaque linguæ χλωραί, id est, virides manifestè dictæ sunt, pro pallida & crocea bile tinctis. Nempe lingua quæ insignes habet venas, éstque substantia, tum laxa, tum spongiosa, cæteris partibus quæ & duræ & densæ sunt, ad suscipiendos in se serosos humores, atque vt ab ipsis lanæ instar tingatur promptior existit. Interponitur autem, biliosum à pingui, generationem bilioso plurimam in

πίον⊗,

πίων, id est, ex pingui in alimonia fieri ostendente Hippocrate, πίονα verò intelligere oportet non solùm quod pingue est, verùm & dulce, & prorsus quod in naturaliter habentibus est suaue iucundúmque. Soli siquidem hi qui præter naturam afficiuntur eduliis, tum amaris, tum austeris, tum acidis oblectantur. Qui verò secundùm naturam habent, & superfluo omni sunt destituti, pinguia, dulciáque, & quæ nullam habent quæ fortis sit qualitatem, cum voluptate adsumunt. Omnia enim hæc in alimonia πίον existunt, atque ob id ἄρουραν, id est, terram cultam & ad sationem idoneã: regionémq; pinguem πίονα plerique veterum dixerunt. fertilem feracémque his appellationibus fructuum ipsam esse qui à nobis cùm valemus citra culpam eduntur. Quòd autem ex melle, atq; prorsus dulcibus cùm plus incaluerint, picrocholus generetur humor, in quarto commentario de simplicium medicamentorum viribus est demonstratum, quódq; manifestè videatur cùm talia diutiùs in ventre manserint, neque distributa, neque cocta ex ipsis pallida bilis generari. Nam qui tunc vomuerunt, talem vomuerunt. De pallida igitur lingua hæc sufficiant. Rubras autẽ à sanguine fieri ait: neque enim fieri potest, vt ab altero redundãte humore ruber color in parte aliqua fiat. Color siquidem humorum est præstantiũ, redundantiúmque non deficientium. Sic autem & nigras

linguas à nigra fieri bile ait. Eadem etenim hîc est ratio, ἄυας verò, id est, valde siccas, ex vrente febre, quæ veluti ignis sanguinem exurens fumo magis quàm vapori similem reddat vaporationem, ideò & nigræ sæpiùs tales apparẽt linguæ. Fiunt autem & eiusmodi linguæ à materna parte scilicet vteri: nempe & cùm hîc phlegmone obsidetur, aßident febres calidißimæ. Vt autem pallidæ quidem à pallida, nigræ à nigra, & rubræ à sanguine, sic à pituita albæ fiunt linguæ. Dicta itaque signa consequuntur perpetuò quæ significantur, res verò non de neceßitate signa consequuntur. Nam si vterus phlegmone obsideatur, non perpetuò febres vrentes fiunt, sicuti neq; redundante sanguine rubra efficitur lingua. Prætereà & nigra bile in liene contenta vel in venis quibusdam, infernis lingua colorem nõ mutat, sicuti neque ex pallida bile, sed cùm vel in ventre aliquid horum contineatur, vel caliditate multa humores, tum fundente, tum inflante latio ad sublime fiat. In vniuersum itaque est dicendum vnumquodque dictorum de lingua, signum esse indicatorium vel febris valde vrentis, simul & redundantis vniuscuiusque ab Hippocrate dicti humoris, vel quòd talis in vẽtre cõtineatur.

Vrina cibo & potioni concolor, talísque existit qualis est humidi interni colliquatio.

Vrina interdum quidem eiusdem coloris cum

bibito

bibito videtur, cibis neque mutatis, neque probè sanguificatis, cum quibus bibitum ipsum mutatur. Interdum verò & colliquatione in parte corporis facta, vt Sabinus scripsit, hæc sanè ambo adfecto præter naturam corpore fiunt. Cùm verò secundùm naturam habet, vnà cum humorum generatione, quod bibitum est, tum mutatum, tum coloratum facit vrinarum differentias, neque secundùm bibitorum vel partium in corpore colliquatarum, sed secundùm proprias procreatorum humorum qualitates, vt iam anteà est demonstratum. Quando itaque seruabit vrina bibitorum colorem? si aqua quidem pota fuerit, vel vinum aliquod album & tenue, vrina tum aquosa, tum alba videbitur: si verò crassum & nigrũ fuerit vinum, nigrior & craßior, vt biliosior si vinum & vetus & fuluum fuerit. Colliquatarum autem partium colorem indicant vrinæ, si vnà cum ipsis & orobea & pultacea trãsierint. Ab hepate siquidem talia existunt, velut à renibus quæ carnem magis repræsentant. Sic & laminea vesicæ, pinguia pinguitudinis pultacea verò & magnitudine & duritia, non verò alba carnis colliquatæ signa existunt, veluti & nigra lienis magis. Neque verò vrinæ subiugalium similis colliquationis signa existunt, vt Sabinus existimauit. Demonstrauimus siquidem in commentario aphorismorum tales fieri his qui plurimum crudum vocatum humorem aceruauerint,

cùm à caliditate fusus fuerit: tunc enim inflato ipsi contingit ad caput remittere flatuosum spiritum, quo fit vt cephalalgiæ fiant.

Lingua concolor dominiis, ideò his cognoscimus humores.

Obscura est hoc loco vox προστάτιοι, id est, dominijs, nonnullis quidem προστάσεις humorum dici existimantibus, qui ex ventre suscitantur, alijs concrescentes in lingua humores, alijs & eos qui ipsam diluant: sed hos omnes intelligere est melius, vt de quibus suis humoribus linguam attingentibus sermo sit. Concolor siquidem ipsis videtur, & si sursum ex ventre ferantur, & si per nutrientes venas ad ipsam peruenerint, & si ex vaporibus quibusdam sursum latis & super, & circum ipsam citra profundi madefactionem concreuerint. Ob id ipsum itaque & humores dignoscimus. Nam si pallida fuerit, picrocholos, si nigra, melancholicos, atque his proportione respondentes alios, de quibus paulò antè dixi, cùm dictionem exponerem, in qua ait: linguæ virides, biliosæ.

Carnes gustanti salsæ apparentes, redundantiæ signum.

Non solùm linguæ color redundantes indicat humores, verùm & vis gustatoria. Sic itaque quibusdam amarum in lingua humorem habentibus, apparent amara omnia, tametsi fuerint dulcissima, veluti ictericis contingit, alijs autem

ſalſa propter ſalſum appellatum humorem. Eſt autem rei huius euidens in ſanis ipſis coniectura. Nam ſi quis prægustato abſinthio, ſtatim aliud quippiam gustauerit, amarum ipſum videtur: & ſi commanſo ſale ſtatim aliquid ingeratur, videtur & ſalſum eſſe. Sic & in morboſis affectionibus cùm non ſincera & ſuperfluè vidua lingua fuerit, pro ſuperflui natura ciborum in ipſa redundantium ſapor erit; modo cibus quem quis gustabit extra vehementem omnem qualitatem fuerit: ſi non, mixta quædam erit linguæ duorum humorum ſenſio, tum eius qui in ipſa redundat, tum eius qui in cibo exuperat. Sunt ſiquidem cibi nonnulli ſalſi abundè, alij amari, alij acres, veluti acidi alij; alij dulces. Mixta itaque, vt dixi, ſi talia quis gustauerit, fiet humorum ipſorum dignotio, & ex eo qui iam in lingua hæret, & eo qui ipſam foris attingit. Ob id itaq; Hippocrates vnum aliquod ex his ſibi ad memoriam ſcripſit, quemadmodùm in his commentarijs facere conſueuit.

Si mammarum papillæ, & rubrum viride fuerit, morboſum vas eſt.

Non eſt ex Hippocratis enũtiatione ἄγγος, i. vas vterum nominare, quod tamen dicitur eſt manifeſtum. Nam ſi ex ſignis dictis aliquod circa mammas fiat, morboſam in vtero eſſe affectionem oſtendit. Sæpiùs enim iam de mammarum cum vtero conſenſu didiciſtis.

Sordes hominibus in auribus, dulcis quidem mortifera, amara verò non.

Forsan Hippocrates vt nullus ignoretur morbus sordem aurium gustare sustinuit, id quod Medico detestandum fuerit mandatum. Clarum *est autem in nullo fieri posse tempore vt sordes dulcis appareat, nisi vbi cerebrum morbo affectum fuerit. Nempe amara est, si cerebrum secundùm naturam habet, ob id & dulcem colliquato cerebro fieri aiunt.*

Terram in morbis longis permutare confert.

Siue nauigans, siue pedibus quis iter faciens in aliam peruenerit terram, siue agitatio, vel per iter, vel per nauigationem fuerit, mutatio aëris iuuabit, & potissimùm cùm in aërem temperamenti contrarij transierit. Dico autem contrarij, nō solùm propriæ ægrotantis regioni, verùm quoq; & morbi temperamento. Nam si humidum fuerit, ficciore aëre in quem transeat opus habebit: si verò siccum, humidiore: eodem modo & frigidiore si calidum, calidiore verò si frigidum. Consimili modo humidiore & frigidiore si calidum & siccum fuerit, atque ita in alijs coniugationibus. Iuuabitur autem & adhuc magis qui transfertur, si secundùm modos digreßionis in id quod præter naturam morbi fiat in aërem contrarium mutatio. Nam quòd modicè quidem ex temperamento naturali in frigidius transit, paulò calidiore

diore quàm temperatus sit eget aëre, quod verò valde transijt, multa & in contrarium indigebit exuperantia. De regionibus autem sermonem eundem dictum esse puta. Exquisitè siquidem inter se sunt contraria, quæ vtrinque à mediocritate æqualiter recedunt.

Cibi imbecilliores exigui temporis vitam habent.

Cibum imbecillum alium nullum intelligere possumus, nisi qui leuem paucámque corpori præstat alimoniam, cuiusmodi sunt olera, & ex his quæ acrochondria vocant plurima. Hæc itaque, inquit, breuis temporis habent vitam, id est, ipsis vtentes breuis vitæ facere nata sunt, quòd cibi ipsi celeriter ex corpore vacuentur, solam verò in corpore ciborum moram vitam ipsorum intelligere affectatum est.

In defluxibus ad coxas, venas in auribus posteriores scarificare oportet.

Κέδματα dicit fluxiones ad crura decumbentes, & potissimùm ad primam articulationem quæ in ischio est, non tamen verum esse de venæ sectione sermonem credens, sicuti neque vllus eorum qui ipsam recipiunt exactè credidit. Ostendunt siquidem re ipsa nunquam in ægris vsum. In oratione verò dictio ipsa impropriè enuntiatur, scribente ipso eas quæ in auribus sunt venas: non enim in auribus dicendum erat, sed circa aures. Venæ siquidem sunt quædam insignes post

aures. In auribus verò valde parua, & vix conspicuæ, & vt plurimùm non apparentes.

Venus pituitosis confert morbis.

Non omnibus ex pituita laborãtibus auxilio est venus, sed his qui robusta sunt virtute. Nam si imbecilli ad summam debilitatem ex ipsa peruenerint, magnoperè lædentur. Qui verò robusta sunt virtute, neq; dissoluentur, sed iuuabuntur, exiccante pituitosam superfluitatem venere. Resiccare etenim venerem veluti & vigilias didicistis, euaporando ampliùs humores. Imò & corpus robustum habentibus facultatem calefacit venus, imbecillis verò protinùs quidem calefacit, sed tandem strenuè refrigerat.

Calidis ventre fortes, tum potiones, tũ cibi turbatorij existunt.

Non vt anteà fortem victum esse diximus eorum qui validè nutriunt ciborum, ita & nunc est intelligendum potiones & cibos qui multam præstent corpori alimoniam, sed qui fortem habent virtutem, vt sunt cepæ, allia, silphium & succus eius, vinum vetustissimum, & quæcunque alia similia naturalem augentia intemperiem, atque intemperie quæ contraria huic sit, commodissima. Nam sæpiùs iam didicimus inculpatas naturas similibus iuuari, intemperatas verò veluti & morbos ab his quæ temperaturæ ipsarum sunt contraria. Quidam libri huius interpretes dictionis sequentis principium finem

præsentis

præsentis fecerunt, vt talis sit: Calidis ventre fortes, tum potus, tum cibi turbatorij sunt nigræ bilis. Nam quòd ventre calidis talia maximè ventris perturbatoria existant, manifestum est. Non tamen corpus omnibus simili turbant modo: sed his qui temperaturam habent vel calidam, vel siccam, vel in vtroque intemperatam, vt non solùm bilis nigræ turbatorij cibi eiusmodi existãt, verùm & flauæ. Et forsan quoniam maiorem offensionem afferat nigra turbata bilis, ob id de ipsa sermonem per excellentiam intelligere voluerunt. Plurimi verò præsentem ipsam dictionem per se circunscribentes sequentis dictionis principium fecerunt, bilis nigræ.

Bilis nigræ simile per hæmorrhoïdas effluens.

Nempe melancholias iuuari ab hæmorrhoïdibus ex his est quæ euidenter apparent. Multósq; vidimus ab hæmorrhoïdis retentione ad melancholiam ductos, atque alios non semel solùm vel bis, sed ter & quater in melancholiam retenta simul hæmorrhoïde incidisse. Non minus & alios quotannis in vitium ferri, nisi priùs adiuti fuerint vel per hæmorrhoïdem, vel per bilis nigræ purgationem. Nempe plurimi ex ipsis sanguinem nigrum excernunt per hæmorrhoïdem, non tamen omnes. Fit siquidem non ex causa vna hæmorrhoïs, sed interdum natura ipsa melancholicum expurgante humorem, interdum

verò

verò & copiam excernente, vt his accidit qui sanguinem è naribus profundunt, interdum quoque & reclusa vena, vt decumbentis in ipsam sanguinis citra deliberatam naturæ operationem, ideò & quod euacuatur, nigrum interdum non est, præterea & natura nigri euacuandi causa moliente apertionem. Contingit autem aliquando vt vacuato eo quod prauum est, consequatur quod commodum existit, vbi non priùs vas conclusum fuerit, sed diutiùs apertum manserit. In præsenti itaque dictione dicere Hippocratem non est existimandum, quòd hæmorrhoïs omnis bilem nigram vacuet, atque ob id melancholicos iuuat quidem si fiat, nocet verò si retineatur, atque ea aperienda est, si clausa fuerit.

Adcrescentes morbos mixtio.

An ne ipsos vel iuuet, vel lædat mixtio, est prætermissum, cùm verò interpretes omnes nescio quo pacto iuuari supponant, mixtionémq; cum muliere intelligant, Heracleo erythræo excepto, atq; omnes in significato per verbum ἐπαυξίας, id est, adcrescentes discrepent, quod mihi videtur veluti in ænigmatis maximè verisimile, hoc solũ dicã. Ἐπαυξέας morbos qui tempore adcrescũt, & deteriores perpetuò fiunt nisi priùs soluti fuerint, veluti podagras, arthritidas, nephritidas, epilepsias, & melancholias, eósq; omnes à venere lædi. Sabinus ἐπαυξέας eos intelligit qui pueris fiũt, simúlq; augentur quousq; misceri possint, quemad-

modum

modùm nominatim ipse perstringit, epilepsiam, phrenitidas, quartanas febres, & cephalalgiam. Neque tamen mala hæc fieri omnibus videntur, excepta epilepsia, quam ob idipsum vocari ab antiquis puerile malum contingit. Fit & pueris in vesica lapis, sed non ita multis vt epilepsia. Hăc verò iuxta puerilis ætatem permutationem magna ex parte solui vsu euenit his, qui non magnoperè delinquunt circa victus rationem. Lapis autem vesicæ non ab ætatis permutatione, sed à sola manuali opera sanatur. Nos itaque qui etiam absque præsenti dictione cognoscimus, quòd & epilepsiam & quoscunque pituitosos morbos magnoperè iuuabit ætatis puerilis in adolescentiam permutatio, etiam si citra venereorũ vsum fiat, cognoscamúsque prætereà quòd neque nephritis, neque febris quartana, neque arthritis per venerem cessat, à præsenti quidem dictione quæ ænigmatosa existit, nihil docemur, sicuti neque ab vlla alia quæ talis sit. Nempe & venus auxilium aliquando refrigerando facit, solos illos iuuans qui fuliginosas fumosásque habent ob naturalem intemperiem transpirationes. Nempe his vbi retentæ fuerint, magnam adferunt læsionem. Iuuantur quoque & hi ab vsu veneris, si tempore & modo fiat.

Refrigeratio quæ in ventre sunt indurat.

In hac quoque dictione commodum quippiam

est

est his omnibus qui artem aggrediuntur, siue em piríci, siue dogmatici fuerint: commodum quoque & aliquid solis his qui causas singulorum quæ fiunt scire anteà dicti sunt. Dicam autẽ de priore omnibus commodo. In hac igitur dictione, refrigeratio quæ in ventre sunt indurat, communiter quidem receperunt omnes quos noui, sermonem Hippocrati esse de his quæ deijciuntur, qui idem potestate existit cum eo qui in aphorismis dicitur: si aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, vtrum autem partium corporis externarum refrigerationem solam dicat, quæ & in aquilonijs fit conditionibus, vel internarum quas interest, & venter non differuerunt interpretes, quanquam id discrimen nõ paruũ haberet. Nos siquidẽ qui quæ hominibus contingunt obseruamus, frigiditatem partium externarum ventrem perpetuò indurare nouimus, internarum verò contrà humectare, quæ sanè & cœliacas appellatas adfectiones interdum parit, quo tempore ipsa quidẽ partium internarum corpora fieri duriora possunt, liquida verò deijci, cibis neque probè coctis, neque distributis. Hæc itaque Medicis omnibus cognitu necessaria, causæ verò ipsorum solis optimis. Neq; enim verùm est dicere quod dictionis huius interpretes dixerunt, quòd scilicet frigidum cogens, condensánsque ea quibus occurrit, duriora hac ratione facit, nempe hoc in corporibus nostris quæ non in profundo existunt cùm refrigerãtur, rectè

rectè dicatur. Fieri verò non potest vt venter in tantam veniat refrigerationem, vt cibi potúsque condensati indurētur, veluti quæ externa sunt, hyeme. Morietur enim citiùs homo quàm tantam nactus fuerit refrigerationem, sed solùm cùm à circunstante aëre infrigidantur externæ corporis partes ventre illæso deiectiones indurari videntur, calidiore scilicet existente ventre, vt dixi: Ventres hyeme & vere calidißimi natura. Inuenies quoque & expositores perpetuò asserere calidum à frigido cohibitum ad profundum corporis declinare, cùm refrigerata externa fuerint. Sic itaque & nunc dico, calidiore quidem facto ventre, & retenta deiectione ob quam post paulò causam recensebo, coqui simul optimè, atque distribui succum ex alimento omnem: quodsi contingit, consequens est vt exiccentur deiectiones & consequuto indurentur. Duabus itaq; his causis ea quibus occurrunt corpora indurantibus, quarum hæc quidem infrigidans, alia verò desiccans existit, quæ ex refrigeratione est, contentis in ventre nunquàm viuentibus nobis contingit, alia verò propter longam intus moram, vbi citra coctionis distributionísque offensam fuerit, consequetur. Superest prorogatum hucúsq; ostendere, cur vbi nos frigidus ambiens aër fiat, morētur, cunctentúrque quæ in ventre sunt. Est autē quod contingit eiusmodi: nempe ciborum per intestina delatio naturale est opus, fitq;, vt ostensum

ſum eſt in commentarijs facultatum naturaliū, ex inteſtinorum conſtrictione. Sunt autem in finibus inferis poſiti ad ſedis clauſionem muſculi, qui frigoris tempore coguntur conſtringuntúrque, contrariam nacti diſpoſitionem quàm habēt cùm quis ipſos aqua calida humectat, laxantur ſiquidem tunc: excipiúntq; quæ ex inteſtinorum conſtrictione deferuntur ad ſedem ſuperflua, & maximè cùm proritauerit calidum: fatentur ſiquidem & hoc proritatorium excretionis eſſe. Refrigeratis verò qui in ſede ſunt muſculis, atq; ob id coactis aſtrictíſque, contrarium conſequitur ſymptoma, conſtrictoria ſcilicet inteſtinorum functione ab infernis incipiente partibus, & quæ continentur ad ſupernas propellente partes, quēadmodùm ſæpiùs euidenter cernitur, cùm vel bilem deiectionéſque mordentes ad ſedem peruenientes ſponte retinemus, vel ob rem quāpiam quam tunc perficimus, vel cùm cloaca non adſit, recurrunt quidem celeriter ad ſupernas partes, vt neque promptè violento etiam conatu rurſus ſubducantur. Cauſa igitur propter quam moram faciunt in ventre tum cibi, tum potus refrigerato circunſtante aëre iam dicta eſt, quos & ſiccitatem conſequi eſt demonſtratum, veluti & ſiccitatem conſequi manifeſtè duritiem. Si verò partium ventris corpora refrigerata fuerint, coctionem lædi eſt neceſſe, atque ob ipſam humectari magis quàm deſiccari deiectiones. Completo autē

iam

iam à nobis omni de priore scriptura sermone, ad alias subscriptas transeamus.

Mixtio quæ in ventre sunt indurat.

Quòd venus quidem corpus totum exiccet inter confessa exiſtit, non tamen ventris excremēta perpetuò exiccare videtur, sed cùm magnoperè ab ipsis grauatus fuerit, ob virtutis dissolutionem & partium à quibus cibus coquitur, & quæ in ventre sunt distribuuntur refrigerationem mixtio quæ in ventre sunt refrigerat & indurat. Volunt siquidem à mixtione refrigerationem eorum quæ in ventre sunt fieri, à refrigeratione verò siccitatem, quanquam non fieri refrigerationis ratione demonstrauimus, sed duritie. Quod autem in sermone superiore non dixi, forsan vt nunc adÿciam est melius: Nempe vbi refrigerationem exteriorum quæ deÿciuntur indurare demonstraui, forsan quis solam hanc causam esse existimabit, qua quæ in ventre sunt exiccentur. Est autem non ea solùm, verùm & ipsius constrictoriæ intestinorum facultatis imbecillitas, atque adhuc contentoriæ robur, & per quam distribuuntur quæ in ventre sunt ad hepar, atque præter hæc difficultas sentiendi intestinorum, & cibus morsu carens. Quòd si quis prætermissos esse astringentes tum cibos, tum potus existimauerit, perperàm existimabit. Continentur siquidem in his quæ robur contentoriæ facultatis operantur.

Helleborum epotum si purgare celeriùs volueris, lauabis, vel edet.

Purgationis omnis sermo tum vniuersalis, tum communis in hoc dictus est apherismo: Corpora expurgare vbi quis voluerit, facilè fluentia facere oportet. Hic autem in vno inter purgantia vehementißimo præparationis vnius ad facilem fluiditatem meminit, quæ ex lauacro sit quod humores diffundit, corpúsque laxat si & contentum, & induratum fuerit. Lauare autem eos oportet qui helleborum sumpturi sunt, neque multo antè tempore quàm adsumant, neq; multo pòst tempore: sed potißimum quidẽ antequàm adsumant. fieri verò potest vt & statim ab adsumptione laues. Verùm si purgatione vel incipiente, vel fermè incœptura hominem laueris, humorum ad interna inclinationem qui à purgante medicamento trahuntur, reuelles retrahésque. Quo itaque modo quibus est sanguis crassus, lotis bis sanguinem detrahi præcepit, ita & quos purgaturi sumus lauacris esse vtendum, vt tum citiùs, tum citra molestiam magis expurgentur, sed impræsentiarum solius celeritatis meminit. Melius autem est non solum ea die qua homo medicamentum accipit, ipsum lauare: verùm & præcedentibus cùm ad medicamentum præparatur. Id quod & Hippocrates ipse ostendit in aphorismis, cùm scripsit: Ad helleboros qui nõ facile purgantur, his ante potionem humectare corpus

pus oportet, prius alimento, & requie. Si verò & requie & cibo prorsus etiam humectare, præcipit & lauacris pluribus vtendum in potabilibus aquis: humectant siquidem hæc. Nunc autem & dictioni adiecit, edet: vel quo tempore helleborum homo accipit, vel in antecedente diæta: cuius & aliã quampiam summam esse diximus, humorum attenuationem, & viarum quò promptè humores per ventrem deorsum ferantur præparationem. Nempe in faciendis facilè fluentibus corporibus quod in aphorismis præcepit, hæc continentur.

Sanguis somni tempore ad interna magis effugit.

In superiore etiam sermone orationem hanc scripsit: Qui vigilat foris calidior, intus frigidior: dormiens contrà. Et nunc sanè existimauit expositionem illam communem esse præsentis. Nam quæ ex calidi agitatione & permutatione tum vigilantium, tum dormientium euenerunt, hæc & de sanguine intellexisse existimauit. Calor siquidem natiuus in hoc & his quæ ex eo nutriuntur, est plurimus.

Rigor à superiore ventre, calor verò ab inferiore magis.

Inter ventris partes superior quidẽ rigorem magis, inferior verò calorem tum generat, tũ sentit, tum inchoat: quod & maximè verisimile existit, atque ob id ipsum adijci aduerbium, magis

existimo, perinde atque dicta sese mutuò solum amplectantur: quod si condonauerimus, alia quædam expectatur quæstio, cùm ignoremus vtrum cùm in phlegmone sint dictæ partes, hoc sequi ipsas dicat, an cùm in eas humores quidem mordentes è corpore confluxerint, vel cùm cibus corruptus fuerit, quanquam mihi videatur melius esse, vt existimemus ipsum nobis sermonem fecisse & de læsione ex humoribus, & ciborum corruptione eam consequente. Cùm enim vel frigidus, vel mordens in ventriculi ore collectus fuerit humor, ex ciborum corruptione, vel praua qualitate, vel & ex corpore confluxu, principium rigoris hinc oritur. Nempe in libro de rigore ob frigidam causam, vel mordentem rigorem fieri est demonstratum, vbi causa hæc per corpora sensu prædita agitatur, fertúrque vehementius. Vt autem hoc contingere videtur: sic & interdum febris ex cibi corruptione fieri videtur, cùm corruptus ad infernum ventrem delatus fuerit, non antecedente tunc rigore, vt fit cùm quæ in ore ventris existunt, momorderint.

Inspirans, pulmo, æstus siccus, purgatum immodicè resiccat somnus multus.

Nempe quòd immodicè purgatum somnus multus exiccet, experientia quidem constat, per quam sermones omnes iudicantur, sed priusquam expertus fueris ad fidem eius quod dicitur, ex his obseruabis quæ didicisti. Nam si in somnis sanguis

guis intrò inclinat, atque ob id calor innatus, in vigilijs verò foras extenditur, coquentur quidem in somnis quæ tum in ventre, tum in hepate existunt, in vigilijs verò totum corpus nutrietur: si itaque immodicè euacuatis intrò quidem vergat calidum innatum, nihil verò habeat quod concoquat, tabescit. Nam præ alijs à cibo ipsum nutritur, veluti ignis à lignis. Securè autem adiecit vocabulum, multus: nam paucus laborem sanat antecedentem, cùm per ventrem homo vacuatus est. Nam si tum in hepate, tum primis venis crudorum humorum quippiam relictum fuerit, ipsum omne excoquit. Hæc itaq; secunda dictionis pars nullum habet, quod insigne sit, in oratione delictum. Quod verò antè in oratione est scriptum, ἐπισπασμὸς, id est, inspirans, pulmo, æstus siccus, à Græcorum consuetudine multùm recessit. Nempe in hac dictione dicendum erat, ἐπισπασμὸς, id est, inspiratio fit quòd aridus æstus in pulmonis sit temperamento, ἐπισπασμὸν intelligentibus nobis inspirationem. Quintus neque quòd siccus & calidus existit pulmo, ob id fieri celerem & crebram respirationem ait: sed ob talem siccari, calefieríque pulmonem. Nempe ἐπισπασμὸν nõ simpliciter respirationẽ omnem, sed solam celerem & crebram volebat indicare. Quod autem à crebra pulmo resiccetur, & in libro de victu acutorum ab eo est dictum.

Frigidiſsimus cibus, lens, milium cucurbita.

Milium & cucurbita frigidi cibi manifeſtè exiſtunt, quamuis non frigidiſsimi: lentem verò frigidum eſſe cibum non fuero confeſſus. Videntur ſiquidem vt cucurbitæ, ita & atriplex, beta, lactuca, chondrilla, & inter frumẽtacea edulia ordeum, & milium refrigerare: contrario verò modo lens nullam oſtendit refrigerationem, aut conferſtim adſumpta vbi in ventre ſuperiore continetur, aut poſteà cùm in inteſtinis vel tenuibus, vel craßis fuerit. Forſan verò quoniam ſuccum aſtringentem refrigerantis quippiam habere in libro de ſimplicibus medicamentis demonſtrauimus, lentem quis latenter refrigerare exiſtimabit: ſed in eiſdem dictum eſſe haudquaquam meminit, quòd talium vnumquodque ſimpliciter quidem videtur & dicitur, ſi cum his quæ ex cõpoſitione præparentur, comparetur: non tamen exquiſitè ſimplex exiſtit. Nempe in primo libro de viribus alimentorum, lentem ex contrarijs conſtare ſubſtantijs eſt demonſtratum, cohibente ſcilicet quæ in ventre ſunt & altera ad excretionem excitante: quæ cohibet, frigida eſt & terreſtris, quæ ad excretionem excitat, calida. atque ob id lens cibus quidem reſiccatorius, frigidus verò nullo pacto, vt neque calidus, ſed ex ambobus mixtus & medius, quanquam paulò à medio ad calidius receſſerit. Cùm itaque lentem ne-

que

que simpliciter frigidam esse quis concesserit, quomodo excellenter frigidissimam? Praterea phlegmone obsessis vlceribus, lens cataplasmatis modo imposita fluentes in affectam partem humores repellere videtur, astrictione scilicet id efficiens. Videtur autem & concoctoriæ facultatis quippiam habere & purificæ, quod minimè frigidis inest. Siue itaque Hippocrates ita scripsit, siue alius quiuis dictionem hanc subdolè inseruerit, lentium naturam non rectè nouit.

Vlcera erumpent, si impurgatus quis laborauerit.

Nempe ἐν τοῖς πόνοις, id est, gymnasiis exercitationibúsque caliditatem auctam ex profundo ad cutim humores agere, & per halitum digerere didicimus. Cùm verò praui in corpore anteà collecti fuerint, sua acrimonia cutim peredunt, & vlcera procreant, vt cùm crassi & glutinosi fuerint, hepar & renes obstruunt: in cute verò pariunt cum tumore pathemata.

Mulier, capra, elaterium, vel cucumerem agrestē si vorauerint, pueris purgatio.

Non elaterium solum quod cucumeris agrestis succus est, sicuti neque cucumerem solum si ingresserint, lac purgatorium lactentibus pueris habent, verùm & si aliud quoddam ex subductorijs appellatis medicamentis. Siue autem mulierem quidem ingesto elaterio, siue

capram cucumere ipso, vel vtroque pueros lacte expurgare ait, nihil refert, sicuti neque si quis vel vorauerint scripserit, vel ederint. Commodus autem sermo est, & in vsum medicum, & præceptum naturale. Nempe cùm voluerimus infantem expurgare, talium quippiam vel matri puerum lactanti, vel capræ vorandum exhibentes per illa ipsum purgamus: in dogmatis quoque controuersi dignòtionem commodum & hoc. Sunt autem qui putent nullam ex his quæ ab initio cibis insunt virtutem posse seruari, vbi concocti & in sanguinem versi fuerint: alij diutius fortes permanere virtutes, vt & sudores ipsorum oleãt, quod ex nunc dicto fidem accipit. Nempe in esitatis talibus virtus seruari videtur. Imò apud nos vere cùm scammoniæ germina ederint capræ, lac ipsis purgatoriũ efficitur: et si tithymalũ ederint, idẽ accidit. Prætereà circa Dorida, Bœotiã, Thessaliã, & vicinas regiones pleriq; ex coturnicũ esu musculorum tensionibus sunt correpti, propterea quòd helleborum ipsæ edant. Idem & Athenis contigisse scio his qui liberaliùs coturnices ederũt.

: Percalido esus, intrà refrigeratio, extrà læsio, in sole, igne, veste, tempore æstiuo, contrario contrà.

Percalidæ naturæ refrigerationem ait & potam aquam conferre, atq; ad hæc ἐλινύειν .i. vitare vehementem exercitationẽ. Quo enim modo exerceri præcipit, vt quidã exponunt? quo autem

modo

modo in sole, & igne calefieri? lauacra siquidem eiusmodi temperaturas refrigerare est ostensum ob fumosi quidē fuliginosiq; dissolutionē, quod ca lidis naturis generari contingit: ob humectatio-nem verò quæ solida humectata refrigerat. Ignis autē & Sol calefaciunt, vestis similiter & tempus æstiuū. Refert autem in aphorismis ita: Per anni quidem tēpora vere & prima æstate pueri, & qui eorū consequuntur ætatē, cōmodißimè degunt, & maximè valent: æstate verò & autumno aliquandiu senes, reliquo verò tēpore & hyeme qui media sunt ætate. Si itaq; calida ætas hyeme & frigida æstate benè habuerit, melius est existimare Hipp. nullū percalidis naturis auxilium fieri ex sole, igne, & æstiuo tempore, sed & læsionē. Et sanè quod in principio dictionis est relatū, percalido, vt quippiā subaudiatur opus habet, scilicet vel tēperaturæ, vel naturæ, vel corpori, vel homini, quod per ea quæ in appositione dicta sūt, corpori, & homini magis dictū esse innotuit, non temperaturæ & naturæ. Prorsus siquidē dixisset, cōtrariæ verò cōtraria, articulū fœmineū præstituens nō masculinū, hoc modo τῷ ἐνθέρμῳ. i. percalido. Fiat itaq; omnis sermo talis: Percalido corpori per cibos & potus interna refrigeratio est familiaris, nocua verò externa caliditas per solem, ignē, æstiuū tēpus & vestimēta, ex quibus omnibus sicca indicatur caliditas. Nempe humidā & mediocrē qualis est ex balneis, potētiā refrigerare

diximus. Quòd autẽ cõsueta hæc balnea in talibus perpetuò sermonibus dicamus, neminẽ latet. Eã ob causã nõ adijcimus aquarũ spõte nascẽtiũ vel marinarũ, vel sulphuratarũ, vel aluminosarũ illa etenim siccant, & refrigerãt: Contrariò verò naturã corpori cõtraria, rursũ hîc subaudire oportet, vel iuuãtia, vel lædẽtia, vt hæc quidẽ eligat, illa verò fugiat. Nam si percalidas naturas tum cibis, tum potibus refrigerandas præcepit, frigidiores sanè contrarijs calefaciendas volet. Prætereà si calidiores naturas à sole, igne, & æstate, & vestimẽtis, lædi dixerit: frigidiores sanè per hæc quidem iuuari, per contraria verò lædendas ostendit.

Ciborum hi quidem celeriter, alij verò tardè vincuntur.

Inter hos quos noui Capito vnus scripsit pro βραδέως *.i. tardè,* ἐναντίως *.i. cõtrariè, orationẽ huiusmodi faciẽs: Ciborũ hi quidẽ celeriter vincuntur, alij verò modo contrario. Intellectus verò in vtraq; dictione idẽ. Nã quæ edũtur inter se differre ait, quòd hæc quidẽ celeriter à corpore vincãtur, alia verò tardè. Intelligẽdũ verbũ* κρατεῖσθαι *.i. vinci ꝓ* μεταβάλλεσθαι *.i. mutari, et* πέττεσθαι *.i. cõcoqui, et* προστίθεσθαι *.i. apponi, et* ὁμοιοῦσθαι *.i. adsimilari corpori. Singulariũ verò ciborũ quidã celeriter cõcoquũtur, sanguificãtúrq; & nutriũt: alij verò tardè, quos in tribus commentarijs de alimentorũ facultatibus omnes exactè percurrit.*

FINIS.

GALENI IN

SEXTVM EPIDEMIORVM HIPPOCRATIS LIBRVM COMMENTARIVS SEXTVS,

*

Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

***

CARNES ex ventre & externis partibus trahunt, sensus ostẽdit, quòd corpus tum intrò, tum foras spirabile sit.

Carnes ad se trahere & ex ventre & partibus externis ait, ex ventre quidem à cibis, potibúsque succum ex quo aluntur, ex partibus verò externis non modo simili: nempe incertum est si cibum vel aërem dicat. fieri siquidem potest vt cibũ carnes quemadmodùm ex vẽtre trahũt, ita & ex partibus externis in profundum retrahant. Fieri quoq; potest vt & aër per arterias ad cutim pertinentes deferatur ad carnes tractus ab ipsis: quod totius orationis consequentiæ magis hæret. sed de tractionis dogmate controuersia est. Nempe quidã tum Medicorum, tum

tum Philosophorũ nullo pacto tractionem esse dixerunt: alij concedunt quidẽ, sed in carnibus esse negant. Omnium verò eiusmodi demonstrationes in explanatorijs cõmentarijs, vt scribat quis impoßibile esse retuli. Nam sæpiùs eadem referre cogetur: fore quoq; & cõmentariorũ tum multitudinem, tum prolixitatẽ, ita vt non facilè numerentur. Imò neq; vitæ tẽpus ad librorũ Hippocr. explanationẽ suffecturũ si quis in singulis dictionibus dogmatis vniuscuiusque perpetuò demonstrationes scribat, atq; adhuc lecturis rem molestã, & conficere cõmentarios volentibus cum multo tempore & simplicibus conscribendos. Melius itaq; visum est explicare quidem in cõmentarijs ipsis sensum vniuscuiusq; dictionis, quod expositoris proprium est, adijcere verò interdũ & dictis ab ipso causas iuxta præceptionũ demonstratarũ cõsequentiã. Dogmata verò ipsa non hîc quidem probare, sed solùm admonere quibúsnam in libris à me scriptis demõstrata sunt. sicuti & nũc quòd trahentibus quidẽ ad se proprium succum partibus quæ aluntur, ad ipsas cibi delatio fiat, in commentarijs de facultatibus naturalibus demõstratũ sit, quódq; corpus vniuersum tum intrò, tum foras spirabile sit, in cõmentarijs de vsu respirationis & vsu pulsuum: In quorũ priore respirationis vsum, custodiam esse moderationis eius qui in corde est caloris ostendimus. In cõmentario verò de pulsuum vsu, mediocritatem caliditatis totius

tius

tius corporis ex arteriarũ operatione ſeruari. Sola itaq; hæc ad prioris orationis partis explicationẽ ſufficiunt : ad alteram autem iam pergamus, in qua oratio, ſenſus oſtendit, neq; tanquã ex Hip. conſuetudine, neq; planè Græcè enũtiata eſt. Emendauerunt verò eam nonnulli in dandi caſu αἰσθήσει. i. ſenſui ſcribentes, vt quod in ea dicitur tale ſit, ſenſui patet quòd intrò & foras ſpirabile totũ corpus animali fuerit. Illatum autem ex his: Carnes ex ventre & partibus externis à ſenſu fidẽ accipiens, quod idem eſt perinde atq; dicatur, ab euidenter apparentibus nobis per ſenſum. Idiotas verò quoſdã audiui, quod ipſis contigerat ex aquarũ dulciũ lauacris admirantes. Nempe anteà ex ſole calido & itinere venientes, ſeſe ſqualidũ corpus & os ſicciſsimũ habere dixerunt, atq; ſiti detineri inopinabili. Poſt lauacrum verò ſine ſiti redditos, atq; os habere humidum: ſimili quoq; modo & corpus totum molle & humidũ redditũ reiecto antecedente ſqualore. alij verò & euidenter ſe ſenſiſſe corpus in ſolio ad ſe aquam trahere dixerunt. Talia itaq; nonnulla quæ & idiotis apparent teſtimonia dogmatis, ex ſenſu accipiunt: alia verò ex rationabilioribus demonſtrationibus à Medicis reperiuntur, quarũ vna eſt quam deinceps ipſe retulit, & quam in ſequenti cognoſcetis dictione. Nẽpe ad præſentem ſatis hæc erũt, cùm ex rectè dictis quæ ab interpretibus perperàm ſcripta ſunt, deprehendere valeamus.

Si

Si venula sanguinis multitudine calidior fuerit, contrahit quidem causodes, & statim excernit.

φλέβιον.i.venulã calidiorẽ intelligere oportet arteriã cõsentientibus omnibus qui libros Hip. exposuerũt, venas nõ ab hoc solo, sed & ab alijs multis antiquis appellari & arterias. Hoc itaq; inquit, vena sanguinis multitudine incalescens causodes cõtrahit, & statim excernit: causodes appellans quod ex caliditate est generatũ, quódq; veluti fuligo quædã est succi vehemẽtius incalescẽtis. Hoc aũt quod temperatura calidũ sit, & substãtia tenue, facile excernitur. Hãc puto esse quæ verisimilior sit expositionẽ, si vtiq; quod verũ est et præceptionib⁹ Hip. cõsequẽs scopũ habere cõueniat. Quod aũt verũ sit nũc à me dictũ præceptũ, in libris de vsu respirationis & de pulsuũ vsu est demõstratũ. Nẽpe in inspiratiõibus quas per os & cutim vniuersam habẽt animalia, geminũ ostẽdimus esse auxiliũ. Nẽpe calorẽ natiuũ roborari perpetuò refrigeratũ, ne euaporatus pereat, & maximè cũ ex quauis causa aliquãdo inauctus fuerit: excitari quoq; & roborari cùm ex materiæ frigidæ copia grauatus fuerit, quẽadmodũ ignis cũ flabellatur. Præterea & eãdẽ ipsi geminã motionẽ, ꝓpriã & naturalẽ esse exercitationẽ quæ ad robur deducit: nẽpe ea est exercitationũ tũ vtilitas, tũ natura. Cũ itaq; anteà carnes ex ventre & partibus externis trahere dixit,

mox

móxq; adiecit quòd intrò forásq; spirabile corpus sit, inspirationísq; ipsius generationem & vsum demõstrauit per orationẽ, carnes trahere: de expiratione autẽ nihil dixit, iure impræsentiarũ ipsam percurrit, de arterijs sermonẽ faciens qui ad cor quidẽ cõmunis existat, sed obscuriùs videatur. Quòd autem communis sit, hinc liquet, quòd propter calorem natiuũ generari in sanguine, & maximè cùm calidior fuerit, fuliginosum excrementũ ostendimus. Excretionis siquidem & ipsi cõmoditatem hanc natura fabrefecit, euacuandis quidem ex corde per expirationem, alijs verò in toto corpore per arteriarũ cõtractionẽ. Hæc itaq; tum ex his, tum ex venis (nempe ipsas mutuam habere apertionem est demonstratum) per cutim statim excernuntur, cùm ex arteriarũ contractione excernuntur: alia verò ex corde pulmo suscipit, aëris quippiam veluti voratum aliquid cordi ipsi præparans, trahenti quidẽ in dilatatione, emittenti verò in contractionibus. Hæc quidem est nostra super præsenti oratione sentẽtia, ostendetúrq; paulò pòst quæ deinceps scripta est seruare cõsequentiã, atq; eandem quidem, non minimè verò & ad eam quæ præordinata est. Qui de causo sermonem hìc fieri existimauerũt, primũ quidẽ condonauerunt defectuosè dictum de carniũ tractione sermonem. Non enim trahunt ad se solùm quod familiare est, verùm etiam & quod nõ tale existit excernũt. Tractionis itaq; cõmodi

di

ditas manifestior, excretionis verò obscurior, atq; ad fidem sermone quodam opus habens. Transeamus autem ad sequentem dictionem quæ iam aliquid confert, vt nuper dixi, ad melioris expositionis diiudicationem.

Et quibus pingue quidem bilis flaua, quibus verò sanguis, atra.

Dictionis antè expositæ opinionem geminam meminisse oportet. Nos enim dicebamus Hippo. ipsum demõstrare vsum respirationis per respirationẽ ita nominatã, spiritus delationem quæ per totũ corpus ex arterijs extrà fit, sicuti & per oris expirationẽ. Nõnulli autem de causi generatione sermonem esse existimauerunt, quibus nõ valde fidem facere diximus orationẽ hanc: cõtrahit quidem causõdes & statim excernit, neque enim in causis statim excernuntur quæ per vomitus vel ventrẽ inferũ euacuari dicunt, neq; est necesse vt symptoma causi aliquod sermoni de ipsius generatione adijciatur. Nostram verò expositionem hac meliorem esse diximus. Primùm quidem quòd à conuicijs libera sit. Secundò quòd præceptũ omne quod in sermone docetur de spiritus tum intrò, tũ foras latione esse videtur, quam in nostris quibusdã cõmentarijs nõ solùm in respiratione per os, verùm quoq; & per eas quæ per totũ corpus fiũt transpirationes fieri demonstrauimus, nonnullis quidem spiritus animalis generandi gratia vt Asclepiades, alijs nõ huius solùm, sed & vitalis,

vt

vt Erasistratus, alijs verò nutriendorum horum spirituũ causa inspirationes fieri dicẽtibus. Cùm verò vsum expirationis aßignare nequirẽt, Hippocrates vt ostẽdimus in prædictis commentarijs, verum vsum nõ solùm per os expirationis, sed & illius quæ per totũ corpus fit in proposito percurrit sermone. Cæteros expositores accusare est iustum, cuiúsnã exponãt librũ ignorãtes: neq; enim in aliorũ virorũ placita receßissent consequentiã eorũ quæ voluit Hippocrates relinquentes, manifestè sanè dicẽte ipso carnes ex vẽtre & externis partibus trahere, quod valde differt ab existimantibus distributionẽ alimẽti ex vẽtre in corpus vi consequẽtiæ ad quod vacuatur fieri. Primùm quidẽ oportebat intelligere nõ solùm in ipsis esse tractricẽ familiariũ facultatẽ, verùm & alienorũ excretricẽ. Hoc enim illos consequitur qui naturã permãsionis animalis præcognitricẽ statuunt, quo è numero vnus fuit Erasistratus. Secundò quídnã est quod excretione indigeat dicere oportuit: non enim sanguinẽ dicẽt ex quo corpus alitur. Neutrũ itaq; horũ illi fecerũt: Hippocrates verò quòd à sensui apparẽtibus vtrũq; manifestè fidem habeat præfatus, deinceps in vsum trãsijt eius quæ per totũ corpus fit perspirationis, necessariã generationis causam fuliginosorũ excrementorũ asserẽs. Nã in corpore animaliũ caliditas excremẽta facit talia, quæ aßidua indigẽt euacuatione. In proposita itaq; dictione materiã

generationis excrementorũ demõstrauimus, nẽpe quòd amplior caliditas generare ipsa nata sit, sic materiæ quędã sunt ad ipsorũ generationẽ idoneæ. Rationabiliter itaq; nigræ bilis mentionẽ fecit. Nempe generationẽ ipsius geminã esse didicistis, & ex crasso sanguine & flaua exusta bile. Quòd si de causi generatione sermo ipsi fuisset, frustra bilis nigræ meminisset: quare & ex hoc constat nostrã expositionẽ vera loqui, simul & Hippocratis cõsentire placitis, illorũ verò differẽtẽ. Eandẽ hãc dictionẽ in alia libri parte dixit, & nos ipsi exposuimus, in qua & hoc dicebamus quòd τὸ πῖον, i. pingue, nõ solùm pro pingui, & pinguitudinoso dictũ existimare oportet, verũ & de dulci omni vt sermone cõtineatur & mel & σιραιὸν, quod Asiæ nostræ Græci epsêma appellãt.

Frigidior in frigido anni tempore & regione, calidior erit.

Quòd neque affectu frigidior, neq; ob ætatẽ in frigida regione & anni tẽpore calidior fieri possit, est cõfessum omnibus, atq; ob id Sabinus in natura frigidioribus verũ esse sermonẽ ait, nõ tamẽ in his simpliciter dictus verus est absq; huiusmodi limitatione. Circũstãs forinsecus frigidũ quòd quidẽ cõdenset refrigeretq; cutẽ inter ea est quæ euidẽter apparẽt, nõ tamẽ similiter profundũ corporis disponit, sed vt in aphorismis definitũ est in sermone illo vbi inquit: Interdũ autẽ in tetano absq; vlcere iuueni bene carnoso, æstate media, fri

gidæ

gidæ multæ perfusio calorẽ reuocat: sic & nobis est definiendũ. Frigida siquidẽ corpori nostro perfusa, aut circiter profundũ ita subit, vt profundas partes non aliter quàm superficiarias refrigeret, aut solas quæ in cute sunt infrigidat. Ad profundum itaq; perueniẽs, partes in eo refrigerat, & nõ paruã in toto animali infert noxã, exoluta ipsius facultate: quæ verò superficiarias corporis partes refrigerat, nõ solùm nõ profundas refrigerabit, sed etiã calidiores multò quàm pristina ipsis esset tẽperatura declarabit. Qui verò de raram habẽtibus cutẽ & subiectas ipsi carnes, sermonem ipsi nunc fuisse existimãt, quoniã hos inquiunt frigidiores reddi quòd perspiret caliditas, atq; ob id densata superficie calefieri, & retento quod priùs vacuabatur calido, dicũt quidẽ nonnihil veritatis, nõ tamẽ debuerũt ipsi existimare dici ita trãspirantes, frigidiores: hæc siquidẽ maximè vt didicistis, corporibus, tum humidis, tum calidis insunt. Secũdò calidis etiã absq; humiditate talia, frigidorum autem corporum nullum facilè euaporatur, sed minus quidem hoc humida sustinent, magis verò sicca ambobus præstant naturâ calida. In hoc itaque mihi errasse videntur.

In doloribus proximum ventrem purgare, sanguinis ventrem diuidere: vstio, sectio, calfactio, refrigeratio, sternutatio, plantarum succi, in quibus facultatem habent, & cyceon, maleficorum, lac, allia,

vinum feruefactum, acetum, sal.

Catalogum hîc facit auxiliorũ doloribus, tum paruis, tũ magnis cõferentiũ, veluti in aphorismis ea quæ solùm oculis cõferant scripsit, vbi inquit: Dolores oculorũ meri potio, vel lauacrũ, vel fomentum, vel venæ sectio, vel ea quæ per medicamentum fit purgatio. Adiecit autẽ nũc quædã auxilia oculorũ doloribus nullo pacto cõferentia. Primum igitur omniũ in præsenti sermone dictũ purgatio, quã in ✳ ✳ *auxilia prorsus explicauimus eo quẽ scripsit modo. Primum autem eorũ quæ deinceps dicta sunt, καῦσις, id est, vstio, est quæ in magnis adhibetur affectibus ob cacochymiã multã, vt fit in valde malignis vlceribus, nobis interdum prorsus ferris ignitis ipsa vrentibus. Interdum verò & causticis medicamentis. Post inustionẽ posita est sectio, sedãs & ipsa dolores partiũ, iam pus multũ habentiũ ex magnis pregressis inflãmationibus, calefactio deinceps est, quẽ tũ lauacris, tũ fomentis fit. Anteà autẽ iam didicistis materias fotuũ, & in quibus dolorẽ inferẽtibus affectionibus vti cõueniat, vt thoracis morbis admouẽda quæ ipse in victu acutorum recẽsuit. In oculis autẽ quæ per spongiam mollem admouẽtur, parte nõ ferente, per sacculos & cataplasmata calefactiones. Imò perfusio per oleum & in medio corpore & capite remedium dolorũ est, calefactio existẽs, & ex aqua calida in femoribus & lacertis: frequẽtissimus quoq; & pluri*

plurimus in dolētibus partibus per calefactionem vsus est apud Medicos, quoniā distēta relaxat, & impleta vacuat, refrigerata calefacit, & infrigidatione rariùs in dolētibus partibus vtimur, quæ scilicet superficiē ipsarū externam cōdenset, atq; ob id trāspirationes coërceat, & distēta magis intēdat. Solas itaq; calidas intēperies quæ sine copia cōsistunt infrigidatio sanabit, veluti in his qui capite ex vstione dolēt, vel his qui ob febrem vrūtur. Caput itaq; ipsum rosaceo frigido perfundētes symptoma curamus. Et ex Erysipelatis quæ ob excellentē caliditatē dolores ciēt etiā sanamus. Podagras itē simili modo in quibus est fluxio, tū biliosa, tū calida. Post prædicta autem scriptū est: Plantarū succi in quibus facultatē habēt: cuius rursus dictionis intellectus videtur mihi talis quidā esse: Dolorū remedia tibi interdum fient & plantarum succi, híq; valde multi sunt, alij quidē liquidi permanētes, alij verò inspissati. Oleum sanè imprimis iam multam nobis præstat ad partiū dolentiū sanationes, mitigationésq; cōmoditatē, calidū admotū, deinceps & alia multa hoc longè magis calefacientia vt laurinū, cedrinum, cicinū, sinapinū, & raphaninū, liquida quidē hæc, inspissata verò alia plus, alia minus, & resinæ, & maximè inter ipsas quæ αὐτόῤῥυτοι, i. sponte profluentes vocātur, thapsiáq; & euphorbium, & succi omnes, cyrenæus, parthicus, medicus, assyrius, sagapenius, succus ex tithymallis,

succus ex panace, qui propriè opopanax appellatur. Ex hoc genere sunt & chalbanum, atq; alia multa, de quibus didicisti in simplicium medicamentorũ viribus. Siue enim succus fuerit alicuius siue liquor, in humorum appellatione cõtinetur. Huius itaq; generis erũt & pix liquida & pisselæum appellatũ, atq; adhuc quod Cilicia est ca puelæon, atq; alia sexcenta: illa quidẽ ex herbis, alia ex fruticibus, & alia ex arboribus, quorum cõmune nomen est plãta, cuius Hippocrates nũc meminit inquiẽs plantarũ succi: adiecitq; ipsis, in quibus vires habẽt, obscurũ propter breuitatẽ sermonem faciẽs. Iure itaq; expositores discordauerunt, alij aliter nõ solùm dictionẽ interpretãtes, sed & trãsmutãtes: quare vt nõ multa scribam, relinquã ipsos, & quæ mihi probabiliora esse videbuntur, ea sola referã. Pharmacorũ itaq; quæ dolores mitigare nata sunt, vt aliud ad aliã affectionẽ, ita & ad aliã partẽ aliud virtutẽ habet. Cùm autẽ lõgior sit quàm cõmentario conueniat sermo, per exẽpla pauca ipsum cõponere institui, quod itaque nõ omnes cũ dolore affectiones eisdẽ indigẽãt medicamẽtis, exẽplũ hoc sit tibi. Si mordaces succi in intestinis cõtineantur, circumluentia vbi priùs iniecerimus, quo è numero est mulsa & ptisanæ cremor, & hi excreti fuerint, morsus mitigãtia infundimus, & quæ intestinorũ superficiẽ restituere & circũimplere possunt, quæ delatos à superis partibus in ipsa mordaces

hum

humores incursare prohibet: damus quoque ipsis edulia, tũ boni succi, tũ quæ difficulter corrũpantur, vbi vero in supero vẽtre & maximè ipsius ore tales contineãtur humores, primùm quidẽ vt ipsi vomant præcipimus: quod si difficulter vomant, oleũ, vel hydrelæon, vel aliquid tale sorbendum damus, per quod facto vomitu forinsecus quidẽ aliquod ex astringẽtibus & odoratis imponimus. Intrò verò damus cibos boni succi simul, & corruptu difficiles, & adstringẽs quippiã habentes. Oculis verò dolẽtibus talia fiunt, vniuersum corpus priùs expurgamus. Si verò sanguinis copia adfuerit, ad venam cubiti externam, quam ὠμιαίαν, i. humeralẽ vocant, peruenimus, deinde pharmaco vtimur aliquo ex mollißimis & neutiquã mordacibus, à quo ieiunũ per totũ diem ad vesperã vsque ad balneũ ducimus: quòd si neque purgatione, neq; venæ sectione indiguerit, pharmacis dictis, & post ipsa balneo, vt scitis, tales dolores, neq; vẽtris morsibus collyriorũ aliquod infundentes, neq; oculis tragi succũ, vel capræ adipẽ, vel ceratũ morsu carẽs, vel ex alijs aliquod quæ per sedẽ infundimus. Hæc exẽpli gratiâ dixisse satis sit, ad demonstrandũ eandẽ affectionẽ non eisdẽ indigere auxilijs, vbi in diuersis fuerit locis. Ostendere siquidẽ proposuimus quo intellectu Hippocrates dixerit, plantarum succi in quibus virtutẽ habẽt. Nẽpe orationẽ in quibus, vel partibus, vel affectionibus, vel modis vtẽdi necessa-

riũ est intelligere. Dico autẽ modos vtendi, cùm vel causam ipsius quis excindit, ob quã pars affecta dolet, aut spiritum aliquem flatuosum ex ipsa generatũ discutit, euaporátq;: atq; hoc ipsum duobus facit modis, vel crassum ipsius flatuosũmque attenuans, vel cõtinens ipsum corpus rarefaciẽs. Præterea circa hæc modus alius est qui indolentiã parit, qui per sensus mortificationem efficitur, in quo prudẽtiæ est nõ contẽnendæ narcotico alia miscere, & non solo vti. Quis enim non vidit in philonio pharmaco finẽ doloris sensus stuporẽ fecisse? quæ autẽ stuporẽ hũc faciũt, sunt, papaueris succus, & hyoscyami semen. Hæc autẽ si sola adhibeantur, omnino quidẽ pauca data dolorẽ sedare nõ poterũt. Si verò qua accepta mẽsura sedare poßint, hãc habuerint mensurã, nõ paruã adfectæ parti adferunt læsionẽ. Ne igitur pars ipsa insigniter offendatur, & sensum stupefaciat, mistura aliorũ medicamentorũ à Philone reperta est. Quænã autẽ sit methodus, qua quis vsus ad talẽ perueniat pharmacorũ præparationẽ, in libris de ipsorũ cõpositione dictũ est. De his hæc quidem sufficiant. De his verò quæ deinceps dicta sunt, cõsiderabimus: è quibus præit scripta vox κυκεών. i. mixtura. Quòd itaq; vinũ oculorũ dolores qui ob obstructionẽ fiũt mitiget, per cõmentarios qui in aphorismos facti sunt didicistis. Nunc autẽ & aliorũ qui eadẽ ratione fiũt, interdum quidem ob craßitiẽ sanguinis, interdũ verò ob frigiditatem

record

recordamini, qui sæpius videritis & in ventris doloribus, & in appellata hemicrania, vinũ meracius statim quidem manifestè iuuisse, somno verò superueniente penitus dolorẽ sustulisse. Vidistis autẽ me vinũ dare nõ statim ieiuno, sed inter cibos. Nũc aũt Hippo. miscuit vtrũq; & cibũ & potũ. talis enim quæpiã res est cyceon, vt & apud Homerũ didicistis: miscẽtibus quidẽ alia cũ vino. cõmune verò habẽtibus omnibus ipsum. Forsitan aũt & cũ polẽta quidẽ esse vinum, de necessitate verò & cũ alijs ex cyceonis nomine quis volet veteres significare, ita magis vsum fuisse appellatione indicãs. Ego aũt aliquãdo cuidã ita dolentiũ vt absq; cibo, vino vteretur præcepi, vt meã opinionẽ cõfirmarẽ, vidi vt expectaui exacerbatum calidis multis vaporibus subitò ad locũ affectum recurrẽtibus, à quibus inæqualis intemperies & repletio partẽ sunt cõsequuta. Ostẽdimus autem nos & repletionẽ propterea quòd corpora omnino distẽdat dolorẽ imbecillis partibus efficere, inæqualem verò intẽperiem propterea quòd partes adhuc quasdã secũdũ naturam haberẽt, alias verò quæ ipsas attingerent, refrigeratas. Fit siquidẽ in his ex præter naturam habentibus ad eas quæ secundum naturam habent, tristis frigiditatis distributio. Totæ verò refrigeratæ, & vt quispiam dixerit hecticam nactæ talem temperaturam non dolent. Cùm enim inquit, naturæ permutantur & corrumpuntur dolores fiunt, non

cùm iã permutatæ et corruptæ fuerint. Vinũ quidẽ ego ipse offensurũ expectabã absq; cibo potum, sed experientia attestãs certiorẽ mihi fidẽ est operata. Cyceon aũt nequaquã offenderit cibũ secũ habẽs. Nẽpe ex vtriusq; mediocri mixtura æqualis sensim calefacto in affectis augetur partibus, quæ absq; vaporibus multis & refrigerata excalfacit, & obstructa infarctáq; euaporat: penetrãt enim quæ priùs aliquibus in locis adstricta ob crassitiẽ erãt, eáq; tũ attenuata, tũ fusa, cõtinẽtibus ipsa corporibus rarioribus effectis, quæ à calefaciẽtibus æqualiter fieri cõsueuerũt. Sternutationes quoq; (nẽpe & has deinceps scripsit) cephalalgias manifestè sanare videntur, quæ ex copia flatuosi spiritus fiũt. Hæc itaq; oĩa adusq; sternutationes à me demõstrata sũt, cũ proposito à principio cohærere & perperã ab interpretibus in plures sermones diuisa. ad seqũetem itaq; dictionem trãseamus, quæ à prioribus tũ adhuc, tũ magis distare videtur, quã illæ inter se. Potest aũt & ipsa, vt ego cẽseo, de doloribus intelligi vt illæ, sed ab ipsis differre malitia. Fiũt etenim dolores quidẽ maligni à maleficis vel medicamẽtis quæ deleteria vocãt, vel feris virus eiaculãtibus, vel & humoribus quibusdã ex prauo victu, vel ex aëre pestilẽte in corpore generatis. In his itaque dico dicta esse hæc auxilia, lac, allia, vinũ feruefactum, acetũ & sales. Lac quidẽ in his qui per erosionem enecãt, tẽperãtibus siquidẽ opus habẽt: alliũ verò

in his quæ per vehemētē frigiditatē tollūt, vinum vero per mediocrē frigiditatē, sed cū ipsi adiectū sit feruefactū, possibile est intelligere abūdè calidū. Fieri quoq; potest vt intelligatur ita coctū, vt fuerit siræon appellatū, erodētiū siquidē acrimoniā tēperat. Acetū verò vt collosos incidat humores, vt ex fungis, aut & refrigerādi gratiā, vt ob thapsiā. Sales verò vt totā substātiā maleficorū tū humorū, tū pharmacorū cōsumere possint. Sed quoniā non solū auxilia & offensa corporibus nostris fiūt ex simplicibus attingētiū qualitatibus, sed & ex tota substantia (scitis etenim & hoc ex alijs cōmētarijs) cōueniēter dictū fuerit: plātarū succi in quibus vim habēt. Nēpe ex tota substātia proprietates vel corporibus nostris familiares, aut alienæ in quatuor materiebus existunt: pharmaca purgātia, alimenta, & tertia ab ipsis quæ Hippocr. appellauit κακοῦργα. i. malefica, & quarta horū remedia. Diuisio aūt tertio materiæ genere, in deleteria appellata pharmaca, & ferarū venena, duplex est curātiū ipsa materia. Vocātur aūt alexipharmaca quæ deleterijs aduersant. Theriaca verò quæ morsus ferarū sanāt. Forsan aūt existimabit quis et purgātiū pharmacorū materiā īter deleteria cōtineri: nos. n. et hæc corrūpūt si plusquā moderatè exhibita fuerit: quod si cōcesserimus, sequēs nobis erit & alexipharmaca, & theriaca inter deleteria cōnumerare: quoniam & hæc tollere nata sunt, nisi quis ipsorū paucū omnino in

no in

no ingesserit, sed ob id ipsum mihi videtur Medici lethalia quidem pharmaca multa appellare, quorum necessarium auxilium aliquod opportunè fit: deleteria verò nunquam iuuantia, neque sanos, neq; ægros homines. Neque enim aconitũ, neque argentum viuum, neque lithargyrus, neq; lepus marinus intra corpus adsumpta auxilium aliquod nobis præstant, veluti & alia multa, de quibus in commentarijs de à proprietate, vel tota substantia iuuãtibus vel lædentibus, est dictũ.

Homini ex lassitudinibus, ex peregrinatione imbecillitas, grauitas, extreauit, tussiuit enim ex vertice. Febris acuta, ad manum submordens, secundo die capitis grauitas, lingua inusta fuit. Nares vnguibus scalptæ sanguinem non profuderunt: sinister lientum magnus, tum durus doluit.

Quæ hoĩ quidẽ fuerũt narrauit Hipp. si verò vel obierit, vel euaserit, prætermisit, quorũ gratiâ cætera oĩa scribũtur: quidnã itaq; ego de ægrotãte ita fore prædicerẽ forsan audire quis desideret, cui vera quæ sunt dicere oportet, quòd si quis mihi vrinas ipsius ostẽdisset, manifestè quidnam de ægro sentirẽ pronũtiassẽ, quãtũ siquidẽ ad dicta attinet, pernitiosè habebat. Si aũt & vrinæ optimæ erãt, hoĩẽ euasurũ quidẽ, sed acutè ægrotaturũ ꝓnũtiassẽ. Si verò et vrinæ prauæ fuissẽt, breui moriturũ. Si verò mediũ obtinuissẽt, vt neque laudãdæ neq; vituperãdæ essẽt, lõgiore tẽpore

victu

victurũ sed moriturũ. Cætera itaq; symptomata media quodã modo sũt tũ perniciei tũ salutis. Nates aũt vngue scalptæ sanguinẽ deinde nõ effundẽtes: Ita.n.scripsit Zeuxis: Naris vngue scalpta nõ dimisisse sanguinẽ grauißimũ signũ. Si verò scriptũ fuerit, vt in plurimis exẽplaribus scriptũ est: Naris vngue scalpta, non profudit sanguinẽ, perniciosũ quidẽ & ita, sed minus quàm si nihil oĩno sãguinis dimiserit, cõstat aũt quòd quãquã Chirurgia pbè facta fuerit, nõ tñ sãguis effluxit. neq;.n.primũ in enarratiõe scripsisset: vngue quidẽ scalptã narẽ nõ factã: verò sãguinis eruptionẽ. si per chirurgiã hoc cõtigisset. Aiũt veteres Medicos nõ solũ proprijs vnguibus, sed & ferro quodã ad hoc ipsũ parato narẽ diuidere solitos, vidẽtúrq; in præsẽti huic sermoni ægro ob capitis grauitatẽ, ad naris ipsius diuisionẽ qui hoĩem curauerũt, Medici deuenisse. Quod aũt de splene dictũ est: sinister liẽ magnus: quidã adiectũ nomẽ, sinister, putãt, vt noĩ, lac, albũ Poëta adiecit: & verbo, sues, verbũ, hũi cubãtes, cũ nullũ sit lac nõ albũ, sicuti neq; sues nõ humi cubãtes. ⁜ Scalpta nõ profudit sãguinẽ sinistrã, tãquã dixisset, sinistra naris quæ secũdũ rectitudinẽ lieni est opposita, & credibile est ex his permoiũ chirurgũ fuisse: quod aũt primus scriptor errauerit, erratũ seruatũ esse contigit. Cũ autẽ & in proposita dictione sit & ipsũ è vertice tußiuisse, de hoc etiam inter hos qui librũ interpretati sunt est dubitatio non-

nullis

nullis quidem ex capite tuſsim fieri dicētibus, nō vt conſueuit ſæpiùs ex tum thorace, tum pulmone, & aſpera arteria, vbi hæc primū adfecta ſint: alijs ex vertice propriè dici exiſtimātibus, vt nō ex capite ſolū catarrhus quiſpiā cauſa tuſsis ſit, ſed & ab illa capitis parte quā verticē vocamus.

Qui à quartana capiuntur, à morbo magno non capiuntur: Si verò priùs capiātur & ſuperueniet quartana, vindicantur.

Epilepſiam veteres & magnum morbū appellabant, & puerorum affectum, vt ipſe Hippocrates in libro de aquis, aëre, & locis oſtendit: quoniā in puerorū ætate abundat. Quidā & herculeum ipſum appellauerunt, nō quòd Hercules epilepticus fuerit, ſed videtur hi, veluti & nominibus alijs magnitudinē ipſius cognoſcentes nominauerunt, ita & nomen hoc herculeum magnitudinis indicatorium feciſſe. alij ſacrū morbum falſa opinione vocauerunt, vt & in opere de ſacro morbo eſt demonſtratū. Fit itaq; & ab alijs affectis partibus interdū hic affectus: ſed in plurimis primùm ipſum cerebrū patitur, nō alteri parti compatiens. Cauſa autem morbi eſt craſſius & frigidus ſuccus, collectus quidē in ventriculis cerebri, comprehēdēnſq; & exortus & primū principiū dorſalis medullæ. Hunc itaq; ſuccū & aliæ quidē adiuuāt febres, & potiſsimū diuturnæ, atq; inter has omnes maximè quartana, eáq; ipſa & lōgiſsima & cum rigore irritās. Nēpe ipſe rigor

* * * *
* * *vectes* * *
* * * *

Cerebri quidem initium hoc infarciente humore, febris autem calor prius extenuãs euaporare ipsum potest, & totam temperaturam validis rigoribus insectari, atq; ad calidius frigidam & humidam permutare, ab illa siquidem pituitosus generatur humor. Interdum verò & febris ipsius calore corpus occupante, excoctiones consequũtur conuulsionem adiuuantes per sudores quidem sæpius, vel vomitus, vel ventris subductionem, quò fit vt per hæc corpus expurgetur, iuxta id quod in aphorismis dictũ est, febrẽ conuulsioni contingere melius est quàm conuulsionem febri. Conuulsio autem est & epilepsia totius corporis. In tertio autẽ epidemiorũ ita scripsit: Securissima inter febres omnes & facillima, sed longissima est quartana, neq; ipsa sola à se talis est, sed à morbis alijs magnis vindicat. Quod autẽ prius à quartana febre infestatus epilepsia fieri nõ possit, constat omnibus, cum iam existentem quartana febris mitigare consueuerit, quare & nondum existentem multò magis fieri non sinet.

Pro quibus quínam morbi.

Hoc antè scriptis concordat, sententiam habens huiusmodi: Pro quibus morbis quínam morbi fiant scire est bonum. subintelligere autem tale oportet. Nempe vt quartana epilepsiam sanat,

& febris quæcunq; conuulsionem, vel etiam catarrhum & asthma: sic ophthalmiam quidem diarrhœa, lienteriam ructus acidus, pleuritis peripneumoniam, & lethargum phrenitis. Cōtrà autem non bene phrenitis in lethargum, & pleuritis in peripneumoniam transit. Prætereà melancholiam hæmorrhois sæpiùs incipientem prohibuisse visa est, & iam factam sanauisse & lienem induratum. Imò & varices talia ipsa curant, podagrásque & arthritidas.

Cæteri in reliquum librum commentarij desiderantur.

FINIS.

LVGDVNI,

EXCVDEBAT

PHILIBERTVS

ROLLETIVS.

*